SC.21.Pl.6.

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO FIORENSI
37
31 B
8

Ana 1498

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆLECTIONUM THEOLOGICARUM HONORATI TOURNELY

Continuatio, ſive Tractatus

DE UNIVERSA

THEOLOGIA MORALI.

TOMUS QUARTUS,

Continens Tractatus

I. De Sacramentis in genere;

II. De Baptismo.

Opus ad Juris Romani & Gallici normam exactum.

VENETIIS,

Apud Nicolaum Pezzana.

M DCC XLIX.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

MIRUM forte nonnullis accidet, quod Sacramentorum materiem, ab innumeris pene magni nominis Scriptoribus facunde & erudite pertractatam remetiri aggrediar. Quorſum, ſubirati dicent, tot eodem de argumento diſſertationes? nullus unquam erit eamdem crambem recoquendi finis? novi quidpiam habet quod edoceat, rudis ille & impolitus ſcribendi artifex? eone blanditur ſibi, ut quos pro Magiſtris venerari debet, eos vel ſuperare, vel attingere confidat? hæc illi commotiori animo, iſthæc nos leniori, eaque quam profitemur vocis & cordis ingenuitate.

Vixdum ex Oceani Britannici Littoribus (ſatagente mortalium humaniſſimo Carolo G. G. Vintimilio, cujus nomen, donec vixero, colam tenerrime) Pariſios remeaveram, cum ex improviſo aſtant lateri homines duo, diſpares conditiones, pares ſuo in Eccleſiam affectu, Bibliothecæ Regiæ præfectus alter, alter ſolitudini mancipatus, & morum candore amabilis. Hortantur, ut quæ Doctiſſimi Tournely laboribus deerant, hæc complere velim. Concinunt ambo, id ſi tentaverim, rem me facturum Eminentiſſimo Regni Adminiſtro jucundam; defuncti amici manibus gratiſſimam, inſtituendæ ſeu in Scholis, ſeu in Seminariis Juventuti perutilem. An. 1731.

Quid horum vel uno viciſſent me, quid non eo triplici nomine obtinuiſſent? Nec moram do fidem imprudens. Non perpendo quid valeant, quid ferre recuſent humeri diuturno jam attriti labore. Non computo ſedens, an ſumptus habeam ad perficiendum neceſſarios. Accingo me operi, & ut armis miles, arcem oppugnaturus, ſic ego litteraria inſtruor ſupellectili. Quid plura? prodit Volumen unum. De Auctore, quis ſit, rumor multus. Jeſuitam alii, alii Sanſulpicianum Sacerdotem, alii alium ex oppoſito divinant. De opere, quiſque, ut moris eſt, judicat pro arbitrio. Indulgent tamen plures, qui detecto tandem Auctore minus indulſerunt. Diſtrahuntur interim exemplaria; vixque prodierat pars Operis media, cum novis typis noviſque curis edendum fuit, quod editum erat. Placet, jam minus inculta proles, amicis quibuſdam. Precantur ut quæ tradenda ſuperſunt, juris faciam publici. Urgent morantes & aliis intentum; vixque habent tota quod mente petierunt, cum agmine de induſtria compoſito exclamant, parum eſſe quod egerim (erant tamen ſpiſſæ molis Volumina ſex) niſi qua methodo ceteras Theologiæ moralis partes, eamdem rem Sacramentariam pertractare molirer. Vociferavi ego, jam nimio plures circumferri Tractatus de Sacramentis; ex iis eſſe non pau-

ros quos commendet dignitas ſermonis, rerum copia, gravitas ſententiarum, abſtruſæ cujuſcumque difficultatis inveſtigatio, &c. Illi econtra (me hercule enim concionem ſuam toto mane adornarant) illi econtra, fateri quidem verum eſſe quod dictitabam, at contendere ſimul, æquum eſſe quod poſtulabant; nihil velle ſe de cujuſquam Auctoris laudibus detractum; eſſe tamen nonnihil quod in præſtantiorum Magiſtrorum ſcriptis deſiderari poſſet; in iis nimirum nihil ferme reperiri, quod Confeſſariis inſervire poſſit; perſpectum id eſſe mihimetipſi, qui, applaudente Pariſienſium Theologorum uno, Pontificalibus inſulis donato jam pridem, & novum de Cenſuris Tractatum edere, & uni de matrimonialibus impedimentis Capitulo trecentos ut minimum conſcientiæ caſus addere coactus fuerim.

Ad hæc exultanter ego, & quaſi jam ſecurus victoriæ: Valeat, inquam, ut poteſt, quod dicitis. At fatemini ſaltem ſat mihi fore, ut abjecta Sacramentorum theoria uni praxi incumbam; ſic enim quod, juxta vos, incaute prætermiſſum eſt, caute ſupplebitur.

Non manſit elinguis, prout temere conjectaram, quæ a natura loquax eſt & garrula Juventus; & in his quoque, quos ſollicitat Tractatibus, praxi theoriam, ſeu hæc in dogmate, ſeu in Scholaſticis diſceptationibus poſita eſt, conjungi poſtulat. Ait ſcilicet, pleraque quæ hactenus iſto de argumento prodierunt Opera, non tam in Adoleſcentum, quam in Magiſtrorum gratiam exarata eſſe; in his longam reperiri textuum ſeriem, e quibus ſi in forma diſputare velis, anceps hæreas; nonnulla etiam ſermonis adeo profundi, adeo prolixi, ut vix Tractatum unum, niſi egregie curras, anni unius ſpatio dimetiri poſſis.

His, benevole Lector, rationibus vel ratiunculis, quibus nonnihil pretii dederunt amicæ Juventutis blanditiæ, cedendum ratus, operoſam novi laboris provinciam ſuſcepi. Si ægre fers, dolebo quidem, ſed non feram impatienter. Interim eſt unde mœrorem tuum lenire queam. Unde, inquis? paucis accipe. Librum noſtrum vel ex titulo improbas, ne emito. Emiſti incautus, ne legito. Legiſti quaſi aliud agens, contemnito. Ego contra, quæ in lucem dabis, & emam, & legam, & demirabor.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TRACTATUUM,

Capitum, Articulorum, Sectionum, & Quæſtionum.

TRACTATUS *de Sacramentis in genere.* Pag. 1

CAPUT I. *De Sacramenti nomine, natura, exiſtentia, & neceſſitate.* ibid.

ARTICULUS I. *De nomine & natura Sacramenti.* ibid.

Concluſio I. *Sacramenta neque ſunt ſigilla divinæ promiſſionis, nec mera noſtræ in Deum pietatis ſigna, nec utrumque ſimul.* 3

Concl. II. *Sacramentum ut ſic, rite definitur: Signum ſenſibile a Deo permanenter inſtitutum, ad conſecrandum exterius hominem Deo, & producendam in eo gratiam ſanctificantem.* 4

Objectiones. 5

An Sacramenta debeant ſignificare gratiam, quæ in ipſo Sacramenti uſu conferatur. 7

ARTICULUS II. *De Sacramentorum neceſſitate & exiſtentia.* 8

Concluſio I. *Nulla fuere in ſtatu innocentiæ Sacramenta.* ibid.

An extitura fuiſſent Sacramenta in illo ſtatu ſi perſeveraſſet. 9

Concl. II. *Extitit aliquod in lege naturæ Sacramentum contra peccatum originale.* ibid.

Objectiones. 10

Concluſio III. *Sua etiam fuerunt Moſaicæ Legi Sacramenta.* 12

I. *Quomodo dividi poſſint Scriptæ Legis Sacramenta.* ibid.

II. *An ritus Legis veteris fuerint Sacramenta proprie dicta.* ibid.

Concluſio IV. *Habet etiam Lex Chriſti Sacramenta ſua, eaque ſeptem numero, non plura, nec pauciora.* 13

Objectiones. 14

CAPUT II. *De cauſis Sacramentorum.* 20

ARTICULUS I. *De cauſa efficiente Sacramentorum.* ibid.

SECTIO I. *De Auctore Sacramentorum.* 21

Concluſio I. *Chriſtus omnia Legis novæ Sacramenta inſtituit immediate.* ibid.

Objectiones. 22

I. *An de fide ſit Chriſtum immediate inſtituiſſe Sacramenta.* 23

II. *An Chriſtus Sacramenta inſtituerit non ſolum ut Deus, ſed & ut homo.* ibid.

Concluſio II. *Non potuit communicari puræ creaturæ relative ad Sacramentorum inſtitutionem poteſtas, qualis fuit in Chriſto: potuit tamen hæc communicari creaturæ in gradu inferiori.* ibid.

Objectiones. 24

SECTIO II. *De Miniſtro Sacramentorum.* ibid.

PUNCTUM I. *De probitate Miniſtri.* 26

§. I. *An malus Miniſter valide conficiat Sacramenta.* ibid.

Concluſio. *Valent Sacramenta a Miniſtro etiam improbo rite confecta.* ibid.

Objectiones. 28

§. II. *An peccet malus Miniſter Sacramenta conferendo.* 30

Concluſio. *Peccat mortaliter per ſe loquendo, ſaltem qui ex officio Sacramenta in ſtatu peccati mortalis conficit, vel adminiſtrat.* 31

Objectiones. 32

Quid de iis ſtatuendum ſit, qui in peccato mortali ſacram concionem habent. 35

§. III. *An liceat Sacramenta recipere a malo Miniſtro.* 36

An non ſolum ab hujuſmodi viris recipi poſſint Sacramenta, ſed & peti debeant. 38

Concluſio. *Licet a malo Miniſtro petere & recipere Sacramenta, ſi ſufficiens adſit neceſſitas: hæc autem pro conditione Miniſtrorum gravior, aliquando minus gravis eſſe debet.* ibid.

PUNCTUM II. *De fide Miniſtri.* 41

Concluſio I. *Fides Miniſtri non eſt abſolute neceſſaria ut vere & valide conficiatur*

Digitized by Google

Sacramentum: unde valet Sacramentum a quibuſcumque hæreticis rite collatum. 45
Objectiones. 45
Concl. II. *Stephanus in errorem errori Cyprianico contrarium lapſus non eſt; nec proinde ratum habuit Baptiſma contra ſolemnem Eccleſiæ formam collatum.* 52
Objectiones. 54
Concluſio III. *Stephanus cenſuram quidem comminatus eſt Cypriano, aliiſque Rebaptizantibus, ſed hæſit intra minas.* 55
Objectiones. 57
Concluſio IV. *Cyprianus, ejuſque ſequaces Epiſcopi, natam de Hæreticorum Baptiſmo controverſiam non ad fidem, ſed ad diſciplinam revocaſſe videntur* 60
Objectiones. 61
Concluſio V. *Tranſmarinum Concilium, cui, ominante Auguſtino ceſſiſſet Cyprianus, eſt, juxta eumdem Auguſtinum, ipſum Romani Pontificis Concilium, in quo res fidei agitari & definiri conſueverant.* 64
Objectiones. 65
Concluſio VI. *Paulo probabilius videtur, Nicænam Synodum, eam eſſe quæ Auguſtino litem rebaptizationis diremiſſe viſa eſt.* 67
Objectiones. 69
Concluſio VII. *Pie quidem præſumi poteſt, Cyprianum ante mortem reſipuiſſe; ſed ſiſtendum intra puræ præſumptionis fines.* 72
Objectiones. 73
PUNCTUM III. *De intentione Miniſtri.* 74
§. I. *An neceſſaria ſit intentio interna.* 76
Concluſio I. *Ad validitatem Sacramenti non ſufficit intentio jocandi, ſed requiritur vera, quæcumque tandem ea ſit, intentio faciendi id quod facit Eccleſia.·. vera, ubicumque ea ſit.* 78
Objectiones. 79
Concl. II. *Ad Sacramenti validitatem non requiritur intentio explicita producendi effectum Sacramenti: imo nec requiritur intentio explicita vel conficiendi Sacramenti, vel celebrandi ritum externum, ut in ſe revera & abſolute ſacrum.* 85
Objectiones. 87
Concluſio III. *Intentio externa, qua quis ritum ab Eccleſia præſcriptum, exterius quidem ſerio peragit, ſed intus vel deridere tantum & fingere, vel ut rem mere naturalem aut profanam exercere vult, non autem formaliter ut ritum Eccleſiæ, aut ſacram in ea cæremoniam; nullibi ſufficit ad valorem Sacramenti.* 88
Expenduntur alterius partis momenta. 93
Solvuntur quædam dubia. 125
I. *An ſi forte caruerit Miniſter intentione debita, ſuppleatur defectus ille ſeu a Deo in infantibus, ſeu per devotionis ſenſum in adultis.* ibid.
II. *Quam graviter peccet, qui ſine intentione interna ſacramentalem formam applicat materiæ.* 126
III. *An is peccet, qui non habet explicitam intentionem, aut ſacramentalem effectum producendi, aut conficiendi Sacramentum, aut celebrandi rem in ſe revera & abſolute ſacram.* ibid.
IV. *An qui retenta intentione Sacramentum ad ſalutem neceſſarium, irritum fecit, ſeipſum etiam cum vitæ periculo prodere teneatur.* ibid.
V. *An intentio errans poſſit eſſe interna.* 127
VI. *An intentione legitima præditus cenſeri poſſit, qui cogente mortis metu Sacramentum confert.* 128
VII. *an valeat Sacramentum ſi Miniſter intentiones habeat oppoſitas.* ibid.
§. II. *An neceſſaria ſit intentio actualis.* ibid.
Concluſio I. *Ad validam Sacramenti confeſſionem non ſufficit intentio habitualis, vel interpretativa.* 129 *Objectiones.* ibid.
Concl. II. *Ad valorẽ Sacramenti non requiritur intentio actualis, ſed ſufficit virtualis.* 133

§ III.

§. III. *An intentio debeat eſſe abſoluta.* 135

Concluſio I. *Valet Sacramentum collatum ſub conditione de præterito aut de præſenti, ſi purificata ſit conditio; non valet vero collatum ſub conditione libere futura, niſi forte in caſu Matrimonii.* 135

Objectiones. 136

Concluſio II. *Nunquam licet apponere Sacramentis conditionem de futuro; de præterito autem vel de præſenti quandoque licet, quandoque non.* 137

Concluſio III. *Cum Sacramentum datur ſub conditione, non opus eſt ut conditio voce exprimatur.* 139

ARTICULUS II. *De cauſa materiali Sacramentorum.* ibid.

Utrum intentio Miniſtri ſit etiam pars Sacramenti intrinſece conſtitutiva. 141

SECTIO I. *De materia & forma Sacramentorum.* 142

PUNCTUM I. *An Sacramentum omne materia & forma conſtet.* ibid.

Concluſio I. *Omnia Legis antiquæ Sacramenta conſtabant rebus ut materia: ſed non omnia conſtabant verbis.* 143

Concluſio II. *Quodlibet Legis novæ Sacramentum conſtat materia & forma.* ibid.

Objectiones. 144

An & quatenus materia & forma ſibi coexiſtere debeant, ſeu, ut brevius ajunt, quæ debeat eſſe utriuſque ſimultas. ibid.

PUNCTUM II. *An Chriſtus Sacramentorum materias & formas determinaverit.* 145

Concluſio I. *Res & verba Sacramentorum ſaltem quoad ſubſtantiam & genus determinata ſunt a Chriſto.* 146

Concluſio II. *Probabilius eſt Chriſtum cujuſvis Sacramenti materiam & formam determinaſſe ſecundum ſpeciem.* 147

Objectiones. 148

PUNCTUM III. *An & quæ mutatio in materia vel forma Sacramentum irritet.* 151

Concluſio I. *Mutatio ſubſtantialis ſeu materiæ, ſeu formæ Sacramentum tollit & irritat, ſecus de mere accidentali.* ibid.

An qui aliquid quomodocumque mutat in forma Sacramentorum, ex intentione vel errorem vel novum ritum introducendi, conficiat Sacramentum. 153

Quid juris, ſi Miniſter erret circa termini ſacramentalis ſignificationem. 155

Concluſio II. *Qui materiam aut formam Sacramenti cujuslibet ſubſtantialiter immutat, lethaliter delinquit, qui vero accidentaliter, peccat aliquando mortaliter, aliquando non.* 158

PUNCTUM IV. *An forma Sacramentorum ſit conſecratoria.* 159

Concluſio. *Nulla in verbis Sacramentorum requiritur concio; proindeque verba Sacramentorum vere ſunt conſecratoria.* ibid.

Objectiones. 161

ARTICULUS III. *De ſubjecto Sacramentorum.* 165

SECTIO I. *De intentione ad Sacramentorum receptionem neceſſaria.* 166

Concluſio I. *Invalide recipit Sacramentum adultus ſeu omnino reluctans, ſeu qui mere negative ſe habet.* ibid.

Objectiones. 167

Concluſio II. *Ut quis Sacramenta quædam valide recipiat, non requiritur actualis aut virtualis intentio, ſed ſufficit quandoque habitualis vel interpretativa.* 169

SECTIO II. *De diſpoſitionibus ad Sacramenta recipienda neceſſariis.* 171

Concluſio I. *Ad recipienda cetera preter Penitentiam Sacramenta, non requiritur fides.* ib.

Objectiones. ibid.

Concluſio II. *Ut Sacramenta vivorum cum fructu percipiantur, prærequiritur in ſubjecto gratia ſanctificans.* 172

SECTIO III. *An Sacramenta ficte ſuſcepta, ſublata fictione reviviſcant.* 176

Concluſio I. *Sublata fictione reviviſcit Baptiſmus, ac proinde non ſolum fictionis venia, ſed & Baptiſmi effectus, nimirum gratia regenerativa recipitur.* 177

Objectiones. 179

I. An

INDEX TRACTATUUM,

I. *An Baptiſmus reviviſcens conferat effectum omnem, quem conferre ſolet, cum pie recipitur.* 182

II. *An Sacramenta ablato obice rediviva, æqualem conferant gratiam, an vero majorem pro majoris diſpoſitionis gradu.* ibid.

SECTIO IV. *De diſpoſitionibus neceſſariis ut reviviſcat Baptiſmus.* 183

Concluſio. *Ut reviviſcat Baptiſmus cum fictione poſitiva receptus, requiritur vel contritio perfecta extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel attritio cum eodem Sacramento. Ut vero reviviſcat idem Baptiſmus cum fictione negativa ſuſceptus, ſufficit attritio, ſeu contritio imperfecta.* 184

Objectiones. 185

SECTIO V. *An liceat Sacramenta adminiſtrare peccatoribus.* 186

Concluſio I. *Peccatori undecumque notorio Sacramenta, etiam publice petenti negari debent, excepta tamen Pœnitentia, & nonnunquam Matrimonio.* 187

Concluſio II. *Peccatoris occulto occulte petenti Sacramentum negari debet, niſi Miniſter peccatum ejus reſcierit per Confeſſionem. Idem faciendum, ſi coram iis petat, quos de crimine ejus certiores factos eſſe conſtet.* 191

Concluſio III. *Peccatori occulto Sacramentum publice petenti, negari non debet.* 192

Objectiones. 193

I. *An non vitandæ impietatis cauſa poſſit impio tradi hoſtia minime conſecrata.* 195

II. *An relative ad Sacramenta dignus cenſeatur, quem non conſtat eſſe indignum; & utrum Miniſter aliquam adhibere debeat diligentiam, ut ſibi moraliter conſtet de dignitate petentis.* ibid.

CAPUT III. *De effectibus Sacramentorum.* 196

ARTICULUS I. *De Gratia ſacramentali.* ibid.

SECTIO I. *An Sacramenta producant gratiam.* 197

Concluſio. *Sacramenta novæ Legis gratiam producunt proxime & immediate.* ibid.

Objectiones. 199

SECTIO II. *Qualem Sacramenta producant gratiam.* 202

Concluſio II. *Sacramenta mortuorum, per ſe & primario gratiam primam producunt, & per accidens ſecundam.* ibid.

Concluſio II. *Singula Sacramenta gratiam ſacramentalem, ſeu uniuſcujuſque Sacramenti propriam producunt: hæc vero gratia eſt ipſamet gratia ſanctificans, prout annexum habet jus ad gratias actuales, quibus Sacramenti finis obtineri poſſit.* 203

Objectiones. 204

An Sacramenta in voto producant gratiam ſacramentalem. 206

Concluſio III. *Sacramenta ſolo numero diſtincta, ut duo Baptiſmi, æqualem in ſubjectis æque diſpoſitis, inæqualem vero in ſubjectis inæqualiter diſpoſitis gratiam producunt; Sacramenta vero ſpecie diſtincta, ut Euchariſtia & Baptiſmus inæqualem.* 207

Objectiones. ibid.

SECTIO III. *De modo quo Sacramenta gratiam producunt.* 209

Concluſio I. *Sacramenta producunt gratiam ex opere operato.* 210

Objectiones. 211

Concluſio II. *Sacramenta gratiam non producunt phyſice.* 215

Objectiones. 218

Concluſio III. *Sacramenta gratiam moraliter operantur.* 224

Objectiones. 225

SECTIO IV. *De efficientia Sacramentorum antiquæ Legis.* 226

Concl. I. *Sacramenta Legis antiquę in uſu gratiā conferebant quocumq; tandem modo.* 228

Objectiones. 229

Concluſio II. *Sacramenta Legis antiquæ, præter Circumciſionem, non conferebant gratiam ex opere operato.* ibid.

Objectiones. 231

Concluſio III. *Sacramenta Moſaica gratiam producebant ex opere operantis.* 236

Objectiones. ibid.

Con-

Digitized by Google

Concluſio IV. *Certum non eſt Circumciſionem inſtitutam fuiſſe in remiſſionem peccati originalis.* ibid.
Objectiones. 238
An admiſſa Auguſtini ſententia, qualem admiſit ipſe, Circumciſio labem originalem deleverit ex opere operato. 240
ARTICULUS II. *De charactere.* 242
SECTIO I. *An & per quæ Sacramenta imprimatur character.* 243
Concluſio I. *Datur character ſacramentalis.* ibid.
Objectiones. 244
Concluſio II. *Baptiſmus, Confirmatio & Ordo characterem imprimunt, non alia Sacramenta.* 247
Objectiones. 248
SECTIO II. *De eſſentia characteris.* 250
Concluſio I. *Character non eſt meræ rationis relatio, ſed denominatio extrinſeca.* 251
Objectiones. ibid.
Concluſio II. *Character eſt ens reale, cui tamen annexa eſt multiplex relatio.* 252
Objectiones. ibid.
SECTIO III. *Expenduntur nonnulla de charactere.* 253
I. *Quodnam ſit ſubjectum characteris.* ibid.
II. *An character ſit prorſus indelebilis.* 254
III. *An character ſit indiviſibilis.* 255
CAPUT IV. *De Cæremoniis & Sacramentalibus.* ibid.
ARTICULUS I. *De Cæremoniis.* ibid.
Concluſio I. *Potuit & poteſt Eccleſia ſacros ad Dei cultum ritus inſtruere.* 256
Concluſio II. *Ritus ab Eccleſia inſtituti pie & laudabiliter inſtituti fuere.* 258
Objectiones. 261
Concl. III. *Peccat mortaliter qui eſſentiales vel integrantes ritus omittit; qui vero ſolum accidentales aliquos, venialiter tantum, niſi adſit ſcandalum aut contemptus.* 263
ARTICULUS II. *De Sacramentalibus.* ibid.
I. *An antiquus ſit eorum uſus.* 264
II. *An gratiam per ſeipſa producant.* ibid.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

CAPUT I. *De nomine, natura & diviſione Baptiſmi.* 267
CAPUT II. *De inſtitutione Baptiſmi.* 269
ARTICULUS I. *An idem ſit Chriſti Baptiſmus, qui Joannis.* ibid.
Concluſio. *Baptiſmus Joannis non fuit veri nominis Sacramentum.* 270
Objectiones. 273
ARTICULUS II. *Quo tempore Chriſtus Baptiſmum inſtituerit.* 275
Concluſio I. *Chriſtus Baptiſmum ante mortem ſuam inſtituit.* 276
Objectiones. 277
Concluſio II. *Chriſtus nec antequam baptizaretur a Joanne, neque dum ab eo baptizatus eſt, neque dum colloqueretur cum Nicodemo Baptiſmum inſtituit.* 279
Concluſio III. *Ergo Chriſtus Baptiſmum inſtituit ſub illud tempus quo miſit Apoſtolos ſuos prædicare & baptizare.* 280
ARTICULUS III. *Quando obligare cœperit Lex Baptiſmi.* ibid.
Concluſio I. *Lex Baptiſmi ante Chriſti mortem non obligavit, utilis tamen erat Baptiſmi receptio.* ibid.
Concluſio II. *Neque etiam obligavit Lex Baptiſmatis ſtatim a morte Chriſti, ſed tantum poſt ſufficientem ejus promulgationem.* 281
CAPUT III. *De materia Baptiſmi.* 282
ARTICULUS I. *De materia remota Baptiſmi.* ibid.
Concluſio. *Materia remota Baptiſmi, eaque neceſſaria, eſt aqua ſola naturalis, ſeu elementaris.* 283

Digitized by Google

ARTICULUS II. *De materia proxima Baptiſmi.* 289
Concluſio I. *Baptiſmus ſolemnis ab Apoſtolorum ævo uſque ad ſæculum decimum tertium per trinam immerſionem collatus eſt : valet tamen collatus ſeu per aſperſionem ſeu per infuſionem ſucceſſive factam.* ibid.
An ad Baptiſmum ſufficiat ablutio occiſiva. 300
Concluſio II. *Ablutio priori modo occiſiva ſufficit ad Baptiſmum; quæ autem ſecundo modo occiſiva eſt non videtur ſufficere.* ibid.
Objectiones. 301
Concluſio III. *Extra neceſſitatem nec abluenda proles donec prodierit ex utero matris, nec ubi prodiit, alibi quam in capite abluenda.* 303
CAPUT IV. *De forma Baptiſmi.* ibid.
ARTICULUS I. *An neceſſaria ſit ſemperque fuerit in Baptiſmo diſtincta Trinitatis invocatio.* 304
Concluſio I. *Ad valorem Baptiſmi requiritur diſtincta trium perſonarum invocatio.* 305
Objectiones. 306
Concluſio II. *Multo probabilius eſt nunquam valuiſſe Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum; valuiſſe tamen cenſerunt viri graves.* 309
Objectiones. 311
ARTICULUS II. *An in Baptiſmi forma exprimi debeat actio Miniſtri, &c.* 313
Concluſio I. *Ad validitatem formæ Baptiſmalis haud neceſſarium eſt ut vel pronuntietur pronomen* Ego; *vel verbum* Baptizo *active proferatur.* ibid.
Concluſio II. *Hæc verba* Baptizo te, *aut alia æquivalentia, citra periculum nullitatis in forma Baptiſmi omitti non poſſunt.* 314
Objectiones. 315
Concuſio III. *Melius & tutius cenſent qui particulam* In, *ad validitatem Sacramenti neceſſariam eſſe credunt.* 317
Concluſio IV. *Vocula* nomine *ad ſubſtantiam Baptiſmi prorſu neceſſaria eſt: unde non ſtabit Sacramentum ſi quis vel* in nominibus Patris, *&c. vel* in Patre, & Filio, *&c. baptizet.* 318
An valeat Baptiſmus, ſi uſitatæ formæ terminis termini ſubſtituantur æquivalentes. ib.
ARTICULUS III. *De forma Græcorum.* 320
Concluſio I. *Græcorum forma non deprecativa eſt aut imperativa,* Baptizatur, *ſed indicativa,* Baptizetur ſervus Dei *N.* in nomine Patris, *&c.* ibid.
Concluſio II. *Perantiqua eſt, quæ a Græcis adhibetur Baptiſmi formula.* ibid.
Quorſum Græci in ea qua utuntur forma perſonam Miniſtri non exprimant. 321
Concluſio III. *Valet citata Baptiſmi forma.* ibid.
CAPUT V. *De Miniſtro Baptiſmi.* 322
Concluſio I. *Omnis viator homo, ſeu vir, ſeu mulier, fidelis aut infidelis, baptizatus vel non baptizatus, in caſu neceſſitatis poteſt licite baptizare.* 323
Objectiones. 326
Concluſio II. *Epiſcopus eſt ordinarius Baptiſmi Miniſter; eſt & Sacerdos, ſed cum ſubordinatione & dependentia ab Epiſcopo.* 331
Objectiones. 332
Concluſio III. *Diaconus eſt etiam ſolemnis Baptiſmi Miniſter, ſed extraordinarius.* 333
Objectiones. ibid.
Solvuntur dubia circa Miniſtrum Baptiſmi. 334
I. *An & quis inter Miniſtros Baptiſmi ſervandus ſit ordo in caſu neceſſitatis.* ibid.
II. *An liceat extra Eccleſiam baptizare, ubi nulla urget neceſſitas.* 335
III. *An ſi infans domi tingatur, adhibendæ ſint cæremoniæ baptiſmales.* 336
IV. *An Parochus aliquando propria auctoritate Baptiſmum infantis differre poſſit.* ibid.
V. *An Parochus cui offertur baptizanda proles ex illegitimo concubitu nata, poſſit Baptiſmum negare, niſi mater genitorem revelet.* ibid.
VI. *An teneatur obſtetrix formam & modum Baptiſmi callere.* ibid.
VII. *An pater propriam prolem baptizare queat.* 337

VIII. An

VIII. *An unus poſſit plures baptizare.* ibid.
IX. *An poſſit quis ſeipſum baptizare.* ibid.
X. *An plures eumdem ſimul baptizare poſſint.* ibid.
CAPUT VI. *De Patrinis.* 340
I. *An Patrini ſint neceſſarii.* ibid.
II. *Quæ ſint Patrinorum officia.* 341
III. *An omnes promiſcue ad officium Patrini a parentibus invitari, aut a Parochis admitti poſſint.* ibid.
IV. *Quot admitti debeant a Parocho Patrini.* 343
V. *Quæ ſint Parochorum in hac materia obligationes.* ibid.
CAPUT VII. *De ſubjecto Baptiſmi.* 345
ARTICULUS I. *De Baptiſmo infantium.* ibid.
SECTIO I. *De infantibus ut ſic relative ad Baptiſmum.* ibid.
Concluſio I. *Infantes Baptiſmi capaces ſunt, & ideo valide baptizantur.* 347
Objectiones. 352
Concl. II. *Non tantum licet, ſed & expedit parvulos ante rationis uſum baptizare.* 354
Objectiones. ibid.
Concluſio III. *Baptiſmus actualem nullam in infantibus ſupponit fidem, ſed fixam & intrinſece inhærentem cum gratia ſanctificante & annexis virtutibus producit,* 356
Objectiones. 359
SECTIO II. *An infantes omnes baptizari poſſint.* 360
Concl. I. *Parvuli in ſinu materno penitus abſconditi, non ſunt capaces Baptiſmatis.* 361
An matrem ſtatim morituram aperire liceat, ut infanti per Baptiſmum ſuccurratur. 362
Concluſio II. *Monſtra quæ ſunt mulierum partus, baptizari aliquando debent, aliquando non.* ibid.
An baptizandi ſint amentes & furioſi. 363
Concluſio III. *Poſſunt Chriſtiani Principes præcipere ut infidelium, ſibi politice dumtaxat ſeu civiliter ſubjectorum, filii invitis etiam parentibus baptizentur.* 365
Objectiones. 369
ARTICULUS II. *De Baptiſmo adultorum.* 371
Concluſio I. *Adulti omnes prorſus poſſunt, ſi velint, baptizari.* 372
Concluſio II. *In adultis, ut Baptiſmum valide recipiant, requiritur & ſufficit intentio illum recipiendi.* 373
Concluſio III. *In adulto, ut ceteros præter characterem effectus Baptiſmi recipiat, , requiritur fides, dolor de peccatis actualibus, ſpes veniæ, inchoatus Dei amor, & propoſitum ſervandi ac profitendi legem Chriſtianam. Non requiritur autem confeſſio vel ſatisfactio.* ibid.
An uſitata primis Eccleſiæ temporibus inſtruendorum Catechumenorum forma hodiedum ſit aut eſſe debeat in uſu. 376
CAPUT VIII. *De proprietatibus Baptiſmi.* 377
ARTICULUS I. *De neceſſitate Baptiſmi.* ibid.
Concluſio I. *Baptiſmus neque parvulis, neque adultis neceſſarius eſt de neceſſitate medii pro omni caſu.* 379
Concl. II. *Baptiſmus in re parvulis omnibus neceſſarius eſt extra caſum martyrii.* ibid.
Objectiones. 381
Concluſio III. *Baptiſmus in re vel in voto adultis omnibus neceſſarius eſt neceſſitate tum medii, tum præcepti, extra martyrii caſum.* 385
Objectiones. 386
An neceſſarius ſit Baptiſmus, ut alia Sacramenta licite vel valide recipiantur. 389
Objectiones. 390
ARTICULUS II. *An Baptiſmus aquæ ſuppleri poſſit.* 391
SECTIO I. *An Baptiſmus ſuppleatur per Martyrium.* ibid.
Concluſio I. *Martyrium tam in infantibus, quam in adultis ſupplet effectum Baptiſmi, non tamen quemcumque.* 393

Obje-

Objectiones. 395
Concluſio II. *Martyrium quaſi ex opere operato ſupplet Baptiſmi vices in infantibus, & in ipſis etiam adultis quantum ad relaxationem pœnæ peccato debitæ; an quantum ad remiſſionem culpæ non omnino conſtat.* 397
I. *An liceat offerre ſe Martyrio, & aliquando ſubſit obligatio illud ſubeundi.* 403
II. *Quo inſtanti Martyrium operetur quoad remiſſionem pœnæ.* ibid.
SECTIO II. *An Baptiſmus aquæ ſuppleri poſſit per Baptiſmum flaminis.* 404
Concluſio I. *Baptiſmus flaminis ſupplet in adultis vices Baptiſmi aquæ, quoad gratiæ infuſionem, & remiſſionem culpæ ſufficienter retractatæ.* ibid.
Objectiones. 405
Concluſio II. *Baptiſmus flaminis non ſupplet vices Baptiſmi aquæ, quoad remiſſionem pœnæ peccatis debitæ.* 409
ARTICULUS III. *De unitate Baptiſmi.* 410
Concluſio. *Baptiſmus ſemel tantum eidem homini conferri valide poteſt.* ibid.
An Baptiſma ab Hæreticis noſtri temporis collatum iterari poſſit ſub conditione. 414
CAPUT IX. *De effectibus Baptiſmi.* ibid.
Concluſio I. *Baptiſmus, ſecluſo obice, tollit omne peccatum, tam originale quam actuale: unde & confert gratiam qua homo interius renovetur, & ſanctificetur.* 415
Objectiones. 416
Concluſio II. *Baptiſmus, ſecluſo obice, pœnam omnem peccatis debitam remittit.* ibid.
An effectus Baptiſmi æqualis ſit in omnibus baptizatis. 417
CAPUT X. *De Cæremoniis Baptiſmi.* 418
I. *An redarguenda præſens Eccleſiæ praxis, quæ contra priſtinum morem infantes quovis tempore baptizari jubet.* 420
II. *Quo in loco conferri debeat Baptiſmus.* ibid.
III. *An ſuppleri debeant cæremoniæ, quæ in Baptiſmo prætermiſſæ fuerint, ſive ex contemptu, ſive in caſu neceſſitatis.* ibid.

FINIS INDICIS.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. Fra Paolo Tomaſo Manuelli Inquiſitor General del Santo Uffizio di Venezia nel Libro intitolato, *Continuatio Prælectionum Theologicarum Honorati Tournely, ſive Tractatus de Univerſa Theologia Morali Tomus IV. continens Tractatus de Sacramentis in genere, & de Baptiſmo;* non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Prencipi, e buoni coſtumi, concedemo Licenza a Niccolò Pezzana, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 20. Gennaro 1748.

(*Barbon Moroſini Cav. Proc. Rif.*
(*Marco Foſcarini Cav. Proc. Rif.*

Regiſtrato in Libro a Carte 41. al Num. 347.

Michiel Angelo Marino Segr.

Regiſtrato al Magiſtrato Eccellentiſs. contro la Beſtemia.

Franceſco Gadaldini Segr.

TRACTATUS
DE
SACRAMENTIS
IN GENERE.

ETSI Sacramentorum materia poſt ceteras Theologiæ partes agitari ſolet, earum tamen nulli vel utilitate cedit, vel argumenti difficultate. In ea videlicet ſæpius occurrit tuenda contra Hæreticos, qui fontes ſalutis perturbarunt, Eccleſiæ fides. Hic aſſerenda ſua myſteriorum noſtrorum cæremoniis dignitas: emetiendum difficile metaphyſicarum quæſtionum iter; quodque laboris noſtri hactenus caput & ſumma fuit, evolvendi qui ubertim hac in parte ſcaturiunt, & a pluribus Theologis omittuntur, conſcientiæ caſus. Id ut aſpirante ſuperni favoris aura jam nunc exequamur, præſentem Tractatum dividemus in quatuor Capita: primum, Sacramenti nomen, naturam, exiſtentiam & neceſſitatem indagabit; ſecundum, cauſas primarias expendet; tertium, vim & effectus; quartum, cæremonias & Sacramentalia inveſtigare conabitur.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramenti nomine, natura, exiſtentia & neceſſitate.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & natura Sacramenti.

SAcramenti nomen derivatur *a Sacro*, idque propter ordinem quem *S. Th. 3.*
ad rem ſacram habet, non ſolum apud Chriſtianos, ſed & apud *p. q. 60.*

Gentiles, prout contra quoſdam Eccleſiaſtici ſermonis irriſores, (Socinianos præſertim, qui Sacramenti nomen faſtidioſe etiamnum abjiciunt) obſervat Valentia tom. 4. diſp. 3. q. 1. punct. 1.

Scilicet enim Sacramentum apud veteres Romanos ſignificabat 1. pignus a litigantibus, apud Pontificem in loco ſacro deponi ſolitum, ea conditione ut qui cauſa caderet, pateretur jacturam pecuniæ ſuæ, eaque in ærarium & uſus ſacros cederet. Hæc acceptio Sacramentis noſtris apprime quadrat: ſunt enim hæc, pignora quædam quibus nos & quidquid noſtrum eſt devovemus & conſecramus in obſequium Dei, iſque viciſſim ſuam nobis gratiam ſpondet & oppignorat.

2. Sacramenti nomen idem erat ſæpius ac juramentum, quia juramentum divini Numinis invocatione perficitur. Hinc Sacramentarii dicebantur qui per jusjurandum militiæ nomen dabant. Hinc etiam Horatius Ode 17. Lib. 2. *Non ego perfidum dixi Sacramentum*. Neque hæc Sacramenti acceptio penitus obſolevit: unde Auth. unica Lib. 2. tit. 28. Cod. præcipit Fridericus ut *Sacramenta*, ſeu juramenta *puberum ſponte facta ſuper contractibus rerum ſuarum non retractandis, inviolabiliter cuſtodiantur*. Hæc quoque notio Chriſtianis Sacramentis egregie convenit: cum per ea & Deo cultum atque religionem quaſi ſolemni obteſtatione ſpondeat homo; & homini ſalutem polliceatur Deus.

3. Sacramentum plerumque in Scripturis ſumitur pro re latente & ſecreta: ſic Tobiæ 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*. Cum autem arcana res, idem ſit Græcis ac myſterium, hinc quod Latini Sacramentum, illud Græci myſterium vocant. Quamquam myſterii nomine quandoque exprimitur actio qua quis initiatur, & inungitur ad ſacra; unde Myſtes dicitur qui ſacrorum antiſtes conſecratus fuerit. Utrolibet porro ſenſu Sacramenta noſtra, Sacramenta ſunt; ſignificant enim & ſub ſenſibili involucro occultant latentia gratiæ dona: aliunde vero hominem ſacris initiant, & ad ſacra inungunt.

4. denique Sacramentum accipitur pro myſtico rei occultæ ſigno; ſic Epheſ. 5. ait Apoſtolus *Sacramentum hoc magnum eſt*, id eſt, rem magnam ſignificat: & Apocal. 17. *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris*, id eſt, rem ſecretam quæ per mulierem deſignatur. Hæc acceptio maxime eſt præſentis inſtituti.

Quod ſpectat ad eſſentiam Sacramenti, hæc aliter ab Heterodoxis, aliter a Catholicis conſtituitur. Hæretici eſſentiam Sacramenti ſumunt ex ordine quem dicit vel ad promiſſiones divinas de ſanctitate credentibus vel potius prædeſtinatis conferenda; vel ad cultum quem Deo ſpondent qui Sacramenta recipiunt; vel ad utrumque ſimul. Primo ſenſu definitur Sacramentum a Luthero Lib. de captivit. Babylon. *Promiſſio ſigno externo annexa;* ſeu ut clarius loquitur Kemnitius, *Signum materiale præceptum in novo Teſtamento obſignans inſtar ſigilli promiſſionem gratiæ*. Secundo ſenſu definitur a Zvvinglio, *Oppignoratio, qua ſe homines obligant Chriſto, ejuſque religioni dant nomen:* Tertio demum ſenſu definitur a Calvino Lib. 4. Inſt. cap. 14. *Symbolum externum, quo benevolentiæ erga nos ſuæ promiſſionem conſcientiis noſtris Dominus obſignat, ad ſuſtinendam fidei noſtræ imbecillitatem*.

Longe alia eſt definitio Sacramenti apud Catholicos: hi nempe Sacramen-

menti eſſentiam reponunt in ſigno ſanctitatis productivo. Verum in quo ſita ſit ea ſanctitas, & quomodo conferenda ſit, non omnes pari ratione explicant; non quod circa ipſam Sacramentorum novæ Legis *quidditatem* incerti ſint; ſed quia vetera ſimul & nova Sacramenta generali definitione complecti volunt, quod difficile eſt. Quid ea de re tenendum ſit gemina theſi aperiemus, quarum Novatores perſtringet altera, altera Catholicos quoſdam amice confutabit.

CONCLUSIO I. Sacramenta neque ſunt ſigilla divinæ promiſſionis, nec mera noſtræ in Deum pietatis ſigna, nec utrumque ſimul.

Prob. 1. pars: quia quod divinæ promiſſionis ſignum eſt, ſignum eſt divinæ prædeſtinationis; cum in ſyſtemate Calvini, divina promiſſio nonniſi in prædeſtinatos cadat: atqui Sacramenta non ſunt ſigna divinæ prædeſtinationis; quandoquidem fide certum ſit, ea etiam a reprobis recipi poſſe, ut patet in proditore Juda; ergo.

Prob. 2. pars, 1. quia ideo præciſe Calviniani volunt Sacramenta, mera noſtræ pietatis & fidei ſigna eſſe, quia non aliam iis vim ac efficaciam eſſe credunt, quam ut fidem objective moveant & excitent, non vero ut gratiam efficienter pariant: atqui hæretica eſt iſthæc Novatorum opinio, ut alibi oſtendemus: ergo. 2. quia ſi Sacramenta ſint tantum ſigna fidei excitativa, nihilo plus proderunt quam ſacra concio; cum hæc fidem vividius ſæpe moveat & excitet, quam Sacramentum: imo Baptiſmus infanti aut perpetuo amenti collatus, non erit veri nominis Sacramentum; cum in neutro fidem excitare poſſit: atque abſurdum eſt conſequens, totiſque velis ad Anabaptiſmum conducit; ergo.

Prob. 3. pars, quia ſi cuilibet Sacramento eſſentiale ſit ut gratiam, eamque interiorem, non autem in ſola & externa peccati non imputatione conſtitutam producat, jam impoſſibile eſt ut Sacramentum vel in ſolo divinæ promiſſionis ſigillo, vel in ſolo fidei noſtræ ſigno, vel in utroque ſimul conſiſtat: atqui omni & cuilibet Sacramento eſſentiale eſt ut gratiam producat, prout dicemus infra: neque gratia hæc in ſola peccati non imputatione ſita eſt, ut alio in Tractatu probant Catholici Doctores, ergo.

Aliter primam theſis hujus partem probant Juenin, Henno, &c. ſic nempe diſcurrunt: Quod rem confirmat & ſigillat, ea clarius & notius eſſe debet: atqui Sacramenta nec notiora ſunt, nec certiora divinis promiſſionibus. Quippe, inquiunt, divinæ promiſſiones nihil aliud ſunt quam Dei verbum: porro Sacramenta nec certiora ſunt, nec notoria Dei verbo; cum de eorum exiſtentia nonniſi per Dei verbum certi ſimus; ergo.

Verum probatio hæc duplici ex capite difficilis videtur: 1. quia cum ſigillum & res ſigillo confirmata ex eodem fonte, nempe ex Scripturis habentur, ſufficit utrumque & ſimul & pari gradu cognoſci, nec proinde abſolute neceſſum eſt aliud alio certius eſſe & clarius: porro promiſſiones a Deo factæ, & Sacramenta perinde habentur ex Scripturis; 2. quia quod Sacramenta divinę promiſſionis ſignacula dicantur, nihil in ſe habet mali; ſicut nec malum eſt quod *magnam* dicantur habere *vim ad fidem in animis noſtris excitandam*, prout ex Catechiſmo Concilii Trid. obſervat Tournely: ergo non ideo præciſe culpandi ſunt Novatores, quod per Sacramenta divinas promiſſiones obſignari velint; *Catech Trid. p. 2. n. 13.*

Digitized by Google

ſed quia totam eorum vim in hac obſignatione collocant : quæ notio quia mutila, & hæretice mutila, procul amandari debet.

Conclusio II. Sacramentum ut ſic, rite definitur: Signum ſenſibile a Deo permanenter inſtitutum, ad conſecrandum exterius hominem Deo, & producendam in eo gratiam ſanctificantem.

Prob. 1. ea legitima eſt Sacramenti definitio, quæ totam ejus rationem per genus & differentiam exprimit; & quæ proinde omni & ſoli Sacramento convenit: atqui talis eſt allata definitio. Per eas quippe voces, *ſignum ſenſibile*, Sacramentum convenit cum ſignis omnibus cujuſcumque ſint ordinis; per ceteras vero voces ab iiſdem diſcrepat, puta a lotione pedum, de qua ſermo eſt Joan. 13. quia hæc *permanenter* inſtituta non fuit; ab arca fœderis, cum hæc hominem Deo per ſe non conſecraret; a Tonſura Clericali, & Regum noſtrorum unctione; quia hæc a Deo minime inſtituta ſunt; ergo.

Prob. 2. explicando ſingulas prædictæ definitionis partes, & oſtendendo earum nullam eſſe quæ redundet: 1. enim Sacramentum dicitur *ſignum ſenſibile*; quo nomine non elementum modo, vel ſubſtantia, ſed & actio ſenſibilis intelligitur, ut in Pœnitentia abſolutio Sacerdotis, vel contritio exterius a pœnitente demonſtrata: porro ſignum eſſe ſenſibile, convenit omnibus Sacramentis quæ hactenus inſtituta fuere. Signum enim eſt res rei alterius manifeſtativa, ſeu ut loquitur Auguſtinus Lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 1. eſt *res quæ præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, alind aliquid facit in cognitionem venire*: atqui nullum eſt aut unquam fuit Sacramentum, quod præter ſpeciem quam ingerebat ſenſibus, non deduxerit in alterius rei cognitionem; ſic baptiſmalis aqua præter ablutionis exterioris ſpeciem quam exhibet ſenſibus, interiorem animæ munditiam repræſentat; ergo. Et vero tametſi cenſent plures haud fuiſſe abſolute neceſſum, ut Sacramentum ſenſibile foret, fatentur tamen hi ſatius fuiſſe ut idem a Deo in ſenſibili ſigno conſtitueretur; tum quia id quod ſub ſenſus cadit, magis accommodatum eſt homini, qui ex viſibilibus ad inviſibilia deduci ſolet; tum quia per Sacramenta homines in unum viſibilis Eccleſiæ corpus coadunantur: atqui, ait Auguſtinus Lib. 19. contra Fauſtum, cap. 11. *in nullum Religionis nomen homines coadunantur, niſi aliquo ſignaculorum aut Sacramentorum viſibilium conſortio*; ergo.

Dicitur 2. *a Deo inſtitutum*, ſignum enim gratiæ ab eo ſolo inſtitui poteſt, qui gratiam exterioribus inſtrumentis annectere valet: atqui Deus ſolus &c.

Dicitur 3. *permanenter*, id eſt firma & ſtabili lege. Sacramenta enim, juxta Patres, ſunt velut Eccleſiæ columnæ, ſecundum id Proverb. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum*, id eſt Eccleſiam, *excidit columnas ſeptem*, id eſt ſeptem Sacramenta: porro columnæ durare firmiter debent quamdiu ſtat ipſa domus. Deinde Sacramenta eo ſunt inſtituta fine, ut per ea fideles in unam congregentur Eccleſiam, & in unitate fidei perſeverent; tandiu igitur ea ſubſiſtere oportet, quandiu vigebit Religio cujus in gratiam inſtituta fuere.

Dicitur 4. *ad conſecrandum exterius hominem Deo*: Sicut enim ornamentum dicitur ab ornando, ſic & Sacramentum dicitur a conſecrando, ſeu ab initiando active, quod & ſonat myſterii nomen: hinc quicumque

quę circumcidebatur, *univerſæ legis faciendæ debitor erat*; ob id ſane, quia per circumciſionis ſignum divino cultui ſpecialiter devinctus erat. Et vero quod hominem certæ Religioni addicit, eumdem formaliter ſacrat, ſeu divino cultui ſpecialiter devovet: atqui ex Auguſtino, Sacramentum hominem certæ addicit Religioni, eumque in Eccleſiæ corpus coadunat. Galat. 5. 3.

Is autem formalis effectus Sacramenti, iis etiam novæ legis Sacramentis convenit, quæ male ſuſcipiuntur; & hæc enim hominem moraliter ſacrant, ſeu Deo ſpecialiter devinciunt: ſic qui Euchariſtiam & Ordines lethali infectus tabe recipit, peculiari modo pertinet ad Chriſtum, ille velut ejus commenſalis, iſte tanquam ſacrorum Miniſter; tametſi neuter ſacer ſit vera ſanctitate, ſed potius execrabilis.

Dicitur 5. *& ad producendam in eo gratiam ſanctificantem*. Ipſa ſiquidem Moſaicæ Legis Sacramenta, de quibus lis tota eſt, non alio ſunt inſtituta fine, quam ut primario gratiam in ſuſcipiente parerent ſaltem ex opere operantis. Quis enim circumciſionis carneæ ſcopus, niſi ut inde quæreretur circumciſio cordis? Quo fine data Lex, niſi ut ipſius ope tanquam per pædagogum quæreretur Chriſtus? Certe media primario dantur propter finem: atqui vetera Sacramenta totidem erant media gratiæ ex opere operantis comparandæ; ergo.

Ex his inferes 1. Sacramentum habere rationem ſigni ſacri. Signum enim poteſt dici ſacrum, vel ex parte rei ſignificatæ quæ ſacra ſit & myſterii plena; vel ex parte ſubjecti, quod per hujuſmodi ſignum conſecretur, id eſt, ſpecialiter devoveatur divino cultui, ſive legaliter, quod etiam rebus inanimis, templis, v. g. vaſis & veſtibus competit; ſive perfecte quod fit per gratiam ſanctificantem: atqui Sacramenta quælibet utroque modo ſacra ſunt, licet non omnia juſtitiam eadem efficientia producant. Et quidem 1. ratione rei ſignificatæ Sacramenta vetera Chriſtum venturum, gratiamque per eum dandam ſignificabant; noſtra vero Chriſtum veniſſe, Evangeliique gratiam & ſignificant, & ex opere operato producunt; 2. Sacramenta ſunt ſigna ſeipſis ſacrantia, eis quibus applicantur, iiſque juſtitiam, ſuo quæque modo conferentia; ergo.

Inferes 2. nec manna etſi Euchariſtiæ figuram, nec tranſitum maris rubri etſi ſignum ſanctitatis per Baptiſmum conferendæ, nec æneum ſerpentem, etſi figuram Chriſti gratiæ auctoris, vera fuiſſe apud Judæos Sacramenta; quia ſigna hæc ſpeculativa erant, non practica, non ſeipſis ſacrantia. Idem eſt de aqua luſtrali apud Chriſtianos, de ſigno crucis, aliiſque cæremoniis id genus, quæ inſuper a ratione Sacramenti hinc deficiunt, quod a Chriſto inſtitutæ non ſint.

Objic. 1. Si Sacramentum ut ſic, ſit in genere ſigni, vel naturalis, vel arbitrarii ſeu *ad placitum*: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. cum aqua Baptiſmi gratiam ex natura rei non ſignificet. Non 2. quia ſignum ad placitum eſt ens rationis: quis porro Sacramenta rationis entia dicere auſit?

Reſp. ad 1. neg. min. & dico Sacramenta, ut pote quæ libera Dei voluntate inſtituta ſint, eſſe ſigna ad placitum.

Ad 2. neg. maj. generaliter intellectam. Etſi enim ſignum ſterile, qualis eſt hedera foribus appenſa reſpectu vini venalis, ens rationis dici poteſt, quod nihilominus tamen Scotiſtæ negant; haud tamen ens

rationis nuncupabitur ſignum efficiens, quale in Sacramentis reperitur: quia tunc imbibit rationem cauſæ, quæ eſt aliquid phyſici. Adde quod in concretis accidentalibus, qualia ſunt Sacramenta, præcipue conſideretur id quod materiale eſt: id autem quod in Sacramentis materiale eſt, pro ente rationis haberi nequit.

Objic. 2. Character Sacramentalis & corpus Chriſti in Euchariſtia, ſunt Sacramenta: atqui tamen neutrum eſt quid ſenſibile; ergo de ratione Sacramenti non eſt ut ſit ſenſibile.

Reſp. diſt. maj. ſunt Sacramenta prout exterioribus ſignis uniuntur, corpus quidem Chriſti ſpeciebus Euchariſticis, character vero rebus vel actionibus quarum occaſione imprimitur, C. ſunt Sacramenta per ſe ſolum, & a prædictis ſignis avulſa, N. Imo character non tam Sacramentum eſt, quam Sacramenti effectus.

Objic. 3. Quod eſt in genere cauſæ, non poteſt eſſe in genere ſigni: atqui Sacramenta ſunt in genere cauſæ. Minor patet, quia ex conceſſis Sacramenta gratiam producunt. Prob. itaque major: Idem non poteſt pertinere ad duo genera primo diverſa: atqui genus ſigni, & genus cauſæ ſunt duo genera primo diverſa. Signum enim dicit *relationem*; cauſa vero ſe habet ut *qualitas* quædam activa; ergo.

Reſp. neg. maj. ſi enim in phyſicis repugnet aliquid ſimul eſſe ſignum & cauſam: (quod tamen forte falſum eſt, cum flores egregie diſpoſiti, & fructus ſignum ſint, & cauſa) id tamen non repugnat in moralibus, quæ cum operentur vi divina, poſſunt eſſe ſigna practica, adeoque eſſe cauſativa.

Fatendum tamen 1. Sacramentum ut ſic non eſſe cauſam niſi latiori ſenſu: quia vetera Sacramenta non producebant gratiam eo ſtrictiori & perfectiori modo, quo eam pariunt novæ Legis Sacramenta; 2. dicendum proinde Sacramentum potius & principalius ſignum eſſe quam cauſam: quia ſigni ratio proprie magis & rigoroſe convenit Sacramentis omnibus, quam cauſæ ratio, quæ, ut dictum eſt, veteribus Sacramentis nonniſi latiori ſenſu competit.

Objic. 4. Matrimonium verum eſt novæ Legis Sacramentum: atqui Matrimonium non eſt cæremonia ſacrans, ſeu cultui divino ſpecialiter devovens; eſt enim, ut ſemper, contractus civilis, cui Chriſtus ſolam conferendæ gratiæ virtutem addidit; ergo ad Sacramentum non requiritur ut hominem exterius Deo conſecret.

Reſp. neg. min. & dico Matrimonium ex quo elevatum eſt a Chriſto ad rationem Sacramenti, jam eſſe actionem ſacram, quæ a contrahentibus pie obeunda ſit, ſeu tanquam a miniſtris Chriſti, ut volunt plures; ſeu tanquam a clientibus qui cives Chriſto parere & enutrire teneantur. De his plura vide apud Martinon tom. 4. diſp. 18. ſect. 2. p. 414.

Objic. 5. Legitima Sacramenti definitio ſoli Sacramento convenire debet: atqui definitio noſtra convenit etiam Sacrificio. Eſt enim Sacrificium, & a Deo inſtitutum, & permanens, & vim habens pariendæ ſanctitatis.

Reſp ad 1. neg. min. ad 2. diſt. Sacrificium eſt aliquid vim habens pariendæ ſanctitatis, ſed ſecundario tantum, C. primario, N. Itaque Sacramentum primario inſtitutum eſt ad conferendam ſanctitatem, quam & ex opere operato producit. Sacrificium vero primario inſtitutum eſt ad cultum Dei, in recognitionem ſupremi ejus in omnes creaturas domi-

nii:

nii: unde ſanctitatem non parit niſi ſecundario. An autem eam ex opere operato pariat in iis omnibus pro quibus offertur, ſuo loco expendemus.

Quæres an Sacramenta debeant ſignificare gratiam quæ in ipſo Sacramenti uſu confe ratur.

Negat prima opinio, quam tenet Martinon ibid. ſect. 1. n. 5. 1. quia vetera Sacramenta, vera erant & proprie dicta Sacramenta, cum hoc nomine ſimpliciter a Patribus, & a Florentino Concilio donentur: atqui tamen Sacramenta hæc in ipſo Sacramenti uſu gratiam non conferebant. Alioqui enim ex Dei præcepto exegiſſent opus operantis dignum gratia ſanctificante, puta contritionem perfectam, aut amorem Dei ſuper omnia; quod falſum eſt, cum nulla divini hujus præcepti extent veſtigia in Lege Moyſis; 2. quia Euchariſtia a peccatore percepta verum eſt Sacramentum, nec tamen gratiam in ipſo uſu confert; 3. quia ex Decreto Eugenii IV. *Sacramenta antiquæ Legis non cauſabant gratiam, ſed ſolum eam per paſſionem Chriſti dandam figurabant.*

Affirmat tamen & melius ſecunda opinio, quam tenent Valentia q. 1. punct. 1. Gonet diſp. 1. art. 2. n. 29. Fraſſen art. 1. q. 1. concl. 3. & alii cum eis: 1. quia alioqui Matrimonium, & omnes legis cæremoniæ vera fuiſſent Sacramenta: quandoquidem his omnibus præfigurabatur vel conjunctio Chriſti cum Eccleſia, vel gratia aliquando per Chriſtum conferenda; 2. quia de ratione Sacramenti eſt ut ſit ſignum gratiæ practicum: porro quod non ſignificat gratiam ut dandam in actuali Sacramenti uſu, ſed ſolum ut aliquando aliis conferendam, non eſt ſignum practicum; 3. quia ideo ex S. Thoma in 4. diſt. 1. q. 1. art. 1. ſerpens æneus non erat Sacramentum, quia *quamvis eſſet ſignum rei ſacræ ſacrantis, non tamen in quantum ſacrans eſt actu: quia non ad hoc adhibebatur, ut aliquis ſanctificationis effectus perciperetur;* ergo juxta S. Doctorem, de ratione Sacramenti eſt, ut ſacret *actu*, ſeu ut ex eo aliquis ſanctificationis effectus percipiatur.

Nec nocet objectio Martinoni, quia ex ſilentio Scripturæ colligi nequit eos qui Moſaica Sacramenta percipiebant, ab aliquo Dei amoris actu fuiſſe immunes: certe fateri debet adverſarius actionem religioſam, qualis erat Sacramentorum perceptio, cum aliquo pietatis motu exercendam fuiſſe; & tamen de illo pietatis motu ſilet lex divina. Imo ne hujus quidem meminit cum agitur de circumciſione, quæ tamen originalem noxam ſi delevit, non delevit in adultis ſine vero contritionis actu.

In his multa ſupponimus cum Theologorum vulgo, quæ ad trutinam revocata non parum habent difficultatis. Verum hæc ex dicendis infra, ſenſim eluceſcent.

Quod additur de Euchariſtia a peccatore recepta nihil probat. Qui enim Sacramenta gratiam conferre volunt in ipſo uſu, ſupponunt nullum apponi obicem ex parte ſubjecti.

Ad Eugenium dico vel eum nomen Sacramenti ſumpſiſſe latiori ſenſu, & prout omnibus veteris Teſtamenti figuris competit; vel mentem ejus eſſe quod vetera Sacramenta figurarent gratiam non ut dandam poſt paſſionem Chriſti, ſed ut dandam *per paſſionem* ejus, idque in ipſo Sacramenti uſu; adeo ut vox *ſolum* non excludat præſentiam gratiæ (cum nemo negare poſſit eam ſæpius occaſione Sacramenti collatam fuiſſe,) *ſed ſolum vim efficientem ipſius a Sacramentis legis veteris*. Ita Gonet diſp. 1. n. 40.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Sacramentorum neceſſitate & exiſtentia.

QUadruplex diſtinguitur hominum ſtatus, primus *innocentiæ*, in quo ante lapſum vixere Protoparentes, idque ſex horis, ut volunt aliqui, vel octo diebus, ut alii ſtatuunt; utrique divinando. Secundus *legis naturæ*, in quo homines etſi gratia qua ad Deum reverterentur, deſtituti non erant, imo nec ea lege poſitiva, quæ remedium peccati originalis præſcribebat, necdum tamen receperant legem, qualis Moyſi data eſt in monte Sinai. Is ſtatus pro filiis Abrahæ per Iſaac & Jacob, ſicut & pro Proſelytis duravit uſque ad Moyſen; pro ceteris vero ad legem uſque Evangelicam. Tertius legis ſcriptæ, quæ Proſelytos & Iſraelitas uſque ad mortem Chriſti devinxit. Quartus legis gratiæ, qui una cum Religione Chriſti, a tempore conditæ ejuſdem Chriſti legis uſque ad conſummationem ſeculi perſeverabit.

Certum eſt 1. neceſſum non fuiſſe abſolute loquendo, ut ullo in ſtatu inſtituerentur Sacramenta; tum quia quælibet operatio Dei ad extra, a ſola ejus voluntate pendet; tum quia alia quam Sacramentorum via potuit hominis ſalus reparari, & reparata conſervari: cum totum ſalutis humanæ negotium pendeat a gratia, quam Deus independenter a quibuslibet ſignis homini conferre poteſt.

Certum eſt 2. congruum fuiſſe præſertim poſt hominis lapſum ut inſtituerentur Sacramenta; tum quia ea de facto inſtituit Deus, ut ſtatim dicam, nec inſtituit, niſi quia congruerent: tum quia ut homines in unum viſibilis Eccleſiæ corpus perpetuo coadunentur, quadantenus opus eſt viſibilibus ſignaculis, quæ in Sacramentis potiſſimum & Sacrificiis conſiſtunt. Quouſque autem ſingula Sacramenta homini neceſſaria ſint, expendam in ſingulis de unoquoque Tractatibus. Sit jam

Conclusio I. Nulla fuere in ſtatu innocentiæ Sacramenta.

Prob. 1. quia exiſtentia rerum quæ a ſola Dei voluntate pendent, nonniſi ex Scriptura vel Traditione probari efficaciter poteſt: atqui Sacramentorum exiſtentia a ſolo Dei beneplacito pendet: aliunde vero quod ea a Chriſto inſtituta fuerint, nec ex Scriptura, nec ex Traditione, quæ de iis altum ſilent, colligi poteſt; ergo.

Prob. 2. quia Sacramentum de ſe eſt ſignum permanens, cujus ope populi in unam coaleſcunt religionem: atqui abſonum fuiſſet ut Deus pro ſtatu, quem præſciebat breviſſime tranſiturum; permanentia id genus ſigna conſtitueret; ergo.

Objic. Matrimonium inſtitutum eſt in ſtatu naturæ innocentis, ut patet ex cap. 2. Geneſ. atqui Matrimonium jam tunc fuit Sacramentum; ergo.

Reſp. neg. min. & dico Matrimonium nonniſi in officium naturę inſtitutum fuiſſe a Deo, ut nempe creſceret & multiplicaretur genus humanum. Unde Paulus Epheſ. 5. de Matrimonio loquens non ait: *Sacramentum hoc magnum* fuit, ſed *magnum eſt*, & quidem *in Chriſto & in Eccleſia.*

Inſt. Sic loquitur S. Auguſtinus Lib. de nupt. & concup. cap. 21. *Reſpondebit*

lebit etiam connubii Sacramentum; De me ante peccatum dictum eſt in Paradiſo, Relinquet homo patrem & matrem; ergo connubium etiam *in Paradiſo* terreſtri, fuit veri nominis Sacramentum.

Reſp. neg. conſeq. quæ ne ſomnianti quidem Auguſtino venit in mentem. Agit ille ut probet nuptias de ſe non eſſe malas, quia a Deo ipſo inſtitutæ ſint. Id ut oſtendat, per proſopopœiam inducit Matrimonium loquens; illudque vocat Sacramentum, non quia tale fuerit ab initio, ſed quia tale ſit hodie, & tale quaſi prophetarum ab Adamo, ſecundum id S. Hieronymi in cap. 5. ad Epheſios: *Primus homo, & primus vates Adam, hoc de Chriſto & de Eccleſia prophetavit*. Hinc Auguſtinus ipſe Lib. 9. de Geneſ. ad Lit. cap. 19. *Eructavit* Adam, *quod magnum Sacramentum commendat Apoſtolus*, ideſt quod hodie, teſte Apoſtolo, magnum eſt Sacramentum. His adde connubium jam ab initio fuiſſe Sacramentum, ſed latiori ſenſu, quatenus futuræ Chriſti cum Eccleſia unionis ſignum erat: certe lignum vitæ latiori hoc ſenſu Sacramentum vocatur ab Auguſtino.

Quæres an extitura fuiſſent Sacramenta in illo ſtatu, ſi perſeveraſſet.

Reſp. id non poſſe certo definiri ex Scriptura vel Traditione. Si tamen conjectare licet, ſatis probabile eſt non defutura fuiſſe ſtatui huic Sacramenta: 1. quia eo in ſtatu fuiſſet vera Religio: atqui ex citato ſupra Auguſtini textu *in nullum nomen Religionis, ſive verum, ſive falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur*; 2. quia, juxta plures Theologos, homines in illo ſtatu peccare potuiſſent ſaltem venialiter, imo & lethaliter licet raro; ergo congruum erat ut gratiam recuperare poſſent per Sacramenta, quæ eamdem certius & efficacius reſtituunt. Imo quidni per Sacramenta vivorum homo innocens primævam gratiam nova gratia cumulaſſet? *Fraſſen p. 24. Henno p. 20.*

Ut ut eſt, nullus dubitat quin in eo ſtatu futura eſſent Sacrificia; tum quia ii ſunt præcipui publicæ Religionis actus; tum quia æquum eſt ut in quocumque ſtatu ſupremum Dei dominium agnoſcat & veneretur homo, quod fit per Sacrificia.

Addunt Scotiſtæ futurum fuiſſe ut in eodem ſtatu inſtitueretur Euchariſtia, & qui eidem prævius eſt Ordo ſacer. Sed opinionis hujus fundamentum, videlicet quod Adamo etiam non peccante venturus fuiſſet Chriſtus, a ceteris Theologis rejicitur in Tract. de Incarnatione. Unde ſi quæ pro innocentiæ ſtatu condita fuiſſet Sacramenta, hæc non ejuſdem prorſus cum noſtris naturæ fuiſſent; quia noſtra quidquid efficaciæ habent, trahunt a meritis & paſſione Chriſti; illa vero a ſola Dei voluntate.

CONCLUSIO II. Extitit aliquod in lege naturæ Sacramentum contra peccatum originale.

Prob. 1. ex S. Auguſtino Lib. 5. contra Julian. cap. 11. ubi ſic: *Nec ideo credendum eſt ante circumciſionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat Mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento ejus opitulatos fuiſſe parvulis ſuis; quamvis quid illud eſſet . . . Scriptura ſacra latere voluerit*; ergo juxta Auguſtinum fuit ante circumciſionem, ac proinde in lege naturæ remedium aliquod, & quidem Sacramentale, quo originalis parvulorum labes deleta fuerit.

Prob. 2. ex Innocentio III. cap. *Majores* 3. *De Baptiſmo*, &c. ubi ſic

ſic habet: *Abſit ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem.* Unde ſic in forma: Si parvuli ſub lege naturæ nullum habuiſſent remedium contra peccatum originale, ingens eorum *multitudo quotidie* periiſſet in æternum: atqui tanta ætatis parvulæ ſtrages admitti nequit ſub Deo, *qui neminem vult perire*: ergo neceſſum fuit ut certum parvulis ſuppeteret remedium contra peccatum originale. Jam vero probabile admodum eſt remedium illud ſenſibili ſigno fuiſſe alligatum, & ideo Sacramenti rationem habuiſſe: 1. quia ita docet S. Auguſtinus in textu jam citato; 2. quia remedii hujus ope infantes populo Dei adunabantur; ac proinde fiebant viſibilis Eccleſiæ membra; quod ut per medium humanæ conditioni proportionatum fiat, Sup. p. 4. per Sacramenta fieri debet, prout ſupra nos docuit Auguſtinus; 3. quia id docet S. Thomas hic q. 70, art. 4. ad 2. his verbis: *Probabile eſt, quod parentes fideles pro parvulis natis, & maxime in periculo exiſtentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent, quod erat ſignaculum fidei.*

Objic. 1. Ideo admittuntur Sacramenta in lege naturæ, quia alioqui innumeri periiſſent infantes quocumque auxilio deſtituti: atqui hæc ratio non concludit. Perierunt enim tunc temporis, & hodiedum pereunt innumeri infantes in utero materno: atqui tamen non ideo creditur inſtitutum fuiſſe pro iis aliquod Sacramentum; ergo.

Reſp. ad 1. data majore, quæ negari poſſet, quia non ex ſola ratione, ſed etiam ex Patrum traditione pugnamus, ut patet ex allatis Auguſtini, Innocentii & Thomæ auctoritatibus, neg. min. Ad 2. dico 1. parvulos materno in ſinu pereuntes pauciſſimos eſſe reſpectu aliorum: porro conveniens non erat ut Deus pro pauciſſimis hominibus Sacramenta inſtitueret. Dico 2. Sacramenta quæ ab homine conferri debent, pro iis ſolum inſtitui, qui ſub hominis notitiam & adminiſtrationem cadunt; cujuſmodi non ſunt pueri materna in alvo deliteſcentes.

Inſt. Si quod fuerit Sacramentum pro parvulis quo mundarentur ab originali noxa, debuit & aliquod eſſe pro adultis quo mundarentur a peccato actuali: atqui id dici non poteſt. Solum enim Pœnitentiæ Sacramentum ab actuali peccato mundare poteſt hominem, cui jam remiſſum eſt originale peccatum: atqui nullum fuit Sacramentum Pœnitentiæ ante legem Evangelicam; ergo.

Reſp. ad 1. neg. maj. adulti enim ſecluſo quocumque Sacramento, peccati actualis veniam conſequi poterant, nimirum per contritionem perfectam: infantes vero qui contritionis capaces non ſunt, nonniſi alicujus remedii applicatione ab hæreditaria labe mundari poterant; ergo iſtos inter & adultos longa eſt quoad Sacramentorum neceſſitatem diſparitas.

Reſp. 2. neg. min. cum Goneto, Tournely, aliiſque non paucis, contra Suarem, Lugo, &c. poſito enim quod Deus omnium hominum ſalutem ſincere velit, iiſque Mediatorem in venturo Chriſto præparaverit, decebat ut providentia ejus lapſis adultis remedium conſtitueret, ſicut & conſtituerat infantibus: atqui utcumque etiam decebat ut remedium illud foret ſenſibile; cum modus hominem per ſenſibilia ſigna juſtifi-

candi;

candi; adeo homini proportionatus ſit & conveniens, ut Salvator, qui ſenſibilis naſci voluit, eumdem in Lege nova, quæ ſpiritus eſt & amor, amplecti voluerit; ergo.

Ad 2. diſt. min. non fuit ante legem Evangelicam Sacramentum Pœnitentię prout nunc eſt, puta cum confeſſione vocali, C. non fuit quocumque modo & ritu, N. Cum enim difficillimum ſit per contritionem perfectam reſurgere a peccato, congruum erat ut infirmitas humana per exteriora ſigna juvaretur, ne tot fere eſſent pereuntes, quot fuiſſent peccatores. Et vero erant in illo ſtatu Sacrificia pro peccato, ut patet exemplis Abel, Job, Abrahæ, Melchiſedech, & ipſorum etiam Gentilium, quibus ſui fuere Sacerdotes, Geneſ. 41. & 47. atqui idem ritus, & Sacrificium eſſe potuit, prout ad Dei cultum ordinabatur; & habere rationem Sacramenti, prout media fide ad ſanctitatem conducebat; ergo.

Inſt. 2. Si quæ fuerint ante legem Sacramenta tam pro adultis quam pro infantibus, vel hæc a Deo determinata ſunt quoad materiam & formam, vel non: atqui neutrum dici poteſt; ergo.

Reſp. neg. min. & dico utrumque dici poſſe, quia neutrum efficaciter impugnari poteſt: 1. dici poteſt Deum determinaſſe in particulari cæremoniam qua vellet parvulos ſibi dicari, & mundari a peccato, ſicut aliquando ſaltem determinavit materiam Sacrificiorum, ut patet ex cap. ult. Lib. Job. 2. dici poteſt & melius cum S. Thoma q. 61. art. 3. ad 2: *ante legem non* fuiſſe *determinate præfixum* a Deo. *homini*, *quibus Sacramentis uteretur*: quia potuit Deus velle juſtificationem largiri parvulis, ſtatim ac parentes eoſdem ſibi offerrent cum ſenſibili quodam ac religioſo ritu, quem ipſi eligerent, & quo ſuam in mediatorem venturum fidem proteſtarentur.

Inſt. 3. Ex hac reſponſione ſequitur 1. Sacramenta naturæ tam ab hominibus fuiſſe inſtituta quam a Deo; 2. meliorem fuiſſe ſtatus illius conditionem quam Evangelici: quia nunc nonniſi per aquam, quæ deeſt aliquando, tolli poteſt originale peccatum; tunc autem tolli poterat modo generaliori, &, ut ita loquar, qui prior caderet ſub manum: atqui hæc duo ſunt abſurda; ergo.

Reſp. neg min. 1. enim ille ſolus Sacramenta inſtituit, non qui hanc vel illam materiam eligit, ſed qui eidem gratiam alligat: porro ſolus Deus huic vel illi ſenſibili ſigno gratiam alligare poteſt; ſicut ergo ſi Pontifex concedat ut imagines a tali Principe deſignatę talem habeant indulgentiam, non ille, ſed Papa indulgentiam dare cenſeretur; ita a pari.

2. neque etiam melior erat ſtatus naturæ, quam Evangelici ſtatus conditio; tum quia etſi familiarum principibus permiſſa erat hujus vel illius ſigni electio, ut ſuam proteſtantes fidem parvulis ſuis mederentur, opus tamen erat ſigno quod religioſe adhiberi poſſet; & hoc ſignum quandoque deficere poterat, ſicut hodie aqua licet admodum communis; tum quia longe rarior erat in ſtatu naturæ fidelium numerus quam nunc ſit, ac proinde longe minor numerus eorum qui remedium hoc parvulis applicare, vel applicari vellent: an ergo felix admodum dicetur ſtatus, in quo pauci volunt id quod omnes velle poſſunt.

Objic. 2.

Digitized by Google

Objic. 2. S. Gregorius Lib. 4. Moral. c. 2. ſic habet: *Quod apud nos valet aqua Baptiſmi, hoc egit apud Veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro adultis virtus Sacrificii; vel pro iis qui de ſtirpe Abrahæ prodierunt, myſterium Circumciſionis*. Concinit S. Bernardus Epiſt: 77. ubi ſic: *Adultos & fide & Sacrificiis credimus expiatos, parvulis autem etiam ſolam fidem profuiſſe, imo ſuffeciſſe credimus;* idem tradit S. Thomas in 4. diſt. 1. q. 2. art. 6. ergo cenſent ſancti Eccleſię Doctores parvulos ſola parentum fide, & independenter a quocumque viſibili ſigno juſtificatos fuiſſe.

Reſp. cum Patres diverſa ſentiunt, iis eſſe adhęrendum quorum opinio videtur probabilior; talis porro nobis videtur Auguſtini ſententia. Quanquam dici poteſt Doctores mox objectos per fidem non intellexiſſe tantum interiorem actum fidei, ſed & exteriorem, in quo includitur ejuſdem fidei proteſtatio per viſibile aliquod ſignum manifeſtata. Unde S. Thomas qui in objectis locis in opinionem noſtrę contrariam propenderat, ab ea tandem diſceſſit, ut liquet tum ex q. 4. de malo art. 8. ad 12. ubi ſic loquitur: *Fides antiquorum* CUM ALIQUA PROTESTATIONE FIDEI valebat parvulis ad ſalutem; tum ex alio ejuſdem textu quem inter probationes adduximus.

CONCLUSIO III. Sua etiam fuerunt Moſaicę Legi Sacramenta.

Prob. 1. ex S. Auguſtino Lib. 19. contra Fauſtum cap. 13. ubi ſic: *Sacramenta veteris Legis ablata ſunt, quia impleta, & alia ſunt inſtituta, virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora;* 2. ex celebri iſto Tridentini Concilii textu Seſs. 7. Can. 2. *Si quis dixerit novæ Legis Sacramenta a Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia cæremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi, anathema ſit*: atqui duo hi textus exiſtentiam Sacramentorum Moſaicę Legis velut indubii quidpiam ſupponunt; 3. quia non decebat ut Judęa gens, Deo ſpecialiter dilecta, careret remediis quę ante legem ſcriptam non defuerant: atqui, ut ſtatim vidimus, non defuerunt ante legem remedia Sacramentalia, ſive infantibus, ſive etiam adultis; ergo nec poſt legem defeciſse credenda ſunt.

Quęres 1. quomodo dividi poſſint ſcriptę legis Sacramenta.

Reſp. generatim ea duplicis fuiſse generis: alia nimirum ad totam gentem pertinebant, ut circumciſio pro maribus, eſus agni paſchalis, purificationes ab immunditiis legalibus, expiationes a peccatis; alia nonniſi ad templi Miniſtros, ut Sacerdotum conſecratio, eſus panum propoſitionis, &c. hęc porro omnia, totidem erant typi Sacramentorum novę Legis. Sic circumciſio figura erat Baptiſmi, juxta plures; eſus agni paſchalis, figura Euchariſtiæ; purificationes & expiationes, figura Pœnitentiæ; conſecratio Sacerdotum, figura Ordinis ſacri. Nullum vero fuit ſignum ſeu Confirmationis, ſaltem juxta S. Thomam, a quo quidam recedunt, quia hæc eſt Sacramentum plenitudinis gratię, quam lex nihil ad perfectum adducens, exprimere non potuit; ſeu Unctionis extremæ, quia eſt quaſi immediata ad regni cœleſtis introitum pręparatio: nemini autem in veteri Teſtamento reſerata erat cœlorum via; ſeu demum Matrimonii; quia Judęorum conjugia, quę per libellum repudii diſſolvi poterant, indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia nexum male repræſentaſſent.

Quæres 2. an ritus mox enumerati fuerint Sacramenta proprie dicta.

Affir-

Affirmant alii, quia ii ritus ſimpliciter & ſine addito vocantur Sacramenta a Conciliis & Patribus. Negant vero alii, quia iidem ritus, ſi remedium naturæ, & quæ ei ſucceſſit circumciſionem tollas, vacua erunt & egena elementa, quibus homo coram homine quidem, non autem coram Deo mundari poterat: porro de ratione Sacramenti eſt ut gratiam in ipſo uſu producat; ergo ritus ſeu ſigna quæ gratiæ vacua erant, vera eſſe Sacramenta non poſſunt.

Nec nocet, inquiunt, Sacramenti nomen, quo uſi ſunt Patres & Concilia; tum quia mens Conciliorum non fuit ut Scholaſticas ea de re Theologorum lites dirimerent; tum quia ſacri Legis Moſaicæ ritus, ex trito uſu, Sacramentorum nomine ab omnibus donantur; nec tamen ab omnibus habentur pro Sacramentis proprie dictis.

In hac poſtrema opinione dicendum eſt, vetera præter remedium naturæ aut circumciſionem Sacramenta, non convenire univoce cum noſtris; quia iſta gratiam pariunt, illa non item: atque ita ſaltem aliquando ſenſit S. Thomas, ut patet ex his ejus verbis in 4. diſt. 1. q. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 9. *Sacramentum analogice dividitur per Sacramenta novæ & veteris Legis, ſicut ſanum in habens ſanitatem & ſignificans illam.*

Dixi, *præter remedium naturæ, &c.* quia infra oſtendemus gratiam vi remedii hujus ex opere operato productam fuiſſe in iis quibus applicabatur.

CONCLUSIO IV. Habet etiam lex Chriſti Sacramenta ſua, eaque ſeptem numero, non plura, non pauciora. Ita Catholici 1. contra Archonticos, qui teſtibus Epiphanio hæreſi 34. & Theodoreto Lib. 1. hæret. fab. cap. 12. & 13. & Scripturam & Sacramenta quæcumque rejiciebant; 2. contra Fratricellos & Beguinas, qui deſpiciebant Eccleſiæ Sacramenta, ut ait Joannes XXII. in Extrav. *Sancta Romana*, tit. *De Religioſ. domib.* 3. contra Lutherum qui initio Libri de captiv. Babylon. tria agnoſcit Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet, Pœnitentiam & Panem; duo vero dumtaxat ſub finem ejuſdem Libri, Baptiſmum ſcilicet & Panem, ex ſermonis proprietate admittenda eſſe contendit; 4. contra Calvinum qui Lib. 4. Inſtit. cap. 18. §. 19. Baptiſmo & Cœnæ adjungit manuum impoſitionem, licet hanc *inter ordinaria Sacramenta non* numeret, quia *in uſum totius Eccleſiæ inſtituta* non ſit. Jam concluſio, quam tradit Tridentinum Seſs. 7. Can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis, non fuiſſe omnia a Jeſu Chriſto Domino noſtro inſtituta; aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem, videlicet Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquid horum ſeptem non eſſe vere & proprie Sacramentum: anathema ſit.*

Prob. 1. Sacramenta ſunt ritus ſacri divinitus & permanenter inſtituti, quibus annexa eſt gratiæ promiſſio: atqui ſeptem eſſe hujuſmodi ſacros ritus, eoſque qui a Tridentino deſignati ſunt, non obſcure colligitur ex Scriptura. Patet id 1. de Baptiſmo ex cap. ult. Marci, ubi Chriſtus, *Ite*, ait ad Apoſtolos, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* ubi exteriori lavacro annectitur ſalus, & proinde gratia, quæ ſalutis principium eſt; 2. de Confirmatione ex Act. cap. 8. v. 17. & cap. 19. v. 6. ubi per manuum impoſitionem infallibiliter confertur Spiritus ſanctus; quod

quod ſine ſpeciali Chriſti inſtitutione & præcepto fieri non potuiſſet; 3. de Euchariſtia ex collatis ſecum invicem textibus Matth. 27. & Joan. 6. ubi qui manducat carnem Chriſti juxta ritum ab eo præſcriptum, vitam æternam habere dicitur; 4. de Pœnitentia ex Joan. 20. ubi traditur poteſtas remittendi peccata, ideoque & gratiam largiendi; 5. de Unctione Extrema ex Jacobi 5. ubi infirmo, *ſi in peccatis fuerit*, dimittuntur peccata per orationem & unctionem; 6. de Ordine ex I. ad Timot. 4. & II. ad eumd. 1. ubi habet manuum impoſitio gratiam ſibi annexam; 7. de Matrimonio, ex Matth. 19. & Epheſ. 5. ubi contractus quem novæ Legis Auctor indiſſolubilem fecit, ad magni Sacramenti rationem elevatur; ergo.

Prob. 2. ex celebri illa S. Auguſtini regula, Lib. 4. de Baptiſmo, cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*; cui principio mire conſonat iſtud Hieronymi Lib. contra Luciferianos, ubi de manus impoſitione diſſerens, ait: *Exigis ubi ſcriptum ſit? in Actibus Apoſtolorum: & etiamſi ſacræ Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius Orbis in hanc partem conſenſus, inſtar præcepti obtineret*. Unde ſic: Illud indubie tenendum eſt quod ante Pſeudoreformatos univerſa tenebat, ſemperque tenuerat Eccleſia: atqui 1. ante Pſeudoreformatos univerſa tenebat Eccleſia ſeptem in nova Lege eſse Sacramenta. Id nimirum cum Latinis tenebant Græci, ceterique Orientales; cum etſi in aliis v. g. in proceſſione Spiritus ſancti a Filio, Eccleſiæ Romanæ fidem acriter vellicarent, nuſquam tamen exprobraverint eidem, quod plura admitteret Sacramenta, quam a Chriſto inſtituta eſſent. Nec tantum non id ei exprobravit, ſed & ejus hac in parte vindicavit fidem Hieremias Pſeudopatriarcha Conſtantinopolitanus; cum Auguſtanam Confeſſionem perſtringendo, declaravit ſeptem a Græcis omnibus admitti Sacramenta, nec plura nec pauciora; ergo.

2. idem ſemper tenuerat Eccleſia. Quę enim eoſdem ritus, quos nunc Catholici, annumerabat Sacramentis; & qui ſecus ſentirent ejiciebat e ſinu ſuo, ea ſemper ſeptem admiſit Sacramenta: atqui Eccleſia omnibus retro ſæculis eoſdem Sacramentis annumeravit ritus, quos iiſdem nunc annumerant Catholici; eoſque qui aliter ſentirent, velut Novatores ejecit e ſinu ſuo. Prima minoris hujus pars abunde probabitur, cum de unoquoque Sacramento ſpeciatim diſputabitur. Secunda ejuſdem pars hinc liquet, quod Eccleſia ſæculo III. proſcripſit Novatianos, qui Confirmationem non conferebant Neophytis. IV. Manichæos qui de Matrimonio male ſentiebant. XV. Wicleſiſtas quibus deſpectui erat Extrema-Unctio. XVI. Lutheranos & Calviniſtas, quibus id cordi fuit ut ſopitas hæreſes undecumque colligerent; ergo.

Objic. 1. Si ſeptenarius Sacramentorum numerus ſit primæve Eccleſiæ dogma, debuerunt Patres hujus numeri in ſcriptis ſuis meminiſſe: atqui falſum conſequens. Alii enim, ut Juſtinus in Apolog. 2. & Irenæus Lib. 1. cap. 9. & 13. ſolius Baptiſmi & Euchariſtiæ meminerunt: alii his addunt Chriſma, & ad ſummum Pœnitentiam, ut Cyrillus, qui tamen cum ex profeſſo agat de myſteriis, ſeu de Sacramentis, in ſuis Catecheſibus, omnia Sacramenta recenſere debuit; ergo.

Reſp. 1.

Reſp. 1. neg. maj. ſicut enim Proteſtantes duo aut tria confitentur Sacramenta, licet Patres ternarium hunc numerum nullibi expreſſerint; ic & nos ſeptem admittere poſſumus, licet nullibi dixerint Patres ſeptem eſſe Sacramenta. Et vero Sectarii *tot* veteris novique Teſtamenti ibros habent pro Canonicis: atqui tamen nullibi ante Laodicenam ynodum reperire eſt *tot* eſſe Libros Canonicos; ergo ex eo quod Pares non dicant tot eſſe Sacramenta nihil colligi poteſt.

Reſp. 2. diſt. min. Patres non meminerunt explicite hujus numeri, C. mplicite, N. Qui enim qua data occaſione aſtruunt nunc Pœnitentiam, unc Confirmationem, nunc Matrimonium, vera eſſe Sacramenta, hi mplicite & ſufficienter ſeptem Sacramenta profitentur: atqui Patres unc aſtruunt Pœnitentiam, vel Confirmationem, &c. vera eſſe Sacramenta; ut de ſingulis ſuo in loco probabitur; ergo.

Ceterum Patres caute admodum tractabant de Sacramentis, vixque liter quam neceſſitate compulſi. De Euchariſtia palam egit Juſtinus, uia confutandi erant Gentiles, qui myſteriorum noſtrorum ignari, caumniabantur Chriſtianos, quaſi qui infantis occiſi carne in ſynaxibus iis veſcerentur. De Baptiſmo, Confirmatione & Euchariſtia diſſeruit Cyrillus, quia efformabat Catechumenos, qui pro more temporis hus, triplici hoc Sacramento eadem die reficiendi erant, ſecundum id ritæ S. Baſilii: *Maximus Epiſcopus baptizavit Baſilium & Eubulum, & ungens eos ſancto Chriſmate tradidit eis vivificam communionem.*

Inſt. Dogma quod necdum 14. ſeculo ſtabilitum erat, ne implicite uidem traditum eſt a Patribus: atqui dogma ſeptuplicis Sacramenti.·. Prob. min. quia cum Magiſter ſententiarum Sacramenta ſeptem admiſiſet circa finem ſeculi 12. eidem obſtitit Durandus ſcriptor ſeculi 14. negavitque gratiam Matrimonio conferri, ſicque illud ex albo Sacramentorum expunxit.

Reſp. ad 1. neg. min. & dico Durandum circa Matrimonium, ut & n aliis pluribus cæcutiſſe; prout oſtendam ubi de Matrimonio.

Objic. 2. Falſum eſt Eccleſiam Grecam aſſentiri Latinę circa fidem ſeptem Sacramentorum; ergo. Prob. antec. ex Confeſſione fidei quam nte annum 1629. emiſit Cyrillus Lucaris Conſtantinopolitanus Patriarcha, & in qua cap. 15. de Sacramentis hęc habentur: *Credimus Evangelica Sacramenta.·. eſſe duo, nempe Baptiſmum & Euchariſtiam: ampliorem Sacramentorum numerum non habemus;* ergo.

Reſp. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. conſeq. Hęc enim bini Sacramenti ides, quam a Germanis Proteſtantibus in Germania viator deprompſerat Lucaris, omnibus Gręcorum Euchologiis & Ritualibus adverſatur. Unde ſtatim ut, ſtrangulato a Turcis Lucari, Conſtantinopolitanam ſedem conſcendit Cyrillus Beroenſis, damnata eſt hęretica Lucaris opinio in Synodo, quę eodem anno, ideſt 1638. habita eſt Conſtantinopoli; en hujus Synodi verba: *Cyrillo dogmatizanti & credenti non eſſe ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, ideſt Baptiſma, Chriſma, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Ordinationem Sacerdotum, Extremam Unctionem & Matrimonium, juxta conſtitutionem Chriſti, Apoſtolorum traditionem, atque conſuetudinem Eccleſiæ, ſed ſentienti non eſſe tradita a Chriſto in Evangelio niſi ſolum Bap iſmum & Euchariſtiam, anathema.* Hanc porro Synodum, cui cum Epiſcopis tribus ſupra

viginti

viginti interfuerant Patriarchæ Alexandrinus & Jeroſolymitanus confirmarunt duo ſubinde Concilia, quorum aliud an. *1642.* habitum eſt Conſtantinopoli ſub Parthenio, aliud an. 1672. apud Bethleem. Eant nunc Calviniani, & Græciam quoad Sacramenta ſuam eſſe contendant.

Objic. 3. Ut plura ſint quam ſeptem Sacramenta, ſufficit ut Ordines ſinguli, martyrium, profeſſio religioſa, & pedum lotio, totidem ſint Sacramenta: atqui res ita ſe habet. Et quidem 1. ſingulos Ordines vera eſſe Sacramenta docent Thomiſtæ; qui vero ab iis diſſentiunt, Diaconatum ſaltem, Presbyteratum & Epiſcopatum pro Sacramentis habent; 2. nihil martyrio deeſt quominus totam habeat rationem Sacramenti; cum ejuſdem ſit efficaciæ ac Baptiſmus, cujus etiam vices tam in adultis quam in parvulis ſupplet; 3. idem fere eſt de Monachatu, quem etiam veteres aliqui myſterium & Sacramentum nuncuparunt; 4. idem eſt & multo certius de pedum lotione, quæ & a Chriſto inſtituta eſt Joan. 13. v. 5. *Cœpit lavare pedes Diſcipulorum;* & permanenter inſtituta eſt, utpote cum præcepto ſimile quid faciendi, *Et vos debetis alter alterius lavare pedes; Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*, v. 15. Ac demum annexam habet gratiæ promiſſionem, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, ibid. v. 7. Neque hic deeſt myſtica ſignificatio, quam certe indicant hæc Chriſti ad Petrum verba: *Quod ego facio tu neſcis modo, ſcies autem poſtea;* ergo.

Reſp. neg. maj. quantum ad Ordines, minorem vero quoad cetera. Itaque etſi Ordines ſinguli totidem eſſe Sacramenta ſupponantur, de quo alibi; haud tamen plura quam ſeptem Sacramenta numerari debent: quia Sacramentum hic ſumitur ſecundum genus relationis quam importat, ita ut tot ſolum ſint Sacramenta, quot ſunt ſacri ritus qui ad fines ſpecifice diverſos referuntur. Unde cum Ordines omnes ad unum eumdemque finem genericum tendant, nimirum Euchariſtiæ confectionem, aut adminiſtrationem, ſpecie tantum a ſe diſcrepant, & nonniſi unum quoddam Sacramentum conſtituunt.

Inſt. Etſi homines omnes ſint unum genere, non tamen cenſentur unus homo: etſi pariter Baptiſmus, Confirmatio, &c. penes genus conveniant in ratione Sacramenti, haud tamen unum Sacramentum dici poſſunt; ergo a pari nec unum Sacramentum dici poſſunt Ordines omnes, etſi in ratione generica conveniant.

Reſp. neg. conſeq. neque enim unitatem Sacramenti Ordinis repetimus ſolum a ratione generica Sacramenti, ſed & ab unitate finis ad quem tendunt Ordines ſinguli: atqui hanc finis unitatem nec homines, nec alia Sacramenta habent inter ſe; ergo ab iis ad Ordinis Sacramentum nulla eſt illatio.

Ad id quod objectum eſt de martyrio, nego illud eſſe Sacramentum. Ad Sacramentum enim non ſufficit ut gratiam pariat, ſed etiam neceſſe eſt ut a Chriſto inſtitutum ſit, & conſtet ſacris materiæ & formæ ritibus, ac demum perficiatur a Miniſtro ad id deputato, cum intentione faciendi id quod facit Eccleſia: atqui martyrium nec a Chriſto inſtitutum eſt, cum conſiſtat in actione impia ex parte agentis, adeoque ſevere prohibita; nec conſtat ſacris materiæ & formæ ritibus, cum in immani tortoris facinore ſitum ſit; nec perficitur a Miniſtro Dei, ſed a miniſtro diaboli, &c. ergo.

Neque

Neque etiam Profeſſio Religioſa Sacramentum eſt, quia etſi a Chriſto inſtituta ſupponatur, haud tamen ſupponi poteſt parere gratiam ex opere operato, ſed ſolum ex opere operantis. Unde ſi, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 3. ad 3. *eamdem gratiam conſequuntur Religionem intrantes, quam conſequuntur baptizati;* at non eodem modo conſequuntur, ſed prout peccatorum veniam obtinent, qui eadem eleemoſynis redimunt; quod ipſiſſimum eſt S. Thomæ exemplum.

Major eſt difficultas de lotione pedum, quæ tamen abſit ut inter Sacramenta recenſeatur, tum quia, ut bene notat Fraſsen art. 1. q. 5. nulla Concilia, nullæ Eccleſiaſticæ inſtitutiones, nullæ preces, nulla prorſus Catecheſis, quibus tamen maxime continetur Apoſtolica traditio, cæremoniam hanc Sacramentis accenſent: tum quia lotio pedum, licet ſit exterius rei ſpiritualis ſignum, ceteros tamen Sacramenti characteres non habet. Nam 1. Sacramentum novæ Legis debet eſse ſignum permanens, & duraturum quamdiu durabit ipſa Religio: atqui lotio pedum nunquam in Eccleſia Chriſti, quæ circa fidem errare non poteſt, habita fuit pro ſigno permanenti; cum teſte Ambroſio Lib. 3. de Sacram. cap. 1. lotionis hujus *conſuetudinem non* haberet *Eccleſia Romana, cujus*, ait S. Doctor, *typum in omnibus ſequimur;* & ubi erat in uſu, libere ſublata fuit, prout docet S. Auguſtinus Epiſt. 55. alias 119. *ne* ſcilicet, inquit, *id ipſum Baptiſmi Sacramentum pertinere videretur*. Imo vetuit Hiſpanica Eccleſia in Conc. Eliberitano Can. 48. ne Sacerdotes aut Clerici lavarent pedes eorum qui baptizabantur; ergo hæc verba: *Et vos debetis alter alterius lavare pedes*, haud litteraliter accipienda ſunt, ſed metaphorice, adeſt pro præcepto exercendi charitatem & humilitatem, quas ea lotione plerique Patres deſignatas fuiſse docent; 2. ſigno Sacramentali annexa eſse debet gratiæ promiſſio; atqui nihil eſt in diſcurſu Chriſti, unde certo colligi poſſit annexam fuiſse gratiæ promiſſionem lotioni pedum. Hæc enim verba: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*, non exhibent lotionem quaſi ex tunc neceſsariam ad ſalutem, ſed ſolum inobedienti Petro minantur pœnam, quæ vel in privatione beatitudinis conſiſtat, ut volunt aliqui Patres, vel in excluſione ab Euchariſtia mox inſtituenda, ut docent alii; ergo.

Inſt. Verba hæc: *Si non lavero te*, &c. eo debent intelligi ſenſu, quo a Patribus intellecta fuere: atqui Patres prædicta verba ſic intellexere, ut in eis agnoverint ſignum practicum gratiæ ſanctificantis primæ vel ſecundæ. De ceteris enim ideo eſto judicium ac de SS. Cypriano, Ambroſio, & Bernardo: atqui ii Patres verba Chriſti ſic intellexere, &c. 1. quidem S. Cyprianus. Sic ille in Tract. de ablutione pedum: *Ait Dominus, Niſi lavero te, &c. paulatim myſterii hujus declaratur neceſſitas, quam conditio propoſita inevitabilem reddit: & ſi cum Chriſto alter partem habere non poſſumus, niſi ipſe pedes noſtros abluat . . . lavet & tergat, & Sacramenti hujus nobis virtutem exponat. Supra diximus lotos Baptiſmate, eodem lavacro non indigere: ſed hoc lavacrum quotidianis eſt exceſſibus inſtitutum*.

S. Ambroſius Lib. 3. de Sacramentis cap. 1. *Audi*, inquit, *quia myſterium eſt & ſanctificatio: Niſi lavero te, &c. . . In Baptiſmate omnis culpa diluitur . . ſed quia Adam ſupplantatus a diabolo eſt, & venenum ei effuſum*

eſt ſupra pedes, ideo lavas pedes, ut in ea parte in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctificationis accedat, quo poſtea ſupplantare non poſſit. Lavas ergo pedes, ut laves venena ſerpentis. Et Lib. de Myſteriis c. 6. *Ideo*, inquit, *planta* Petri *abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur.*

Verum preſſius nihil fingi poteſt, quam quod ſcribit S. Bernardus: hæc ille Serm. 1. in Cœna Domini: *De tribus Sacramentis, quæ ſatis congrua ſunt huic tempori dicendum erit .·.· Sacramentum dicitur ſacrum ſignum, ſive ſacrum ſecretum .·.· appropinquans paſſioni Dominus de gratia ſua inveſtire curavit ſuos, ut inviſibilis gratia ſigno aliquo præſtaretur. Ad hæc inſtituta ſunt Sacramenta; ad hæc Euchariſtiæ participatio, ad hæc pedum ablutio; ad hæc denique ipſe Baptiſmus initium Sacramentorum omnium.* Et infra, *Ut de remiſſione quotidianorum minime dubitemus, habemus ejus Sacramentum, pedum ablutionem. Quæris forte unde ſciam, quod ſit Sacramentum hujus remiſſionis .·.· vis autem noſſe quia pro Sacramento illud eſt, non pro ſolo exemplo factum? Illud attende quod Petro dictum eſt, Si non lavero te*, &c. *Aliquid igitur latet quod neceſſarium eſt ad ſalutem, quando nec ipſe Petrus partem haberet in regno Chriſti & Dei. Vide .·. ſi non agnoverit* Petrus ſalutare eſſe myſterium, cum reſpondit: Domine, non tantum pedes, &c. *Et unde ſcimus quia ad diluenda peccata, quæ non ſunt ad mortem, & a quibus plene cavere non poſſumus ante mortem ablutio iſta pertineat? Ex eo plane quod offerenti manus & caput pariter ad abluendum, reſponſum eſt, Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet.* Ex iis ſic: Ille ablutionem pedum reponit inter Sacramenta, qui ei tribuit definitionem Sacramenti, quam tribuit Baptiſmo & Euchariſtiæ; qui eam Baptiſmo & Euchariſtiæ comparat; qui per eam tanquam per ſignum viſibile gratiam inviſibilem conferri docet: atqui S. Bernardus lotioni pedum tribuit definitionem Sacramenti, quam tribuit Baptiſmo, &c.

Reſp. 1. Eccleſiæ fidem non ex uno aut altero Patre repeti, ſed ex morali SS. Doctorum conſenſu, qui certe in præſenti materia non reperitur.

Reſp. 2. Tractatum de ablutione pedum male affingi S. Cypriano; quandoquidem eruditi eum hodie tribuunt Arnoldo Abbati Bonævallis. Idem cenſent plures Calviniani, quos ſequuntur Catholici nonnulli de Opere de Sacramentis, quod Ambroſii fœtum eſſe negant, licet eidem ineſſe multa, quæ ex certioribus Ambroſii libris deprompta ſint, non diffiteantur.

Reſp. 3. lotionem pedum in Tractatu Arnoldi Carnotenſis, non ſumi materialiter, ſed myſtice pro ſenſu doloris quo ablui debet homo a quotidianis exceſſibus. *Hoc lavacrum*, inquit, *omnia debet opera & cogitatus ſingulos perſcrutari, & affectus per vitia diſcurrentes .·.· corrigere & lavare, nec quidquam in vita prætermittere, quod gemitibus & ſuſpiriis non fuerit expiatum:* ergo in hujuſce Scripturæ textu ne vocula quidem eſt, quæ de ſigno ſenſibili, ſeu de exteriori pedum ablutione intelligi debeat. Et vero ſi exterior ablutio, qualis ad Sacramentum neceſſaria foret, pro quotidianis culpis inſtituta fuiſſet, fuiſſet & aliquis miniſter, qui Chriſti nomine pedes ſingulis diebus, vel ſaltem ſæpiſſime abluiſſet: atqui nullibi unquam viguit hæc praxis. Hinc Arnoldus non dicit lavandos eſſe pedes hominis ab homine, ſed ab ipſo Chriſto: *Lavet* ille, inquit, *& tergat*, &c. ergo de myſtica ſolum lotione loquitur, quæ profecto non ſufficit ad Sacramentum,

Quod

Quod ſpectat ad Auctorem Librorum de Sacramentis, agnoſcit ille quidem in Petri lotione myſterium & ſanctificationem; ſed nihil profert unde colligi poſſit ſanctificationem hanc vi ipſius pedum lotionis productam fuiſſe: porro de ratione Sacramenti eſt ut gratiam per ſe pariat ſublatis obicibus. Certe ſi Auctor ille in lotione pedum dignitatem veri Sacramenti agnoviſſet, quæ potuiſſet ejus eſſe ſocietas cum Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis, qui ſublata, ut ipſe fatetur, hac pedum lotione, Sacramentorum unum impie ſuſtuliſſent?

Ad id quod additur ex Lib. de Myſteriis, dico tolli quidem in mente S. Ambroſii, hæreditaria peccata, ideſt, ut ipſe ſibi interpres eſt Ambroſius in Expoſ. Pſal. 48. n. 9. defectus qui concupiſcentiam ſequuntur, tolli, inquam; per lotionem pedum, ſed ſolum ex opere operantis.

Ad textum S. Bernardi, diſt. maj. ille ablutionem pedum reponit inter Sacramenta, qui eidem tribuit definitionem Sacramenti completam; qui eam Baptiſmo comparat adæquate; qui per eam ut per viſibile ſignum dicit gratiam conferri permanenter, & propria ejus efficacia, C. qui ei tribuit definitionem Sacramenti incompletam, &c. N. Itaque ablutio pedum eſt quidem ſignum exterius rei ſacræ & ſpiritualis, nempe interioris, ut multi volunt, munditiæ, quæ neceſſaria eſt accedentibus ad corpus Chriſti: unde aliquid habet per quod cum Sacramentis, quæ eſſentialiter ſigna ſunt, comparari poſſit. Verum hæc ad Sacramenti rationem non ſufficiunt; quia in nova Lege requiritur ut ſignum illud & permanens ſit, & ex opere operato gratiam producat; & in ejus applicatione forma materiam comitetur: atqui probari non poteſt ex S. Bernardo pedum lotionem eſſe ſignum permanens, eamque ab ipſo penes efficaciam comparari cum Baptiſmate & Euchariſtia, &c. ſicut ex eo quod ibidem dicit, originalis peccati labem olim eraſam fuiſſe cultello circumciſionis, colligi abſolute non poteſt, parem prorſus in mente Bernardi fuiſſe vim & efficaciam Circumciſionis ac Baptiſmi; ergo.

Inſt. 1. Signum quo quotidiana peccata remittuntur, quodque non pro ſolo exemplo erat, ſed pro Sacramento ita neceſſario ad ſalutem, ut ſine eo nec ipſe Petrus ſalvari poſſet, eſt ſignum permanens ſimul & efficax: atqui ex S. Bernardo ablutio pedum eſt ſignum & Sacramentum, quo quotidiana peccata remittuntur, &c.

Reſp. diſt. maj. quoad 1. partem. Signum quo quotidiana peccata remittuntur proprie & efficaciter, C. minus proprie, & non vi ejus intrinſeca, N. Itaque in mente S. Bernardi dici poteſt latiori aliquo ſenſu, quod peccata lotione pedum remittantur, ut & dicitur eadem remitti per Sacramentalia. Sed nec dixit, nec per tranſennam inſinuavit S. Doctor, remiſſionem hanc fieri vi propria ablutionis, & ex opere operato: alioqui enim quomodo ablutio hæc fuiſſet tam rara, ut nonniſi ſemel in anno, vixque alibi quam in Eccleſiaſticis Communitatibus adhiberetur.

Ad 2. part. neg. min. non enim dicit Bernardus ablutionem pedum ita eſſe neceſſariam, ut ſine ea ſalvari non poſſit homo, & vi ejus ſalvetur; ſed ait eſse myſterium rei ad ſalutem neceſsariæ, obedientiæ ſcilicet & charitatis, quæ ſi Petro defuiſsent, nec ipſe ſalvari potuiſset. Et certe quis dicat peccata venialia, ad quorum remiſſionem inſtituta eſt iſthæc ablutio juxta S. Bernardum, damnare hominem, ſi non deleantur?

Inſt. 2. Cum hic non agatur de rebus ut in ſe ſunt, ſed ſolum de mente S. Bernardi: ablutio de qua loquitur ipſe, in mente ipſius neceſſaria eſt ad ſalutem, poſito quod remiſſio venialium ſit pariter in mente ejus neceſſaria ad ſalutem: atqui juxta S. Bernardum remiſſio venialium eſt ad ſalutem neceſſaria; ergo & neceſſaria eſt illa pedum ablutio, per quam ſolam peccata hæc deleri poſſunt.

Prob. min. ſic ibidem loquitur S. Bernardus de iis peccatis quæ *gravia* non ſunt, quæ ſunt *inevitabilia*, & pro quibus, quia facile remittuntur, non oportet nos nimis eſſe ſollicitos: ſic, inquam loquitur: *Impoſſibile eſt cum iis ſalvari: impoſſibile eſt ea dilui niſi per Jeſum Chriſtum, &c. a Chriſto*. Unde ſic: Tam impoſſibile eſt, ex S. Bernardo, ſalvari hominem cum peccatis venialibus, quam impoſſibile ſit venialia hæc peccata aliter dilui, quam per Jeſum Chriſtum: atqui ex S. Bernardo & ex omnibus, prorſus impoſſibile eſt venialia peccata *dilui niſi per J. C.* ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. impoſſibile eſt hominem ſalvari cum venialibus, ſi ea contemnat, & ab iis abſtinere nolit, quia parva ſunt, C. impoſſibile eſt abſolute, N. Utraque ſolutionis pars conſtat ex objecto loco; 1. enim S. Bernardus ait peccata hæc non eſſe *ad mortem*, & vetat ne nimis propter ea ſolliciti ſimus; ergo nec ſupponit ea per ſe cauſam eſſe damnationis, nec propter ea Sacramentum inſtitui debuiſſe; 2. ſic loquitur idem mellifluus Pater: *Verumtamen nemo contemnat, aut parvipendat; impoſſibile enim eſt cum iis ſalvari*. Et clarius Serm. 1. de Converſione S. Pauli: *Nemo dicat in corde ſuo, Levia ſunt iſta, non euro corrigere, non eſt magnum ſi in his maneam venialibus minimiſque peccatis: hæc eſt enim impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum S. blaſphemia irremiſſibilis;* ergo non judicavit S. Doctor expertes eſſe ſalutis qui peccarent venialiter, ſed ſolum qui peccata venialia contemnerent, &c.

CAPUT SECUNDUM.

De cauſis Sacramentorum.

CAuſæ multiplex apud veteres Theologos: alia efficiens, quæ vel eſt primaria, & inſtitutrix dicitur; vel ſecundaria, & vocatur miniſterialis: alia materialis, quæ vel intrinſeca eſt, & conſiſtit in materia & forma ex quibus exurgit totum Sacramentale; vel extrinſeca, & ſubjectum nuncupatur: alia demum finalis, quæ in fine & effectibus Sacramenti conſiſtit. De hac dicemus capite ſequenti; de ceteris hic dicendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De cauſa efficiente Sacramentorum.

UT efficiens Sacramentorum cauſa plene expendatur, agendum eſt 1. de Sacramentorum Auctore: 2. de eorumdem Miniſtro.

S E-

SECTIO PRIMA.

De Auctore Sacramentorum.

Circa Sacramentorum Auctorem duo quæruntur, 1. an Deus ſingula Sacramenta per ſeipſum inſtituerit; 2. an creaturæ largiri potuerit facultatem ea inſtituendi.

Circa primum, conſtat 1. antiquæ Legis Sacramenta a Deo immediate inſtituta eſſe. Patet id de Circumciſione ex c. 17. Geneſ. de Agno paſchali ex c. 12. Exodi, de Sacerdotali conſecratione ex Levit. 8. Et vero ſi innumerabiles minutioris momenti cæremonias per ſeipſum inſtituere voluerit Deus, ut indicat toties repetitum illud in Scriptura: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen:* qui fiet ut non inſtituerit Sacramenta, quę caput ſunt Religionis? Non ergo dicitur Lex Joan. 1. *Per Moyſen data*, quia ab eodem inſtituta ſit, ſed quia promulgata.

Conſtat 2. apud omnes quædam ſaltem novæ Legis Sacramenta a Chriſto immediate inſtituta fuiſſe, puta Baptiſmum & Euchariſtiam: ſed ambigitur an idem de omnibus dicendum ſit. Senſerunt enim Hugo Victorin. & Magiſter Sentent. Lib.4. diſt.23. Extremam-Unctionem a S. Jacobo fuiſſe inſtitutam. Alenſis vero Confirmationem diu poſt Apoſtolorum tempora in Meldenſi Concilio anni 847. inductam eſſe cenſet; qua ab opinione non abhorret S. Bonaventura in 4. ſent. diſt. 1. art. 1. Sit

Conclusio I. Chriſtus omnia Legis novæ Sacramenta inſtituit immediate.

Prob. 1. qui Eccleſiam fundavit, cenſendus eſt columnas ejus poſuiſſe, niſi aliud ex Scriptura vel Traditione certo conſtet: atqui Chriſtus indubie fundavit Eccleſiam; cujus, ex omnium confeſſo, Sacramenta baſes ſunt & columnæ. Aliunde vero nec ex Scriptura nec ex Traditione probari poteſt fundamenta hæc ab alio quam ab ipſo Chriſto poſita fuiſſe; ergo.

Confirm. Si Apoſtoli Sacramenta quædam inſtituiſſent, jam inſtitutores eſſent, non meri diſpenſatores myſteriorum Dei: atqui tamen S. Paulus, ubi etiam Apoſtolicam dignitatem maxime commendat, *Sic nos*, inquit, *exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*, & iterum: *Quid eſt Apollo, quid vero Paulus? Miniſtri ejus cui credidiſtis;* ergo. 1. Cor. 4. Ib. v. 3.

Prob. 2. ex Trid. Seſſ. 7. Can. 1. ubi ſic: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuiſſe omnia a J.C.D.N. inſtituta, anathema ſit*: atqui in uſu communi, a quo nonniſi gratis fingi poteſt receſſiſſe ſacram Synodum, illud quis inſtituiſſe dicitur, quod immediate & per ſeipſum inſtituit. Unde nec Concilia nec Patres nec Theologi a Chriſto eſſe dicunt ea, quæ etiam ex commiſſione Chriſti inſtituta ſunt immediate ab Eccleſia; ut patet de cenſuris, de jejuniorum ac feſtorum legibus; ergo.

Confirm. Si quæ ab Eccleſia per poteſtatem ſibi a Chriſto conceſſam inſtituta ſunt, poſſent dici ſimpliciter ab eodem Chriſto inſtituta, jam ritus qui in diſtribuenda Euchariſtia ſervari ſolent, a Chriſto inſtituti dicerentur; cum ab Eccleſia per ſolam Chriſti poteſtatem inſtituti fuerint: atqui tamen Tridentini PP. cum ritus illos a Proteſtantium ludibriis defendunt, Seſſ. 21. c. 2. ajunt ſolum eoſdem ab Eccleſia inſtitutos fuiſſe; ergo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Confirm. 2. ex Seſs. 14. cap. 1. ubi ſic loquuntur iidem Patres: *Inſtituta eſt ſacra Unctio infirmorum, tanquam vere & proprie Sacramentum novi Teſtamenti a Chriſto D. N. apud Marcum quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum .·. fidelibus commendatum ac promulgatum:* atqui Sacramentum quod tantummodo fidelibus commendatum eſt & promulgatum a S. Jacobo, ab eodem inſtitutum non fuit; ergo.

Prob. 3. quia nemo veterum Patrum per priora 12. Eccleſiæ ſæcula docuit Apoſtolis conceſſam fuiſſe poteſtatem inſtituendi Sacramenta. Imo Ambroſius, aut quivis alius Auctor Librorum de Sacramentis, *Auctor*, inquit, *Sacramentorum, quis eſt niſi Dominus Jeſus?* & Auguſtinus Lib. de vera Relig. *Ubi*, inquit, *venit tempus gratiæ, ab ipſa Dei Sapientia homine aſſumpto .·.· pauca Sacramenta ſaluberrima conſtituta ſunt.* L. 4. c. 4.

Objic. 1. Chriſtus Apoſtolos mittens, ſic eos alloquitur Joan. 20. *Sicut miſit me vivens Pater, & ego mitto vos:* atqui Deus Chriſtum miſit cum poteſtate inſtituendi Sacramenta; ergo.

Reſp. diſt. maj. Chriſtus Apoſtolos miſit, ſicut eum miſerat Pater, ideſt miſit eadem poteſtate, C. ideſt miſit cum eadem poteſtate, N. Alioqui enim ſicut remittebat Chriſtus peccata ſine ullius Sacramenti ope, ſic & ea extra Pœnitentiæ Sacramentum remittere potuiſſent Apoſtoli, quod nemo dixerit.

Objic. 2. S. Auguſtinus Lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 9. loquens de Sacramentis Legis novæ, hæc habet: *Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima .·. ipſe Dominus & Apoſtolica tradidit diſciplina:* ſed quæ ab Apoſtolis & a Chriſto tradita ſunt, a ſolo Chriſto inſtituta non fuere; ergo.

Reſp. diſt. maj. Chriſtus & Apoſtoli Sacramenta tradidere aliter & aliter, C. eodem modo, N. Itaque Chriſtus & Apoſtoli Sacramenta tradiderunt, ſed diverſimode; Chriſtus nimirum ut auctor, Apoſtoli tanquam præcones; Chriſtus id preſcribendo quod eſſentiale eſt, Apoſtoli cęremonias ad majorem ſolemnitatem adjungendo.

Inſt. idem Auguſtinus Ep. 54. ad Januarium: *Chriſtus*, inquit, *Sacramentis numero pauciſſimis .·. ſocietatem novi populi colligavit; ſicuti eſt Baptiſmus, communicatio Corporis & Sanguinis ipſius, & ſi quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur .·.· Illa autem quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum Orbe ſervantur, datur intelligi vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis .·.· commendata atque ſtatuta retineri:* atqui non omnium Sacramentorum inſtitutio ſcripta eſt, prout de Matrimonio fatetur Eſtius, & cum eo alii plures; ergo.

Reſp. neg min. a qua expedient ſe ut poterunt Eſtii ſequaces. Interim dico per ea quæ juxta Auguſtinum ab Apoſtolis vel Conciliis ſtatuta ſunt, intelligi generalia Eccleſię pręcepta, quę ubique locorum ſervantur, *Sicuti*, ait S. Doctor, *quod Domini paſſio & reſurrectio, &c. anniverſaria ſolemnitate celebrentur.*

Objic. 3. Chriſtus non eſt inſtitutor niſi Euchariſtiæ, juxta illud citati Sermonis de ablutione pedum: *Ipſe ſummus Sacerdos ſui eſt Sacramenti auctor & inſtitutor; in cęteris homines Spiritum ſanctum habuere doctorem;* ergo.

V. Grandin p. 26. Reſp. neg. ant. & dico per has voces *ſui Sacramenti*, intelligi quodlibet Sacramentum; quia alioqui nec Baptiſmum quidem immediate inſtituiſſet Chriſtus, quod a Proteſtantibus perinde ac a Catholicis negatur; per

hæc

hæc vero verba, *in ceteris*, &c. intelligi vel ſacros Codices, quos dictante Spiritu ſancto exaravere Apoſtoli; vel immobilia quędam pręcepta circa Sacramentorum adminiſtrationem; ut quod parvuli baptizari poſſint; quibus quidem pręceptis *nihil addi*, *nihil ſubtrahi*, *nihil poteſt corrigi*, *vel mutari*, prout ibidem loquitur citatus Auctor, quem jam monuimus male cum S Cypriano confundi.

Quęres 1. an de fide ſit Chriſtum immediate inſtituiſſe Sacramenta.

Reſp. neg. cum Soto, Eſtio, & aliis paſſim: 1. quia nihil erui poteſt ex verbo Dei ſcripto vel tradito, quod immediatam inſtitutionem invicte probet; 2. quia Tridentina Synodus ubi de Sacramentorum inſtitutione agit, de induſtria abſtinet ab iis vocibus quę immediatam Chriſti actionem exprimerent; tantumque, cum de Extrema-Unctione loquitur, ait eam Marci 6. inſinuatam fuiſſe. Adde quod hujus Concilii Patres in id incubuerint unum, ut Pſeudoreformatorum hęreſes proſcriberent; non ut vellicarent opiniones ſalva fide inter Catholicos controverti ſolitas. Fatendum tamen cum Juenin, eo uſque invaluiſſe immediatę inſtitutionis opinionem, ut vix effugerent temeritatis notam, qui ab ea etiamnum recederent. Multo gravius peccaret, qui cum Alenſi inſtitutionem Confirmationis ad plura poſt Chriſtum ſęcula differret. Unde Fraſſen ſuorum defenſor, ſed ſagax, nitide hic de Alenſi & Bonaventura illud ait quod de Cypriano Auguſtinus Lib. 2. contra Creſcon. cap. 30. *Non accipio quod de baptizandis hæreticis & ſchiſmaticis B. Cyprianus ſcripſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem fudit.* *Pag.* 46.

Quęres 2. an Chriſtus Sacramenta inſtituerit non ſolum ut Deus, ſed & ut homo.

Reſp. affirmat. duplex enim diſtinguitur poteſtas, alia auctoritatis, quę etiam ſuprema dicitur & independens; alia excellentię, quę licet ſuprema non ſit, habet tamen pręrogativas ſingulares. Per priorem inſtituit Sacramenta ut Deus; per poſteriorem ut homo. Pręcipuę autem hujus excellentię poteſtatis dotes ſunt, 1. quod Sacramenta vim ſuam habeant ex meritis Chriſti condignis; 2. quod Sacramenta per invocationem nominis ejus, ejuſque vice & auctoritate celebrentur & conficiantur; 3. quod effectus Sacramentorum independenter a Sacramentis ponere potuerit. His e principiis facile ſequitur

Conclusio II. Non potuit communicari puræ creaturæ relative ad Sacramentorum inſtitutionem poteſtas, qualis fuit in Chriſto: potuit tamen hæc communicari creaturæ in gradu inferiori.

Prob. 1. pars. Poteſtas Chriſti fuit & auctoritatis & excellentiæ: atqui neutra puræ creaturę communicari potuit. Non prima, hęc enim omnimodam dicit independentiam, quę ne ipſi quidem Chriſto ut homini competit. Non ſecunda, quia hęc ſupponit meritum ſtricte rigoroſum, ac proinde fundatum in unione hypoſtatica: porro implicat meritum hujuſmodi utpote theandricum in pura creatura reperiri.

Prob. 2. pars, quam docet S. Thomas hic q. 64. art. 4. 1. ex S. Auguſtino Tract. 5. in Joan. n. 7. ubi ſic legere eſt: *Potuit Dominus N. J. C. ſi vellet dare poteſtatem alicui ſervo, ut daret Baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & transferre a ſe baptizandi poteſtatem . ' . & tantam vim dare Baptiſmo tranſlato in ſervum, quantam vim haberet Baptiſmus datus a Domino.*

Hoc noluit ideo, ut in illo eſſet ſpes baptizatorum ∴ & ne *tot eſſent Baptiſmata, quot eſſent ſervi*. Ubi Sanctus Pater docet puros homines de facto baptizare ut miniſtros; de poſſibili vero potuiſſe baptizare per poteſtatem, quæ idem operaretur ac poteſtas Chriſti; & quæ proinde Sacramenta inſtitueret.

Prob. 2. cui communicari poteſt facultas gratiam ſacramentalem merendi ſaltem de congruo, eamque ſenſibilibus ſignis alligandi, aut conferendi independenter ab iiſdem ſignis, ei communicari poteſt facultas inſtituendi Sacramenta: atqui poteſt Deus puro homini tribuere tantam gratiam, ut ipſe eam pro aliis mereatur, eamdemque vel conferat per ſe, vel dependenter a ſignis quæ inſtituerit, & quæ ad nominis ſui invocationem ſanctificentur; ergo.

Objic. 1. Ille ſolus Sacramenta inſtituere poteſt, qui poteſt largiri gratiam: atqui ſolus Deus poteſt gratiam largiri, juxta id Pſalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*.

Reſp. diſt. min. ſolus Deus ut cauſa principalis poteſt gratiam largiri, C. ſolus Deus, ita ut creaturam puram poteſtatis hujus executricem facere non poſſit, N. Poteſt enim, ait Auguſtinus, *transferre a ſe in ſervum baptizandi poteſtatem*.

Inſt. Non poteſt Deus facere creaturam cujus ad imperium gratiam dare teneatur: atqui in hypotheſi noſtra Deus ad imperium creaturæ gratiam largiri teneretur.

Reſp. neg. min. non enim proprie obedit creaturæ, qui ſolum quas ipſe conſtituit leges ſequitur: hoc autem faceret Deus, & nihil ultra; ergo non aliter obediret homini, quam obedierit Joſue, cum ad ejus vocem curſum ſolis compreſſit & moratus eſt.

Objic. 2. Juſtificatio impii, quæ fit per Sacramenta, majus eſt quid quam creatio cœli & terræ, ex Auguſtino Tract. 72. in Joan. atqui Chriſtus non potuit creaturæ tribuere vim creandi cœlum & terram; ergo nec eidem tribuere potuit vim juſtificandi per Sacramenta.

Reſp. diſt. maj. juſtificatio impii eſt quid creatione majus ex parte facti, quia hæc ad eſſe naturale terminatur, illa ad formam ſupernaturalem, C. ex parte modi, N. Quia enim in creatione *ex nihilo fit aliquid*, idcirco *maximum opus eſt creationis*, ut docet S. Thomas 1. 2. q. 113. art. 9.

SECTIO SECUNDA.

De Miniſtro Sacramentorum.

Ut præambulæ quædam minoris momenti quæſtiones ſolvantur,

Dico 1. Miniſter Sacramenti ſecundum Legem Dei ordinariam eſt ſolus homo viator, non tamen quilibet cujuslibet.

Prob. 1. pars, contra Lutherum, qui in Libro de Miſſa privata edito an. 1534. docet diabolum in corpore humano baptizantem, conſecrantem, &c. ſacramentaliter operari. Prob. inquam 1. quia ſolis hominibus dictum eſt Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. ſolis Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*. ſolis Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. Unde Apoſtolus Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus*

minibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur.·.: ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.

Prob. 2. ex S. Chryſoſtomo, qui in re obvia plus ſatis fuerit. Sic ille Lib. 3. de Sacerdotio: *Qui terram incolunt.·. poteſtatem acceperunt, quam neque Angelis, neque Archangelis dedit Deus: neque enim illis dictum eſt, Quæcumque ligaveritis*, &c.

Hinc ſi quandoque Angeli aſſumpto corpore Euchariſtiam miniſtraverint, ut ferunt veteres hiſtoriæ, dicendum eſt eos haud quidem hoſtiam conſecraſſe, ſed conſecratam adhibuiſſe. Imo ne quidem Sanctus, olim Sacerdos, conſecrare poſſet; quia etſi manet in eo character quoad ornatum, non tamen quoad uſum.

At, inquies, tam poteſt diabolus conficere Sacramenta, quam id poſſint diaboli membra, ut Judas, & impii quique Sacerdotes: atqui diaboli membra, &c.

Reſp. neg. mag. mali enim Sacerdotes non deſinunt eſſe Miniſtri Chriſti, quia ad id conſecrati fuere: at vero dæmones nuſquam in Chriſti Miniſtros conſecrati ſunt.

Prob. 2. pars contra eumdem Lutherum, qui in Libro ad Pragenſes de inſtituendis Miniſtris Eccleſiæ ſic loquebatur an. 1523. *Sacerdos in novo præſertim Teſtamento non fit, ſed naſcitur, non ordinatur, ſed creatur. Naſcitur autem in Baptiſmo, ſuntque prorſus omnes Chriſtiani Sacerdotes*. Prob. inquam 1. quia in Lege Chriſti, quæ alia quacumque ſanctior eſt & ordinatior, licitum id eſſe nequit, quod grande fuiſſet piaculum in veteri Lege: atqui quod quilibet ſibi crediidiſſet ineſſe Sacerdotii poteſtatem, grande fuiſſet ſcelus in veteri Lege. Hinc Oziam Sacerdotalia munia uſurpantem his verbis amare carpebant Levitici Sacerdotes II. Paralip. 26. *Non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad ejuſmodi miniſterium. Egredere de Sanctuario;* ergo quod cuilibet Chriſtiano Sacerdotalis poteſtas attribuatur, grande eſt ſcelus in Lege Chriſti, in qua, teſte Paulo Hebr. 5. nemo *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron*.

Prob. 2. ex Trid. Seſſ. 7. Can. 10. ubi ſic: *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in verbo & in omnibus Sacramentis habere poteſtatem, anathema ſit*.

Hæc pluribus non proſequor, quia ſuum ſingulis Sacramentis Miniſtrum adſcribam in decurſu, & objectiones contra Eccleſiæ fidem moveri ſolitas pro modulo diſcutiam.

Dico 2. Miniſter Sacramenti in uſu poſiti, ad ejus effectum vere & active ſuo modo concurrit.

Prob. 1. qui vere, licet inſtrumentaliter, remittit peccata in confeſſione, & gratiam confert in Ordinis Sacramento, ille ſuo modo vere concurrit ad effectum Sacramenti: atqui utrumque facit Miniſter Sacramentorum; remittit enim peccata, Joan. 20. & gratiam confert in ordinatione, II. Timot. 1. v. 6.

Prob. 2. qui eſt cauſa actionis, cauſa eſt effectus quem actio producit: atqui Miniſter Sacramenti cauſa eſt actionis ſacramentalis, quæ ſacramentalem effectum producit; ergo & effectus cauſa eſt.

Dixi, *Sacramenti in uſu poſiti*, quia Miniſter Euchariſtiæ, quæ id habet proprium ut in re permanenti, non autem in uſu ſeu actione

tran-

tranſeunte conſiſtat, non concurrit ad gratiam quam parit Euchariſtia; cum ſit tantum cauſa applicans, & conditio ſine qua non. Quanquam ſicut medicus dicitur cauſa ſanitatis, cum applicat medicamentum; ſic & utcumque cauſa gratiæ dici poteſt qui Euchariſtiam adminiſtrat.

Dixi iterum, *ſuo modo;* quia, ex S. Thoma q. 64. art. 1. *eadem eſt ratio Miniſtri & inſtrumenti*, ſeu ſigni ſacramentalis: atqui inſtrumentum licet vere concurrat ad effectum ſacramentalem, eſt tamen cauſa ſolum inſtrumentalis, ergo idem de Miniſtro dicendum eſt, cum nec ipſe, nec ejus actio ex ſe, ſed ab agente principali vim habeat producendi effectum Sacramenti, gratiam ſcilicet & characterem. Sola ergo utriuſque cauſa abſolute principalis eſt Deus, juxta id Rom. 8. *Deus* eſt *qui juſtificat*. Cauſa vero principalis meritoria eſt Chriſtus, fons & origo juſtitiæ totius; quique vim meritoriæ cauſæ non aliunde habet, ſed a ſe ipſo.

His obiter præmiſſis tria manent fuſius expendenda, 1. an Miniſtro ineſſe debeat probitas; 2. an fides; 3. an & quæ intentio.

PUNCTUM PRIMUM.

De probitate Miniſtri.

Videndum hic 1. an malus Miniſter qui in forma communi Sacramentum conficit, idem valide conficiat; 2. an licite; 3. an a malo Miniſtro Sacramenta recipi poſſint, & peti. Quæ triplici Paragrapho exequemur.

§. I. *An malus Miniſter valide conficiat Sacramenta.*

Donatiſtæ ſic nuncupati vel a Donato *Caſarum nigrarum* in Numidia Epiſcopo, vel ab alio Donato Majorini ſucceſſore, ut ſub aliqua pietatis ſpecie recederent a communione Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis, palam propugnarunt conſecrationem ejus nullam eſſe & irritam, ut quæ facta eſſet a Felice Aptungitano, quem calumnioſe cauſabantur in perſecutione Diocletiana circa an. 303. Libros ſacros tradidiſſe. Erroris, qui tot annos Africanam, imo totam Eccleſiam miſere defatigavit, fundamentum illud erat, irrita eſſe Sacramenta non ab hæreticis modo ſed & a peccatoribus collata. Et id quidem aſſertum primo de peccatoribus etiam occultis, ad peccatores publicos deinceps reſtrinxere, prout colligere eſt ex Auguſtino Lib. 2. contra Creſcon. c. 28. & Lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani c. 13.

* V. S. Bernardo Serm. 66. in Cant. c. 11.

Eumdem errorem amplexi ſunt ſæculo Eccleſiæ 12. Henriciani ſeu * Apoſtolici, Valdenſes, Albigenſes; Wicleſiſtæ ſub finem ſæculi 14. ac demum ſæculo 16. Anabaptiſtæ. Contra quos omnes ſit

Conclusio. Valent Sacramenta a Miniſtro etiam improbo rite confecta. Eſt de fide, ſecundum id Concilii Tridentini Seſſ. 7. Can. 12. *Si quis dixerit Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema ſit.*

Prob. 1. valent Sacramenta ab hæreticis rite confecta, ut patebit ex dicen-

licendis Punćto ſeq. atqui non valerent, niſi valerent confecta a peccatoribus. Quandoquidem peccatores ſunt hæretici, qui Chriſtum perſequuntur in membris, ejuſque tunicam ſacrilege diſcindunt; ergo.

Prob. 2. ex Auguſtino qui ex profeſſo Doctrinam hanc tradit Tract. 5. in Joan. ubi poſtquam principii loco ſtatuit n. 5. *aliud eſſe baptizare per miniſterium, aliud vero per poteſtatem*, ſic pergit: *Baptiſma tale eſt, qualis eſt ille in cujus poteſtate datur; non qualis eſt ille per cujus miniſterium datur ∴ non exhorreat columba miniſterium malorum, reſpiciat Domini poteſtatem. Quid tibi facit malus Miniſter, ubi bonus eſt Dominus?* & num. 18. *Quod dabatur a Paulo, & quod dabatur a Petro, Chriſti eſt; & ſi datum eſt a Juda, Chriſti erat. Dedit Judas, & non eſt baptizatum poſt Judam; dedit Joannes, & baptizatum eſt poſt Joannem: quia ſi datus eſt a Juda Baptiſmus, Chriſti erat; qui autem a Joanne datus eſt, Joannis erat ∴ Non timeo adulterum, non ebrioſum, non homicidam; quia columbam attendo per quam mihi dicitur. Hic eſt qui baptizat.* Unde ſic non auctoritatis, quæ manifeſta eſt, ſed rationis argumentum efformo: Ut Sacramentorum efficacia non pendeat a mala Miniſtri diſpoſitione, ſufficit ut eorum Miniſter non agat nomine proprio, ſed nomine alterius, qui independenter a qualibet Miniſtri diſpoſitione operari poſſit & velit: atqui Miniſter Sacramentorum non agit nomine proprio, ſed Chriſti. Hic enim *eſt qui baptizat;* nec quiſquam præter eum *poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine*. Aliunde vero poteſt & vult independenter a qualibet Miniſtri diſpoſitione operari. Poteſt quidem, quia omnia poteſt; vult vero quia bonus eſt; nec ut bonus & infinite bonus providiſſet creaturæ ſuæ, ſi ſortem ejus ab improbitate Miniſtri fere ſemper incognita ſuſpendiſſet. *Quomodo*, aiebat Auguſtinus Lib. 1. contra Lit. Petiliani, *ſecuri erant, ſi conſcientia dantis attenditur, quæ latet oculos accepturi?* Job.

Confirm. Se habent Sacramenta ut ſemen & inſtrumentum gratiæ: atqui ſemen, ſi fertili terræ committatur etiam ab immunda manu, fructum indubie parit. Idem eſt de inſtrumento: *Quod* enim *corpus medici, id eſt inſtrumentum animæ habentis artem, ſit ſanum vel infirmum*, nihil facit ad vim medicinæ, ut ſolide notat S. Thomas hic q. 64. art. 5. ergo.

Confirm. 2. Poteſtas Sacramenta conficiendi eſt gratia gratis data, id eſt per ſe ordinata ad alterius ſalutem: atqui gratia hujuſmodi non tollitur per peccatum: tum quia Caiphas, licet impius, vere prophetavit, quia Pontifex erat; tum quia multi in nomine Chriſti ejiciunt dæmonia, & virtutes multas faciunt, qui tamen operarii ſunt iniquitatis, Matth. 7. ergo.

Prob 3. ex Nicolao I. in reſponſione ad conſulta Bulgarorum cap. 71. ibi ſic: *Sciſcitantibus vobis, ſi a Sacerdote, qui ∴ comprehenſus eſt in adulterio ∴ debeatis communionem ſuſcipere, necne: reſpondemus, Non poteſt aliquis quantumcumque pollutus ſit, Sacramenta divina polluere, quæ purgatoria cunctarum remedia cogitationum exiſtunt. Non poteſt ſolis radius per cloacas & latrinas tranſiens, aliquid exinde contaminationis attrahere*, &c. Quæ verba theſim noſtram & continent & probant.

Prob. 4. ex definitione Concilii Conſtantienſis a quo Seſſ. 45. damnata eſt iſthæc Wiclefi propoſitio n. 4. *Si Epiſcopus vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non conſecrat, non baptizat.*

Objic.

Digitized by Google

Objic. 1. Oleum peccatoris ſanctificare non poteſt, nec poteſt quis ab immundo mundari, ſecundum id Pſal. 140. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum;* & Eccli. 34. *Ab immundo quis mundabitur*: atqui Sacramenta in manu impiorum ſunt oleum peccatoris; & qui per ea mundaretur, ab immundo mundaretur; ergo.

Reſp. neg. min. & dico Sacramenta oleum eſſe Chriſti, non autem peccatoris: unde qui mundatur, non ab immundo, ſed a Chriſto ipſo mundatur, qui tam per immundi miniſterium mundare animas poteſt, quam per infirmi medici pharmacum ſanare corpora. Ceterum in Pſal. 140. non agitur de unctione ſacramentali, ſed de periculoſis adulatorum blanditiis, quibus miſericordem Juſtorum iram præponit vates regius: *Corripiat me*, inquit, *Juſtus in miſericordia; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Ita notat Auguſtinus Lib. 2. contra Parmen. cap. 10.

Objic. 2. Matth. 7. ſic loquitur Chriſtus: *Numquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus*. Et iterum: *Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*. Unde ſic: Si actio mali Miniſtri pareret gratiam, jam colligerentur de ſpinis uvæ, de tribulis ficus, de arbore mala fructus boni: atqui ex Chriſto colligi non poſſunt, &c.

Reſp. diſt. maj. ſi actio mali Miniſtri prout eſt formaliter Miniſtri, pareret gratiam, C. maj. ſi actio mali Miniſtri, prout eſt actio Chriſti nomine exercita, N. maj. Itaque actio hominis hominem baptizantis, non regenerat prout eſt actio quædam mere humana, ſed prout vim ſanctificandi habet a Chriſto. Quod ergo innocens ſit aut reus qui baptizat, nihil facit ad vim & effectum Baptiſmi: *Alioquin*, ait ibid. Auguſtinus c. 6. *ſi ex innocentia baptizantis expectatur ut fiat innocentia baptizati, tanto erit quiſque innocentior, quanto innocentiorem, a quo baptizetur, invenerit; & tanto ipſe minus erit innocens, quanto & ille a quo baptizatur*. Imo nec ullatenus erit innocens, ſi ab occulto peccatore baptizetur; & is enim eſt arbor mala. Ita idem S. Doctor, c. 8. contra juniores Donatiſtas, qui collatum a peccatore ſecreto Baptiſma non rejiciebant.

Inſt. 1. Ut actio impii ſub nullo reſpectu poſſit parere gratiam, ſufficit ut actio impii deſinat eſſe actio Chriſti: atqui actio impii, eo ipſo quo talis eſt, deſinit eſſe actio Chriſti. Prob. min. Ea ſolum actio cenſeri poteſt actio Chriſti, quæ legitime & ſecundum præſcriptum legis exercetur, tam quoad Miniſtrum, quam quoad materiam, formam & intentionem: atqui actio impii non fit quoad Miniſtrum legitime & ſecundum præſcriptum legis, ſed directe contra legem. Prob. min. ex Levit. 21. ubi ſic: *Homo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus*: ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. quæ ſi vera ſit, deſiere, antequam a Chriſto abrogarentur, ſacrificia Moſaica, utpote ab impiis Sacerdotibus oblata; nec audiendi erant, qui ſedebant ſuper cathedram Moyſis, utpote qui moribus eſſent depravatis; quod ipſi Chriſto repugnat.

Ad 2. diſt. min. actio impii non fit legitime, ideſt licite, quoad Miniſtrum, C. non fit legitime, ideſt valide, N. Itaque, ait Auguſtinus in Joan. ubi ſupra, *omnes dicimus, quia juſtos oportet eſſe tanti judicis Miniſtros: at ſi noluerint eſſe juſti, qui in cathedra Moyſis ſedent, ſecurum me*

facit

cit *Magiſter meus, de quo Spiritu dixit : Hic eſt qui baptizat ∴ Non timeo lulterum, non timeo ebrioſum*, &c. Quare porro ? quia nunquam probaitur eum qui ſanctitate caret, carere perfectione ad ſubſtantiam miiſterii eſſentialiter requiſita : unde etſi dubio procul peccabat, qui ha:ns maculam offerebat panes Deo, nullibi tamen ſtatuitur oblationem us irritam fuiſſe ; nec quia irrita fuiſſet in veteri Lege, ſtatim pro rita haberi deberet in Lege nova.

Inſt. 2. Actio quæ ſub aliquocumque reſpectu eſſet actio Chriſti, ea:nus eſſet actio vera, non mendax ; mundans non polluens : atqui ctio Miniſtri improbi non eſt actio vera ſed mendax, &c. Prob. min. x S. Ambroſio Lib. de initiandis cap. 4. ubi ait : *Eſt in aliquibus aqua endax : non ſanat Baptiſmus perfidorum ; non mundat, ſed polluit*. Conſonat id mocentii I. Epiſt. 18. ad Alexandrum, quam refert Gratianus 1. q. 1. 17. *Qui perfectionem ſpiritus, quam acceperant, perdiderunt, non ejus dare enitudinem poſſunt (quæ maxime operatur in Ordinationibus) quam per ſuam rfidiam perdiderunt ∴ Qui honorem non habuit, honorem dare non potuit : nec liquid ille accepit, quia nihil erat in dante : ſed damnationem quam habuit, per avam manus impoſitionem dedit*. Imo idipſum premente evidentia tandem iquando agnovit Auguſtinus : *Mali Miniſtri*, ait Lib. 3. de Bapt. c. 18. *miſſionem peccatorum non dant* ; nec proinde gratiam.

Reſp. diſt. min. actio improbi Miniſtri, qui contra eſſentiales Sacramenorum ritus peccat, eſt mendax, & polluit, nedum ſanet, C. actio imrobi Miniſtri rite adminiſtrantis, ſubd. eſt mendax, id eſt nullum haet effectum ex parte ipſius Miniſtri, C. eſt mendax ratione ſubjecti cui pplicatur, iterum diſt. eſt mendax ob pravam ſubjecti diſpoſitionem, . eſt mendax ſimpliciter & ratione ſui, N. Itaque loquitur Ambroſius e hæreticis qui Baptiſmum in aliena, eaque peſſima forma conferebant, : merito dicit Baptiſmum hunc non mundare. Loquitur Innocentius I. e his qui citra neceſſitatem ſcientes & volentes ordinabantur ab hærecis ; & merito ſtatuit impiam hanc ordinationem non honoris ſaluſve ſed damnationis fontem eſſe ; de quo alibi. Loquitur demum Auuſtinus de perſonali, ut ita loquar, merito actionis Miniſtri mali ; & ire quidem decernit actionem hanc ut pote ſacrilegam, nihil prome:ri gratiæ. Verum non ideo negat actionem illam, prout eſt Chriſti, : Chriſti nomine exercetur, eſſe efficacem : imo diſerte aſtruit contraium his Libri 2. contra Parmenianum verbis : *Omnia Sacramenta, cum bſint indigne tractantibus, proſunt tamen per eos digne ſuſcipientibus*.

Inſt. Afferendo totum Auguſtini textum ſic ille : *Ipſius Cypriani tempobus baptizabant* avari & turpilucri, *remiſſam tamen peccatorum non dabant, uæ per orationes Sanctorum, id eſt per gemitus columbæ datur. Non enim raptobus & fœneratoribus diceret Dominus, Si cui dimiſerit peccata, dimittentur illi*, :c. Unde ſic : Ea Sacramenta non valent, quæ ne in iis quidem qui ertinent ad Eccleſiæ pacem, effectum ſuum ſeu remiſſam peccatorum perantur : atqui Sacramenta ab impiis collata, ne in iis quidem qui ad ccleſiæ pacem pertinent, effectum ſuum operantur. Remiſſa enim pecatorum per eos tantum producitur, quibus dictum eſt, *Quorum remiſeris peccata* : atqui ex S. Auguſtino, nec raptoribus nec fœneratoribus ictum fuit, *Quorum remiſeritis peccata*, &c. ſed ſoli columbæ ; ergo.

Reſp.

Reſp. ad 1. diſt. min. Sacramenta ab impiis collata, non operantur remiſſam peccatorum, ut bonum impii Miniſtri proprium, ſed ut alienum, quod nempe pertinet ad Eccleſiam, ſeu columbam, quæ in bonis, ut in nobiliori ſui parte præcipue conſiſtit, C. non operantur remiſſam peccatorum, quaſi inutile ſit & invalidum mali Miniſtri miniſterium, N. Itaque non differt a nobis Auguſtinus niſi forte quoad terminos: totus enim in objecto loco eſt ut contra Donatiſtas probet valuiſſe temporibus Cypriani Baptiſmum ab impiis, avaris & fœneratoribus datum. Cum ergo dicit remiſſam peccatorum ab impiis non dari, ſenſus non eſt quod inane ſit & irritum mali Miniſtri miniſterium, ſed quod huic Miniſtro tribui non debeat productio gratiæ; quia juxta ſtylum Auguſtini, remiſſio peccatorum, ſolius eſt Eccleſiæ ſeu columbæ operatio.

Ad 2. diſt. non eſt dictum impiis Miniſtris, *quorum remiſeritis*, quaſi bona effectio ipſis attribuenda ſit, C. non eſt dictum, quaſi actio miniſterii eorum ſit invalida, N. Itaque ſi Auguſtinum intelligere volumus, diſtingui debet Miniſter & actio ejus a bona effectione, quæ actionem hanc ſubſequitur: actio Miniſtri valida eſt; idque vel admiſit Auguſtinus, vel nihil in prolixis ſuis adverſus Donatiſtas lucubrationibus probavit. Verum effectio, puta peccatorum remiſſio non ideo in Auguſtiniana phraſi tribuenda eſt malo Miniſtro; quia juxta S. Doctorem gratia nonniſi Deo aut columbæ gemitibus attribui debet: atqui juxta Auguſtinum non gemit cum columba, qui columbæ pietatem non habet; ergo juxta Auguſtinum bona effectio, ſeu productio gratiæ malo Miniſtro tribui non debet, etſi valeat nec debeat iterari Sacramentum a malo Miniſtro collatum.

Objic. 3. Actio vi cujus Deus gratiam confert, eſt a Deo ut a ſpeciali motore: atqui actio ſacrilega mali Miniſtri, nec eſt nec eſſe poteſt a Deo ut a motore ſpeciali; ergo.

Reſp. diſt. min. actio ſacrilega nec eſt nec eſſe poteſt a Deo prout ſacrilega, C. prout actio ſimpliciter, id eſt prout ritus a Chriſto inſtitutus, & poſitus a Miniſtro, abſtrahendo an bene vel male, N. Itaque motio divina in actione mali Miniſtri id omne & ſolum attingit, quod cauſalitati vel motioni divinæ ſubjacere poteſt; ergo cum actio hæc prout eſt ens ad hunc vel illum finem inſtitutum, divinæ operationi ſubjacere poſſit, non autem prout ſacrilegii deformitatem importat, neceſſum eſt ut a Deo attingatur ſub priori reſpectu, nullatenus autem ſub poſteriori. Vide quæ fuſius diximus ubi de eſſentia peccati.

§. II. *An peccet malus Miniſter Sacramenta conferendo.*

Antequam definiamus an peccet malus Miniſter, quoties Sacramenta dat vel conficit, not. duplicem eſſe Miniſtrum, alium ex officio, ſeu ſolemnitatis, qui & ordinarius dicitur; alium neceſſitatis, qui extraordinarius nuncupari poteſt. Primus ille eſt, qui Sacramenta non conficit, niſi quia ad id ſpecialiter conſecratus eſt, aut ab Eccleſia deputatus. Secundus ille eſt, qui eadem Sacramenta nonniſi in alterius defectum conficit aut adminiſtrat, ut obſtetrix abſente Sacerdote baptizat infantem. His poſitis, ſit

CON-

Concluſio. Peccat mortaliter per ſe loquendo, ſaltem qui ex of-
icio Sacramenta in ſtatu peccati mortalis conficit, vel adminiſtrat.

Prob. 1. ex Scriptura. Levit. 21. *Sancti erunt Sacerdotes Deo ſuo, & non
olluent nomen ejus: incenſum enim & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti
runt*. Unde ſic: Graviter peccant qui polluunt nomen Domini: ſed
ui deſtituti ſanctitate altari inſerviunt, polluunt nomen Domini; ergo.

Et cap. 22. *Omnis qui acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea quæ conſecrata
int .:. in quo eſt immunditia, peribit coram Domino: Ego Dominus*: atqui
œna tam gravis grave peccatum ſupponit; *Quanto magis* ergo *putatis
eteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſta-
enti pollutum duxerit .:. & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit*; ut ii faciunt Hebr. 10. 29.
ui ſancta non tractant ſancte.

Iſaiæ ult. *Facinoroſus qui ſanctificat mihi vitulum, quaſi canem* animal im-
nundum *occidat, & qui offert thus in memoriam quaſi blaſphemus*; ergo cum
nyſteria noſtra legalibus longe ſanctiora ſint, longe gravius peccare
portet, qui eadem impia manu coinquinat. Hinc Apoſtolus per Ti-
um & Timotheum ſollicite monet Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos
t miniſtrent in conſcientia pura. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*,
. Timot. 3. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem*, Tit. 1.Tim.3
. Diaconi *probentur primum; & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes*.

Prob. 2. ex Traditione. Auguſtinus Tract. 5. in Joan. *Ego dico, &
mnes dicimus, quia juſtos oportet eſſe tanti Judicis Miniſtros*: erat ergo hęc
nanimis *omnium* ſententia: & citato jam contra Parmenianum loco,
Omnia Sacramenta cum obſint indigne tractantibus, &c. quibus conſonat id
Nicolai I. ad Bulgaros: *Unde aliis commodum exhibet* malus Miniſter, *inde
ibi diſpendium præbet*.

S. Gregorius Lib. 1. Epiſt. 24. *Neceſſe eſt ut munda ſit manus, quæ diluere
ordes curat: ſcriptum namque eſt, Mundamini, qui fertis vaſa Domini*.

Gregorius IX. cap. *Quæſitum* 17. *De temporib. ordinat.* interrogatus de
Sacerdotibus aliiſque Clericis, quorum occulta erant crimina, reſpon-
et eos, *ſi non pœnituerint, monendos eſſe, & ſub interminatione divini ju-
icii obteſtandos, ut in teſtimonium ſuæ damnationis, in ſuſceptis Ordinibus non
miniſtrent*: quæ verba grave ſcelus indicant. Hinc idem Pontifex c. 10.
De cohabit. Clericor. &c. declarat Clericum *quemlibet pro mortali peccato
quoad ſeipſum eſſe ſuſpenſum*, Hinc etiam Rituale Romanum juſſu Pauli V.
ditum ſic præſcribit: *Sacerdos, ſi fuerit ſibi mortalis conſcius, quod abſit,
d Sacramentorum adminiſtrationem non audeat accedere*. Cur porro, quia *etſi
Sacramenta ab impuris coinquinari non poſſint .:. impure tamen & indigne ea
miniſtrantes in æternæ mortis reatum incurrunt*. Idem docent Catechiſmus
Romanus p. 2. c. 1. n. 17. & S. Carolus Borrom. in Inſtitutionibus ſuis:
unde liquet quam caute & ſancte vivere debeant Parochi, ceterique Sa-
cerdotes, qui omni fere temporis momento ad conferenda Sacramenta
ocari poſſunt.

Prob. 3. ratione. Qui Sacramentum conficit aut adminiſtrat, gerit
perſonam Chriſti; ſit cum eo unum & totale agens, cum actio ejus ſit
ndiviſibiliter actio Chriſti; ac demum merita ejus & ſanguinem diſpen-
at: atqui graviter peccat homo, qui cum reus ſit & diaboli mancipium,
æc & tanta præſtare audet. An non enim gravis eſt indecentia, &
in

in ipſum Chriſtum quadantenus redundans, quod infenſus Chriſti hoſtis eumdem in actione omnium digniſſima repræſentare auſit? an non violatur ſancta Dei majeſtas, cum ei quaſi operationis ſocius & adjutor conjungitur filius Belial? an non ſanguinem teſtamenti pollutum, aut quaſi rem momenti nullius ducit, qui qua manu poculum Babylonis, hac eumdem ſanguinem diſpenſat?

Dices: Non peccat canonicus, licet mortalis culpæ conſcius, qui cum aliis divinas laudes, attento modo & devote perſolvit; ergo nec peccat Miniſter, qui cum intimo religionis ſenſu, ad juſtificandum quidem impari, ſed tamen ulterius peccandi voluntatem excludente, Sacramenta conficit aut adminiſtrat. Si enim prior ſancta ſancte tractare cenſetur, quidni poſterior?

Reſp. neg. conſeq. Ratio diſparitatis duplex: prima quod nec Scriptura nec Patres ullibi exigant ut actu ſanctus ſit, qui officium ſeu privatim ſeu publice recitat; id vero exigant de eo, cui tractanda incumbunt myſteria ſalutis noſtræ: ſecunda, quod longe ſublimior ſit actio Miniſtri Sacramenta tractantis, quam canonici pſallentis. An is enim diſpenſat ſanguinem Chriſti? an perſonam ejus in actione omnium maxima repræſentat? &c. Interim docet Habertus eum graviter peccare, qui graviter reus divinis officiis præeſt: unde qui *præſidentiam* hanc ex alterius abſentia ſibi imminere ſentit, debet confeſtim ad Deum recurrere per actum doloris de peccato.

Dixi 1. *per ſe loquendo*: quia Miniſter ex officio Sacramenta conferens, a novo peccato excuſari poteſt, 1. propter invincibilem ſui ſtatus ignorantiam; 2. propter repentinam adminiſtrandi neceſſitatem, quæ ita ingruit, ut deſit ſpatium procurandæ contritionis. Tunc enim e duobus malis eligendum eſt minus; minus autem malum eſt miniſtrare Sacramentum in ſtatu peccati, quam illud non conferre infanti v. g. cujus æterna ſalus proxime periclitatur.

Circa hunc neceſſitatis caſum duo notanda, 1. immunem non fore a peccato eum qui neceſſitatem hanc prævidere potuiſſet; ut prævidere poſſunt & debent, qui in amplis noſocomiis, aut in exercitibus miniſtrant; ii enim ſi ſapiunt, norunt ſatis ſingulis quaſi paſſibus occurrere poſſe, qui illico abſolvendi ſint: unde, quam hic objicere poſſent, peccandi neceſſitas, conſequens eſt & volita, adeoque imputabilis; 2. extra caſus ſeu pueruli animam agentis, ſeu operarii decidentis e tecto, qui tranſeuntem Sacerdotem mire perturbant, rarum eſſe ut quis ad omnem contritionis actum impotens ſit; cum ad id breviſſima quæque præſentis animi, & temporis mora ſufficiat.

Dixi 2. *ſaltem ex officio*. An enim Presbyter, aut laicus qui in caſu neceſſitatis baptizat, ſit novi peccati reus; res eſt inter Theologos controverſa. Negare videtur S. Thomas q 64. art. 6. ad 3. ubi ſic habet: *In articulo tamen neceſſitatis non peccaret* Sacerdos aut Diaconus *baptizando in caſu, in quo etiam laicus poſſet baptizare: ſic enim patet quod non exhiberet ſe Miniſtrum Eccleſiæ, ſed ſubveniret neceſſitatem patienti*. Et ita ſentiunt Gonet, Juenin, Habert, &c.

Hæc tamen opinio pluribus diſplicet & merito: 1. quia eſto laicus in caſu neceſſitatis baptizans, non agat ut Eccleſiæ Miniſter, agit certe ut

ut Miniſter Chriſti, ejuſque perſonam ſuſtinet, nec minus eſt Miniſter Sacramenti, quam Sacerdos ſolemniter baptizans: atqui hæc omnia videntur graviter exigere ſtatum gratiæ, ne Sacramenti & Chriſti dignitas & ſanctitas graviter lædantur; 2. quia ſicut neceſſitas non efficit ut ſancta, ſancta non ſint, ſic nec efficit ut ſancte tractari non debeant; 3. quia, ut notat Gibert. Conſult. 4. de Sacram. ſi Sacerdos Miſſam ab altero inchoatam continuet, ne imperfectum remaneat Sacrificium, haud dubie peccabit lethaliter, niſi eliciat actum contritionis cum propoſito quamprimum confitendi: atqui is Sacerdos eſſet tamen ſolum Miniſter neceſſitatis; ergo, ait idem Canoniſta, obſtetrix quæ centies baptizavit in neceſſitate, ſine ullo contritionis actu, centies peccavit; &, ut mihi quidem videtur, gravius quam Sacerdos ad baptizandum ex officio minime obligatus; quia hæc neceſſitatis caſus prævidere debuit, non ille.

Hinc colliges 1. & laicum qui in caſu neceſſitatis baptizat, & Sacerdotem qui in eodem caſu abſolvit, aut Unctionem extremam confert, teneri, ſi licuerit per tempus, ut plerumque licet, excitare ſe ad contritionem, priuſquam hæc Sacramenta conferant: alias multiplicant peccata pro numero Sacramentorum: quia ut ſinguli Baptiſmi, ſic & abſolutiones ſingulæ, totidem ſunt actiones integræ & completæ. Et vero, ait Gonet, ſi homo cui proximum imminet mortis periculum, teneatur ſub pœna lethalis peccati, actum contritionis elicere, licet breviſſimum ad id habeat tempus: cur a gravi culpa immunis ſit, qui ab eliciendo contritionis actu abſtinet ob brevem quam ad id habet temporis morulam. Certe brevius temporis ſpatium, etſi impedit, ne quis facile conteratur, haud tamen impedit ne conteri poſſit. Cavendum tamen Miniſtro in hoc perplexitatis caſu, ne dum contritionis ſpiritum in ſe accendere molitur, infanti vel moribundo deſit. *Diſp. 7. 6. n. 104.*

Colliges 2. mortaliter etiam peccare Sacerdotem qui reus excipit confeſſiones; etſi animum habeat vel excitandæ in ſe contritionis, vel etiam ſua deponendi peccata, priuſquam pœnitenti abſolutionem impendat: quia confeſſionis auditio, licet non ſit confectio Sacramenti, eſt tamen actio ſacramentalis, ut pote ad conficiendum Sacramentum proxime ordinata: porro, ait idem Theologus, *ut Miniſter conſecratus peccet mortaliter in exercitio miniſterii, ſufficit quod actio quam elicit, ſit factiva Sacramenti, vel Sacramentalis, id eſt ad conficiendum Sacramentum proxime ordinata, vel diſtributiva aut applicativa Sacramenti jam facti;* prout evincunt probationes ſuperius allatæ. Nec nocet quod pœnitens ſic confitendo non peccet: quia major eſſe debet reconciliantis ſanctitas, quam reconciliandi. *Ibid. nn. 108.*

Colliges 3. eum qui mortalis noxæ ſibi conſcius Euchariſtiam ab alio conſecratam miniſtrat, novæ mortalis culpæ reum fieri. An autem tot admittat peccata, quot ſine morali interruptione diſtribuit hoſtias, parum utile eſt in praxi, ut alibi advertimus; quia qui id negant cum Henno, fatentur indignam quamlibet diſtributionem ultra primam, eſſe circumſtantiam notabiliter aggravantem; ut pote quæ ſolitarie ſumpta ad grave peccatum ſufficiat: unde cum oporteat confiteri circumſtantias notabiliter aggravantes, neceſſum eſt etiam juxta ipſos, ut in confeſſione exprimatur vel numerus eorum quibus facta eſt diſtributio, vel tem- *Cap. 3. art. 2. De peccat.*

pus circiter diſtributionis. Si tamen Sacerdos plures uni hoſtias ſimul daret, unius ſolum peccati reus fieret, quia una tantum eſſet diſtributio. Ceterum quia Miniſter ſic affectus eſſe ſolet, ut omnibus quotquot accedent, ſacram ſynaxim præbeat, hujus diſpoſitionis quæ ſufficit ad peccatum, mentio facienda eſſet in pœnitentiæ tribunali, niſi hæc a Confeſſario ſupponeretur.

Colliges 4. graviter etiam reum videri, qui ex officio Euchariſtiam extra adminiſtrationem tangit, ſeu immediate, puta ut ab uno vaſe in aliud immittat; ſeu mediate, ut ſi eam in proceſſione circumgeſtet: *quia ut dicit Dionyſius 1. cap. cæleſtis hierarchiæ, Immundis nec ſymbola, id eſt ſacra ſigna tangere fas eſt: unde qui tangunt res ſacras, quaſi ſuo officio utentes, peccant mortaliter. Secus autem eſſet ſi in aliqua neceſſitate aliquid ſacrum contingeret, vel exequeretur in illo caſu, in quo etiam laicis liceret, ſicut ∴ ſi corpus Chriſti in terram projectum colligeret*. Ita S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 1. art. 3. quæſt. 5. ad 4. cujus doctrinæ poſtrema pars ex iis quæ de Miniſtro neceſſitatis dicta ſunt, limitanda eſt.

Colliges 5. & certius, graviter peccare qui in peccato mortali hoſtiam elevat, & cum ea populum benedicit: 1. quia eſt hæc propria ſacri officii functio, a qua *quoad ſe ſuſpenſus eſt* Miniſter gravis peccati reus; & quæ eidem *ſub interminatione divini judicii* prohibita eſt ab Eccleſia, ut patet ex citatis Gregorii IX. textibus; 2. quia is populum cum hoſtia benedicendi actus, ſine gravi indecentia exerceri nequit ab eo qui inimicus Chriſti eſt, ejuſque oculis ipſo dæmone pejor. Quia tamen in eo caſu non diſpenſat proprie Sacerdos merita & ſanguinem Chriſti, minus peccat, quam ſi Sacramentum conficeret, aut adminiſtraret.

Colliges 6. novi etiam graviſque peccati conſcios eſſe Diaconos & Subdiaconos qui Ordinum ſuorum functiones in eodem ſtatu exercent: 1. quia hic locum habent probationes initio adductæ, quarum nonnullæ Diaconos ſpecialiter tangunt; 2. quia ex S. Thoma ubi ſtatim: *Quicumque cum peccato mortali aliquod ſacrum officium pertractat, non eſt dubium, quin indigne illud faciat; unde patet quod mortaliter peccet*: atqui ipſi etiam Subdiaconi, de quibus magis ambigitur, ſacrum officium pertractant; ergo. Et certe ideo Subdiaconos in præſenti caſu excuſant plures a peccato gravi, quia eorum actio non eſt ſacramentalis: atqui hæc ratio non eſt ſolida, aut ſaltem non eo uſque ſolida eſt ut dubium tollat. Quia ut quis in functione Eccleſiaſtica mortaliter peccet, ſufficit ut ea functio Eccleſiæ nomine exerceatur ut ſacra; quidquid enim taliter exercetur & grave eſt, & plurimum exigit reverentiæ: atqui Subdiaconorum functio Eccleſiæ nomine exercetur ut ſacra; & revera talis eſt, cum ad Euchariſtiæ confectionem proxime inſerviat; ergo. Atque ita docent N. Alexander Lib. 2. art. 2. Reg. 10. Paulus a Lugduno, Navarrus, & Habert, qui ex eodem principio deducit lethaliter peccare eos qui ſacramentalia exercent, quales ſunt benedictiones aquæ, chriſmatis, olei, tonſura clericalis. Cenſent tamen non pauci nec laxiores, in benedictione aquæ luſtralis, cinerum, Abbatis, veſtium ſacerdotalium, imo & conſecratione templorum, cenſurarum inflictione, ac ſimilibus, quæ nec gratiam ex opere operato conferunt, nec ſunt Sacramenti materia, nihil eſſe quod peccati venialis lineam excedat: ita P. Antoine. Aliud,

eſt,

Digitized by Google

ſt, inquiunt, de chriſmatis & olei infirmorum benedictione: quia Epiſcopus per ordinationem ſuam ſpecialiter conſecratur ad utramque illam actionem; unde in utraque exhibet ſe ut Miniſtrum Chriſti, ejuſque perſonam immediate ſuſtinet; ac proinde gravem ei facit injuriam, cum actiones illas in ſtatu peccati exercet.

Quod ſpectat ad Clericos minores, nihil eſt unde functiones ſuas male obeundo, lethalis culpæ arguantur; tum quia in id conſpirant Theologi pene omnes; tum quia eorum munia hodie a Laicis perinde ac Clericis exercentur; tum denique quia functiones eorum nimis diſtant ab actione ſacrifici.

Excipiendi viderentur Exorciſtæ, niſi juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam munus eorum quadantenus foret Sacerdotale. Ratio eſt, quia graviter dedecet, ut qui ſponte diaboli mancipium eſt, eidem in nomine Chriſti, cui actu exoſus eſt, imperare præſumat: nec dubium eſt quin excipi mereatur, ſicut excepti ſunt a dæmone peſſimo Scevæ filii, de quibus Act. 19. hinc ordinator Epiſcopus his Exorciſtas verbis alloquitur: *Tunc recte in aliis dæmonibus imperabitis, cum prius in vobis eorum multimodam nequitiam ſuperaveritis.*

Quæres quid de iis ſtatuendum ſit qui in peccato mortali ſacram concionem habent.

Affirmant plures graviter ab iis peccari, propter illud Pſalm. 49. *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas?* quo pertinet id Rom. 2. v. 21. *Qui ergo alium doces, te ipſum non doces:* 2. quia qui verbum Dei palam tractat, ſi notorius ſit peccator, gravis ſcandali; ſi occultus, magnæ hypocriſis reum ſe facit: ita Nat. Alexander. Alii nullum hic ſubeſſe volunt peccatum, ſaltem quod grave ſit; quia actio concionandi nec eſt ſpecialiter ſacra, nec in ſe continet gratiam, nec Ordini ſacro neceſſario annexa eſt; prout & nos alibi docuimus. Sed, noſtro quidem judicio, nodum hunc angelice ſolvit S. Thomas in citatum Pſalmi 49. locum: ubi quæſtionem hanc, *Numquid qui in ſtatu peccati mortalis eſt, peccat mortaliter quando prædicat vel docet?* hac diſtinctione expedit: *Ejus peccatum aut eſt publicum, vel occultum; & ſi occultum, vel ex contemptu & ſine pœnitentia, aut cum pœnitentia. Dicendum ergo, quod ſi aliquis eſt in peccato publico, non debet publice prædicare vel docere ∴ Si vero eſt in peccato occulto, & ſine pœnitentia, tunc provocat Deum; quia ſimulat ∴ Si vero peccatum eſt occultum & dolet, non peccat prædicando vel docendo, etiamſi publice loquatur contra peccatum; quia ſic deteſtando aliorum peccata, deteſtatur etiam ſuum.* Huic deciſioni inhæret Pontaſius v. *Precher*, caſ. 3. eique & nos credimus inhærendum. Ceterum objecta Pſalmi verba in peccatorem publicum cadunt, ut ex ſequentibus patet: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Idem eſt de verbis Apoſtoli, ut liquet ex v. 24. *Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes.* Quod hic de verbi præconibus, idem de iis qui Theologiam docent, dictum æſtimari ſolet.

An reus Sacramenti Miniſter non conteri ſolum, ſed &, ſi poſſit, actu peccata confiteri teneatur, expendi alibi.

§. III. *An liceat Sacramenta recipere a malo Miniſtro.*

Not. 1. difficultatem de iis præſertim Miniſtris moveri, quos moraliter conſtet eſſe in malo ſtatu, ſeu quia hæreſi palam addicti ſint; ſeu quia nullam gerant curam ſalutis, & in diuturna conſuetudine, vel proxima peccandi occaſione verſentur; ut ſi Paſtor ad officium ſuum manifeſte ineptus ſit, aut ebrietati vel impudicitiæ ex habitu deſerviat: alioqui enim debet quiſque præſumi bonus; quia *charitas non cogitat malum*. Unde ut ab alicujus Sacerdotis miniſterio abſtineam, non ſufficit communiter ut ille mihi incognitus ſit, imo ut ſciam ab eo recens & graviter peccatum eſſe: adhuc enim ſapienter præſumam, eum, ſi præſertim ad miniſtranda Sacramenta ſponte præſto ſit, id quod ſui erat feciſſe, ut Deo reconciliaretur. Certe, ait S. Thomas ubi ſupra in 4. *In inſtanti homo a divina gratia emendatur.*

1. Cor. 13.

Not. 2. triplex eſſe genus eorum, qui Sacramenta miniſtrando peccaturi ſint: alii nempe ideo præciſe peccabunt, quia ſunt in ſtatu peccati; alii, quia per cenſuras quas incurrerunt, arcentur a miniſterio; alii demum quia carent juriſdictione neceſſaria ad validam Sacramenti confectionem.

Not. 3. Miniſtrorum alii tenentur ex officio ad conferenda Sacramenta, ut Parochi; alii non tenentur, ut Sacerdotes ſimpliciter approbati. Rurſum utrique vel *expoſiti* ſunt, qui v. g. in tribunali ſedent ad audiendas confeſſiones, aut qui actu ſacram ſynaxim diſtribuunt; alii vero *parati* tantum, qui ſi rogarentur, ſtatim Sacramenta conferrent.

Not. 4. Eorum qui ad Sacramenta accedunt, alii ſunt in extrema neceſſitate, ut ſi infans ſine Baptiſmo moriturus ſit; alii in neceſſitate non extrema: hæc autem vel gravis eſt, vel levis. Gravis, ut cum urget præceptum confeſſionis annuæ, aut confitendi peccatum mortale; levis, ut cum vult quis Euchariſtiam percipere intuitu cujuſdam ſolemnitatis, puta Roſarii. Jam

Certum eſt 1. peccare graviter eum qui a Miniſtro legitima juriſdictione deſtituto Sacramenta petit: quia citra ullam utilitatis ſpeciem id exigit, quod ſine certa Sacramenti nullitate, ac proinde ſine immani ſacrilegio fieri nequit. Idem eſt & pari jure de eo quem conſtaret uſurum non eſſe poteſtate ſua. Sunt qui cum Simonetto p. 243. ad eum cujus dubia ſit juriſdictio recurri velint in caſu neceſſitatis, qua, inquiunt, tranſacta iteranda erit confeſſio alii cujus juriſdictio indubia ſit. Unde inferunt eum qui urgente mortis articulo peccata ſua depoſuit apud excommunicatum denuntiatum, teneri ſub gravi confeſſionem iterare apud Sacerdotem certo approbatum. Fatendum tamen errorem, ſi is error eſt, quo præciſis tribuitur juriſdictio in caſu neceſſitatis, eouſque evaſiſſe communem, ut & juriſdictionem largiri, & conſequenter repetendæ confeſſionis neceſſitatem abſtuliſſe videatur.

Vid. p. 37.

Certum eſt 2. nefas eſſe exquirere Sacramenta a malo Sacerdote, ſeu expoſito ſeu Parocho, quoties ea a bono recipi poſſunt cum eodem fructu. Ratio eſt, quia exigit charitas ne cuipiam gratis præbeamus occaſionem ruinæ ſpiritualis: atqui occaſionem hanc gratis præbet, qui Sacramenta bene & a bono recipere valens, eadem ſeu a Parocho

malo,

Google

ıalo, ſeu a malo quocumque Miniſtro recipit; ergo graviter peccat ontra charitatem; non ſecus ac qui volenti peccare peccati materiam ræbet. E duobus Miniſtris quorum alterius ſanctitas legitime dubia t, is præferri debet de quo nihil eſt dubii; quia pars tutior tenenda t cum teneri poteſt ſine incommodo. Quod ſi vir ſanctus ſcrupuloſior ſe ſcrupuloſum pœnitentem angit; aut nolens pravos in eo affectus ccitat, pro abſente haberi debet.

Certum eſt 3. licitum eſſe in caſu extremæ neceſſitatis recipere Batiſmum a malo Miniſtro etiamſi is *præciſus* ſit, id eſt excommunicatus enuntiatus. Ita expreſſe docet Auguſtinus Lib. 1. de Baptiſmo cap. 11. bi ſic: *Si quem forte coegerit extrema neceſſitas, ubi Catholicum, per quem aptiſmum accipiat, non invenerit ∴ per aliquem extra unitatem Catholicam oſitum acceperit, quod erat in ipſa Catholica unitate accepturus ∴ non ſolum on improbamus quod fecit, ſed etiam ſecuriſſime, veriſſimeque laudamus.* Et ero cur ſanxit Chriſtus ut tantæ neceſſitatis Sacramentum a Paganis tiam collatum valeret, niſi ut ab iis, urgente Miniſtrorum penuria, ccipi poſſet?

Neque etiam dubium nobis eſt, quin a Miniſtro etiam præciſo recii poſſit Pœnitentia in periculo mortis, ob rationes eade re allatas in 'ract. de Cenſuris part. 1. cap. 5. quibus & aliam adjungere placet deumptam ex Inſtructione quam pro Catholicis in fœderato Belgio deentibus adornavit *Epiſcopus Anconitanus Sedis Apoſtolicæ ad Tractum Rhei, aliaſque inferioris Germaniæ partes cum poteſtate legati de latere Nuntius*. s poſtquam tres diſtinxit claſſes Sacerdotum in Batavia Refractarioum mandatis Sedis Apoſtolicæ, quarum *prima eorum eſt contra quos ∴ ominatim pronuntiata eſt ſententia excommunicationis majoris, & per programıata publicata eſt*, ſic concludit: *Serio monendi quoque ſunt boni Catholici, quod cuti ſemper vitare debent refractarios Sacerdotes, & probos adire, ſic cavere deent, ne ex tali reflexione exponant ſe periculo moriendi ſine Sacramentis, ac proterea in proximo mortis periculo conſtituti, ſi factis opportunis diligentiis habendi acerdotem morigerum, talem habere non poſſint, uti debent opera cujuſcumque acerdotis etiam Refractarii, cum in tali caſu ſufficiat character ſacerdotalis ad vade impertiendam abſolutionem ſacramentalem, ſine qua nullo modo decedere debeat ∴ Datum Coloniæ 13. Januarii* 1711. ubi & *quocumque* Sacerdote etiam præciſo ti licitum eſt, & ideo uti licitum, quia *in tali* neceſſitatis *caſu ſufficit* ad bſolutionis validitatem *character ſacerdotalis*. Ceterum quia Refractarii Hollandiæ Sacerdotes hæreſim Janſenianam adjungunt inobedientiæ, conequens eſt ab ipſis etiam hæreticis Pœnitentiam recipi poſſe.

An autem poſſit etiam ab hæretico Euchariſtia recipi, controvertiur. Negant aliqui, & objiciunt exemplum S. Hermenegildi, qui maluit nori, quam ab Ariano Epiſcopo communionem recipere; prout refert . Gregorius Lib. 3. Dialog. c. 31. & ex eo Gratianus XXIV. q. 1. cap. lt. Aſſerunt tamen alii plures cum Navarro c. 22. n. 4. quia ſi licitum ſt ab hæretico præciſo, non in extrema ſolum neceſſitate, ſed & in gravi, cibum corporalem recipere, a fortiori licet ab eodem recipere piritualem cibum in ejuſdem neceſſitatis caſu: porro Viaticum ſalutis, i non abſolute, graviter ſaltem neceſſarium eſt iis qui inde tranſituri unt. Quin & extat divina lex ejus recipiendi, cum ex parte ſubjecti incul-

pate recipi poteſt, ut poteſt in præſenti. Hinc Innocentius III. etſi generalis interdicti tempore Extremam-Unctionem negat morientibus; at iis tamen Pœnitentiam & Viaticum indulget.

Nec nocet factum Hermenegildi : 1. quia ad eam communionem a patre adigebatur in ſignum profeſſionis fidei Arianæ: indubie porro præferenda eſt mors Sacramentis quibuſcumque deſtituta, hæreſeos profeſſioni etiam tacitæ; 2. quia non erat ſanctus ille Princeps in extrema neceſſitate poſitus; neque enim de communione in articulo mortis percipienda agebatur, ſed de Paſchali communione: quæ cum qua talis, ſit ſolum juris Eccleſiaſtici, poteſt gravibus de cauſis vel differri, vel omitti.

Quæres an non ſolum ab hujuſmodi viris recipi poſſint Sacramenta, ſed & peti debeant.

Reſp. *probabile eſt quod ſic, ſi fieri poteſt abſque ſcandalo & periculo;* & id ſupponit citata pro fœderati Belgii Catholicis Inſtructio: ſi vero immineat ſcandalum aut periculum, *ſincera contritio ſufficiet adultis*. Quod ſi baptizandus ſit infans, & præter hæreticum adſit nemo qui formam noverit, *tunc non eſt curandum ſcandalum: quod ſi oriatur, magis acceptum erit quam datum*. Silvius hic q. 64. art. 6. concl. 3. His præmiſſis, ſit

Conclusio. Licet a malo miniſtro petere & recipere Sacramenta, ſi ſufficiens adſit neceſſitas: hæc autem pro conditione Miniſtrorum aliquando gravior, aliquando minus gravis eſſe debet.

Prob. 1. pars. Tam licet in ſufficienti neceſſitatis caſu Sacramenta a malo Miniſtro expetere, quam liceat in ſimili caſu mutuum petere ab uſurario, aut juramentum ab eo qui per idola juraturus ſit; ſi enim in his caſibus non cooperer peccato idololatræ vel uſurarii, nec eidem cooperabor in priori caſu: atqui ex dictis Tom. 1. & 2. licet mutuum petere ab uſurario, qui nonniſi ſub uſuris daturus eſt, &c. ergo. Et ratio eſt, quia tunc non peto niſi id quod alter licite facere poteſt, & cujus petendi legitimam habeo cauſam ex hypotheſi.

Confirm. ex Nicolai I. Reſponſo 71. ad Bulgaros, cujus hæc ſunt verba: *Sciſcitantibus vobis, ſi a Sacerdote, qui ſive comprehenſus eſt in adulterio, ſive de hoc fama ſola reſperſus eſt, debeatis communionem recipere. Reſpondemus: qualiſcumque Sacerdos ſit, quæ ſancta ſunt coinquinare non poteſt. Idcirco ab eo, uſquequo Epiſcoporum judicio reprobetur, communio percipienda eſt*, &c. Idem decernit Lucius III. cap. 7. *De cohabit. Cleric. & mulier.* ubi ſic: *Sine dubitatione teneatis, quod a Clericis & Presbyteris, quanquam fornicariis, quamdiu tolerantur, nec habent operis evidentiam, licite divina myſteria audiantur, & alia recipiantur Sacramenta Eccleſiaſtica.*

Prob. 2. pars, quia ceteris paribus minor requiritur cauſa ut a Parocho, quam ut ab extraneo Sacerdote; minor ut ab extraneo expoſito, quam ut a parato tantum poſtulentur Sacramenta. Scilicet enim in hac & aliis ejuſdem ſpeciei materiis, eo quiſque ſecurius declinat a peccato, quo & plus juris habet ad petendum id quod petit, & minus alium exponit: atqui multo plus quiſque juris habet ut ſibi miniſtrentur Sacramenta a proprio, quam ab alieno Sacerdote. Minori quoque objicitur periculo, qui expoſitus eſt, quam qui tantum paratus ſit. Prior enim ei ſimilis eſt qui in angulo latet ut contra prætereuntes graſſetur; unde jam in corde totum id fecit ſceleris ad quod diſpoſitus erat: poſterior vero

Digitized by Google

vero ei ſimilis eſt, quem de furto nihil cogitantem, ad prædandum induxiſti.

Dixi, *ceteris paribus*. Minus enim peccare videretur qui ab extraneo ſacerdote expoſito, tantumque ebrioſo Euchariſtiam peteret, quam qui ab inceſtuoſo Parocho. Imo longe gravior requiri videtur cauſa ut adhibeatur miniſterium hæretici, quam alterius cujuſcumque. Sic enim & datur ſcandalum pluribus, & errori conciliatur auctoritas, & in rebellione foventur Novatores: nempe vero, inquiunt, an ope noſtra uteretur acer ille & vivax catholicus, ſi nos reipſa haberet pro hæreticis?

Ceterum etſi neceſſitas quæ hic a peccato excuſare poteſt, non conſiſtit in indiviſibili, haud tamen ſufficit levis & modica: unde ea requiri videtur quæ injuriam Deo illatam utcumque compenſet. Quapropter ſicut ob leve lucrum nefas fuerit exigere juramentum ab infideli, ſic nec ob ſpiritualem fructum qui differri facile poſſit, crediderim fas eſſe etiam a Parocho qui improbus ſit, recipere Sacramenta. Aliud eſt, ſi ex eorum dilatione immineat periculum lapſus: ſi Jubilæum, magni momenti gratiam, & quæ difficile redit, lucrari nequeas; ſi diu verſari debeas in peccato mortali; ſi perito indigeas Directore, & is vel nullus ſit, vel malus; ſi ſperes futurum ut gemebunda & humili confeſſione, Directorem ipſe tuum convertas, prout Thereſiæ contingit; ſi alioqui diu orbandus ſis eſca fortium, &c. Si vero tantum agitur de ſpeciali Feſti alicujus ſanctificatione, de indulgentia quæ paulo poſt reditura ſit, de communione quæ ſtatis hebdomadæ diebus fieri ſolet, &c. non exiſtimo hujuſmodi cauſas ſufficere etiam reſpectu Parochi. Ratio eſt, quia nulla hic intercedit vera neceſſitas etiam moralis: atqui ex S. Thoma *præter neceſſitatis articulum non eſſet tutum quod* quis ſuum etiam Paſtorem *induceret ad aliquod ſui ordinis exequendum, durante tali conſcientia, quod ille in mortali peccato eſſet*; ergo. *In 4. d. 24. q. 1. art. 3.*

Objic. Ideo ex S. Thoma non licet extra caſum neceſſitatis petere aliquod ſacri Ordinis exercitium a malo Miniſtro, quia is ſic inducitur ad peccandum: atqui non minus inducitur ad peccandum in caſu neceſſitatis; eadem enim in utroque caſu actio ab eo exigitur; ergo nequidem in caſu neceſſitatis ad malum Miniſtrum recurrere licitum eſt.

Reſp. diſt. maj. non licet ∴ quia ad peccandum inducitur gratis & ſine cauſa excuſante, C. quia inducitur ſimpliciter, vel potius permittitur peccare, N. ſic diſtincta minore, quæ abſolute negari poſſet, neg. conſeq. Solutionis veritas conſtat ex morali hominum æſtimatione. Nempe vero ubique Gentium receptum eſt ut ad actionem malam impellere cenſeatur, qui nedum hanc impediat, cum ſine gravi incommodo poteſt, exigit vel omittit aliquid unde ea infallibiliter ſecutura ſit. Contra vero nullibi cenſetur culpabiliter ad malum inducere, qui rationabili de cauſa id exigit vel omittit, unde alter ex pravo ſuo affectu anſam peccandi arrepturus ſit. Patet id frequenti rerum humanarum exemplo. Repetit a me vir ad blaſphemiam celer enſem ſuum, nunc ut tueatur ſe contra furibundum animal, nunc ut confodiat innocentem. Recuſo in utroque caſu; & ille in utroque caſu immaniter blaſphemat. Quid tum? reus ero in priori caſu, inſons in poſteriori: quia in hoc legitimam & gravem habui repulſæ cauſam; in illo nullam; ergo a pari ubi de Sacramentis.

C 4 Inſt.

Inſt. Ex conceſſis peccat qui ſine gravi cauſa expetit Sacramenta a malo Miniſtro : atqui ſaltem adultus gravem hanc cauſam nunquam habet. Vel enim de pœnitentia agitur, vel de ſacra ſynaxi : atqui nulla unquam eſſe poteſt cauſa cur pro iis ad malum & profanatorem Miniſtrum recurratur. Quandoquidem pœnitentiæ effectus per contritionem haberi poſſit, Euchariſtiæ vero per intenſum animi fervorem; ergo.

Reſp. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. diſt. pœnitentiæ effectus haberi poteſt per contritionem, ſed multo incertius, C. eadem certitudine, N. Porro major hæc certitudo, cujus magnam ſemper habebit rationem vir ſalutis ſuæ ſtudioſus, ſufficiens eſt, omnium timoratorum judicio, cauſa, juſtificationis per Sacramenta, potius quam per contritionem inquirendæ. Hinc tanta piorum anxietas cum uni e ſuis, potiſſimum peccatori, Confeſſarium in extremis defuiſſe conſpiciunt. Et vero ſi in hac Sacramentorum materie requireretur extrema peccatoris neceſſitas, ea quoque & a fortiori requireretur in humanis : atqui falſum conſequens; alioqui etiam in gravi neceſſitate poſitus non poſſes mutuum repetere ab eo quem prævides ex hac tua petitione ad iram & detractionem commotum iri; quod tamen nemo dixerit.

Objic. 2. Ideo, juxta nos, ad malum Miniſtrum recurrere licet, quia poteſt is pie & ſancte ſancta tractare : atqui id falſum eſt in excommunicatis. Hi enim quandiu excommunicati manent, non poſſunt ſancta ſancte tractare : atqui tamen non eſt plerumque penes excommunicatos ut a cenſuris ſolvantur. Cum, ut alibi probavimus, cenſuræ nequidem per contritionem perfectam auferantur; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. vel Miniſter ad quem pro jure tuo recurris, actu cenſuræ ſuæ abſolutionem recipere poteſt; & tunc curare debet ut abſolvatur, & aliquantulum differre Sacramenti adminiſtrationem; quam in moram, niſi res urgeant, fidelis quiſque facile conſentit : vel idem Miniſter ſive ob diſtantiam Confeſſarii, ſive ob urgentem pœnitentis ſtatum, hic & nunc abſolvi nequit; tuncque vel antea moralem adhibuit diligentiam ut abſolveretur, vel nullam aut leviorem. Si primum, non peccat, quia non peccat qui aliter agere non valens, ex duobus malis eligit minus; minus autem malum eſt Sacramentum conferre in ſufficienti hominis jure ſuo utentis neceſſitate, quam non conferre. Si ſecundum peccat quidem ſive conferendo, ſive denegando, ſed ſua prorſus culpa, qua libere poſuit cauſam peccati. Quanquam dici poteſt, etiamnum ab eo culpam omnem vitari per ſerium de præterita negligentia dolorem, & efficax abſolutionis quamprimum conſequendæ deſiderium. His enim poſitis permittit Eccleſia ut Miniſter tametſi adhuc cenſura ligatus in caſu gravi functiones ſuas obeat; ne vel murmur excitet, aut perperam infametur; vel pœnitens grave ex mora detrimentum ferat.

Objic. 3. Non licet petere ſanitatem a Medico, qui medicina quidem uti poteſt, ſed certiſſime uſurus eſt maleficio; ergo a pari nec licet petere Sacramentum a Miniſtro, qui poteſt quidem non peccare, ſed certiſſime prævidetur eſſe peccaturus.

Reſp. neg. conſeq. Ratio diſparitatis triplex : 1. nemo in quibuſcumque ſit anguſtiis, jus habet ut per maleficium ſanetur; habet vero jus ut ſanetur per Sacramenta; 2. nemo etiam ſanctus maleficium licite adhibere poteſt;

poteſt ; quiſque autem etiam malus Sacramenta ſanctè conferre valet ; 3. qui ſe ſinit maleficio curari, aliquid virtualiter habet commercii cum dæmone, ſecus qui confugit ad Sacramenta a malo etiam Miniſtro conferenda.

PUNCTUM SECUNDUM.

De fide Miniſtri.

Ex dictis conſtat valere Sacramenta a peccatore collata, ſed utrum valeant collata etiam ab hæreticis aut ſchiſmaticis, magno animorum æſtu diſputatum eſt tertio Eccleſiæ ſæculo. Celebris hujus diſſidii brevem hic texere hiſtoriam nec abs re fuerit, nec gravis aleæ negotium.

Invaliditatem Baptiſmi ab hæreticis collati *primus omnium mortalium* tuitus eſt, & in Synodo Carthagine habita an. 215. vel 217. cum aliquot Epiſcopis definiit Aggripinus ejuſdem urbis Epiſcopus. Non diu ſtetit error intra partes natali ſolo conterminas, ſed Orientem pervaſit primo, ubi magni nominis viros Firmilianum præcipue Cæſareæ in Cappadocia, & Sanctum Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum propugnatores habuit: tum ad ſuas reverſus, Africam exagitare cœpit. Incerti quid facerent Numidiæ Epiſcopi octodecim, ducibus Januario, Saturnio, & Antoniano, Concilii cui tunc * Carthagine præerat Sanctus Cyprianus, datis litteris mentem interrogaverunt. Reſpondit Cyprianus his verbis: *Neſcio qua præſumptione ducuntur quidam de collegis noſtris, ut putent eos qui apud hæreticos* (& ſchiſmaticos) *tincti ſunt, quando ad nos venerint, baptizari non oportere . . . Nos autem dicimus eos qui inde veniunt, non rebaptizari apud nos, ſed baptizari: neque enim accipiunt aliquid ubi nihil eſt*, &c. Hic S. Doctor rem nomine importatam admittens, nomen ipſum rebaptizationis exhorret.

Vincent. Lirin. common. I. c. 9. — ** anno 255.* — *Epiſt. 71. ed. Pear.*

Etſi prima hæc Carthaginenſis Synodus, cui interfuerant Epiſcopi viginti duo, Cypriano videri debuerat rem ſatis definiiſſe, alteram tamen anno ſequente coegit Synodum, ad quam convenere Præſules 71. Hic confirmatum eſt quidquid in anteriori Concilio circa Baptiſmi ab hæreticis dati nullitatem ſancitum erat, reſcriptumque ad Stephanum Papam, ut Carthaginenſibus Decretis auctoritatis ſuæ pondus adjiceret. Dedit interim Cyprianus Epiſtolam ad Jubajanum ignotæ Sedis Epiſcopum, qui ipſum de hac quæſtione conſuluerat. In ea totus eſt S. Martyr, ut omni argumentorum genere probet, hæreticorum Baptiſma nullum eſſe & irritum.

Epiſt. 72. — *Ibid.*

Neque vero caſſæ & nullius momenti erant Cyprianicæ probationes: *Imo vero*, ait Vincentius Lirin. ibid. cap. 10. *tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta divinæ legis oracula, ſed* tamen *plane novo ac malo more intellecta*, ut errori veritas ceſſura videretur. Idem fuit ea de re Auguſtini ſenſus, ait nempe Lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. rationes quibus ſe Cyprianus tuebatur, *veras quidem non fuiſſe, at non victas*; & Lib. 3. cap. 4. *Quid ad Jubajanum*, inquit, *ſcripſerit Cyprianus jam legi, & profecto iiſſem in eamdem ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tantæ*

aucto-

auctoritas Eccleſiæ. Sed & id obiter dicere liceat, quo tandem ceſſere *tanta* illa contra traditionem Apoſtolicæ Sedis, *eloquentiæ flumina; tantus* ille *aſſertorum numerus, tanta* hæc *divinæ legis oracula*, tam invictæ eæ rationes, quæ vel Auguſtinum ipſum abripuiſſent? Quis tot illius ævi ſcri-
Vinc. Virin. ibid. ptorum exitus? *Poſtremo ipſius Africani Concilii ſive Decreti*, non unius ſed triplicis, *quæ vires? Donante Deo nullæ; ſed univerſa, tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt*. Erit & eadem, *donante Deo*, hujus, futurique temporis Novatorum fortuna. Sed ad Cyprianum unde digreſſa eſt, redeat oratio noſtra.

Perlectis Africani Concilii litteris errorem & imminens Eccleſiæ periculum ſenſit Stephanus, ingemuit, reſcripſit in hæc verba, *Nihil innovetur niſi quod traditum eſt*, adjecit & excommunicationis minas, imo nec intra minas ſtetit, ſi Baronio fides.

Eodem anno Kalendis Septembri tertiam Carthagine Synodum coegit Cyprianus, cui ex variis Numidiæ, Mauritaniæ & Africæ partibus adfuerunt per ſe Epiſcopi 85. per legatos duos: quos ita præfando compellavit Cyprianus: *Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit*. Quibus verbis Stephanum perſtringi exiſtimant (*) complures. Neque
Epiſt. 74. is humanius excipitur in alia Cypriani ad Pompejum Epiſtola, ubi ſic: *Inter cetera vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel ſibi ipſi contraria, quæ imperite, atque improvide ſcripſit* Stephanus, *etiam illud adjunxit ut diceret: Si quis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponantur in pœnitentiam*.

Haud feliciorem habuerunt exitum litteræ quas ad Orientales ſcripſit Stephanus: efferbuit præ ceteris Firmilianus ille de quo ſupra, & in Epi-
Epiſt. 75. apud Cyprian. ſtola ad Cyprianum, duriori quam ferat moderatio chriſtiana, ſtylo Stephanum exagitavit. Objectæ a Stephano traditioni veterem ipſe, & omni memoria ſuperiorem, quin & ab Apoſtolis dimanantem Eccleſiæ ſuæ ritum oppoſuit. *Ab initio*, inquit, *hoc tenentes, quod a Chriſto & ab Apoſtolo traditum eſt. Nec meminimus hoc aliquando apud nos aliquando cœpiſſe, cum ſemper iſtic obſervatum ſit*. Idem teſtatus eſt longe modeſtior Firmiliano Dionyſius Alexandrinus: hæc ille in Epiſt. 3. ad Philemonem: *Illud præterea didici, non ab Afris ſolis hunc morem nunc primum invectum fuiſſe;*

ſed

(*) An citata Cypriani verba Stephanum feriant, dubium facit 1. quod inter utramque anni 256. Synodum non ſat effluxerit temporis, ut e Carthagine Romam, e Roma Carthaginem per legatos ſcribi & reſcribi potuerit: præſertim ſi prima hujus anni Synodus circa Paſchale tempus celebrata ſit; 2. quia ſi Stephani Epiſtola ad Cyprianum ante Concilium perveniſſet, fuiſſet hæc utique lecta in Concilio, vel propter reverentiam primæ Sedi debitam, vel ut Stephani rationes confutarentur, vel ut ſibi contra excommunicationis minas providerent Patres; vel demum quia ibi perfectæ ſunt mutuæ Jubajani & Cypriani Epiſtolæ, quæ multo minoris erant momenti: porro de Stephani litteris ne mentio quidem facta eſt in Concilio. Neque hæc verba *Epiſcopum Epiſcoporum* aliud probant; tum quia iis ſe quandoque titulis inſigniebant majorum Sedium Antiſtites; tum quia probari nequit Stephanum ea ſibi nomina arrogaſſe: id vero *tyrannico terrore*, uſurpari potuit ad demonſtrandam Concilii libertatem, cui, ait Cyprianus, *nemo noſtrum* dominari intendit. Neque hæc aliter intellexit Auguſtinus, qui poſtquam ea retulit Lib. 3. de Bapt. c. 3. mirabundus exclamat: *Quid manſuetius! quid humilius!* quæ tanta autem manſuetudo, ſi Superiorem inferior in furialem tyrannum traduxiſſet?

ſed & multa antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus, in Eccleſiis populoſiſſimis, & in Conciliis Fratrum apud Iconium & Synnada & apud alios plurimos idem ſancitum fuiſſe.

Hortatus eſt Stephanum idem Dionyſius ut cum Epiſcopis aliud a ſe ſentientibus pacem haberet. Verum ſupra anno 257. Valeriani perſecutione parem martyrii palmam reportarunt Stephanus & Cyprianus. An is ſententiam ante obitum mutaverit, incertum hactenus: id certum profecto, Cyprianum, ejuſque aſſeclas plures, etſi alium ab Eccleſiæ Romanæ ritu ritum ſequerentur, Sanctorum faſtis adſcriptos fuiſſe. Qui ſic: quia (ut pluries obſervat Auguſtinus contra Donatiſtas, *Cypriani* *Lib. 2. c.3.* *litteras*, *Cypriani ſententiam*, *Cypriani Concilium* obtrudere ſolitos) *neque ſe ipſi præciderunt* Afri Præſules, *neque diverſa ſentientes præcidi paſſi ſunt*: ſicque erant affecti, ut *ſi quod de hac re tranſmarinum vel univerſale Concilium factum eſſet*, illico fuiſſet aſſenſuri. *Nondum autem factum erat, quia conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum; & hæc ſola opponebatur inducere volentibus* rebaptizationis *novitatem*: ita S. Auguſtinus ibid. Lib. 2. c. 9. & alibi ſæpiſſime. *Acceſſit huc etiam, quod tanquam ſacramentum fructuoſiſſimum, ſi quid in eo fuerat emendandum, purgavit Pater falce paſſionis;* idem Epiſt. 48. contra Vincent. Rogatiſt. *Lib. 5. c. 22.*

Fuiſſe autem aliquid quod in Cypriano purgari mereretur, præterquam ſatis indicant citata Epiſtolæ ejus ad Pompejum verba, in qua Vicarius Chriſti eo excipitur modo quo rureſtrem Vicarium excipi dedeceat; agnovit vel ipſe præcipuus Cypriani vindex Auguſtinus. *Jam*, inquit, *illa quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo*... *& ea præterire melius eſt, quæ pernicioſæ diſſenſionis periculum habuerunt*. Agnovit Facundus Hermianenſis Lib. 10. cap. 3. *Injurioſe*, inquit, *tractans* Cyprianus *Stephanum, a quo fuerat jure culpatus*: & qui, ut ait Vincentius Lirinenſis, *dignum* exiſtimarat, *ſi reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci*, ideſt Romanæ Sedis *auctoritate ſuperabat*. Agnovit vel ipſe Petrus Aurelius p. 32. edit. an. 1642. Agnovit Nat. Alexander, cum ſcripſit *nullius eſſe momenti, quæ in Stephanum I. commotus ac ſubiratus effudit S. Cyprianus*.

Verum his omiſſis *quæ præterire melius eſt*, videndum hic nobis 1. an valeant Sacramenta, a Miniſtro fidem vel unitatem non tenente collata; 2. an Stephanus ea etiam valere crediderit, quæ rite collata non eſſent; 3. an Pontificio fulmine percuſſerit Cyprianum; 4. an quæſtionem rebaptizationis habuerit Cyprianus ut articulum fidei, an ut punctum diſciplinæ; 5. quid intelligendum veniat nomine tranſmarini Concilii cui ceſſurum fuiſſe Cyprianum confidebat Auguſtinus; 6. quæ plenaria ſit illa Synodus ubi rem definitam eſſe tradit S. Doctor; 7. an errorem ſuum aliquando abjecerit Cyprianus. Quæ quidem omnia ſummatim delibabimus. Sit

CONCLUSIO I. Fides Miniſtri non eſt abſolute neceſſaria ut vere & valide conficiatur Sacramentum: unde valet Sacramentum a quibuſcumque hæreticis rite collatum. Eſt de fide, & definitum a Trident. Seſſ. 7. Can. 4. his verbis: *Si quis dixerit Baptiſmum, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum, anathema ſit.*

Prob. 1.

Prob. 1. illud validum cenſeri debet, quod tota Chriſti Eccleſia, præſertim autem Romana, omnium mundi Eccleſiarum mater & magiſtra, ante Agrippinum valere judicabat; abſit enim ut Deus Eccleſiam ſuam jam ab initio in re tanti momenti errare permiſerit: atqui tota Chriſti Eccleſia Baptiſmum ab ipſis etiam hæreticis, modo rite, collatum pro valido habebat ante tempora Agrippini. Is enim, ait ubi ſupra Vincentius Lirinenſis, *primus omnium mortalium contra divinum Canonem, contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium Conſacerdotum, contra morem ac inſtitutum Majorum, rebaptizandum eſſe* cenſuit. Hinc Cyprianus, etſi omnium telorum genere utebatur, ut opinionem ſuam defenderet, nullam quæ Agrippino vetuſtior foret, conſuetudinem allegare potuit; ea-
Lib.4.de Bapt.c.6. que *longa ætas* qua ſe tuebatur, reipſa, ut agnovit Auguſtinus, paucorum annorum erat, ideſt annorum 29. unde patet quam parum ſincere obtruderet Firmilianus praxim a Chriſto & ab Apoſtolo dimanantem. Æquior ſane, ut & modeſtior Dionyſius Alexandrinus, vix ultra Iconienſem Synodum revehebatur. Quis autem foret ea de re Romanæ Eccleſiæ ſenſus patet vel ex ipſa ſola S. Stephani contra Cyprianum agendi ratione; ergo.

Rationem hanc urget Auguſtinus Lib. 2. de Bapt. c. 7. *Nondum*, ait, *erat diligenter illa Baptiſmi quæſtio pertractata, ſed tamen ſaluberrimam conſuetudinem tenebat Eccleſia: in ipſis quoque ſchiſmaticis & hæreticis corrigere quod pravum eſt, non iterare quod datum eſt; ſanare quod vulneratum eſt, non curare quod ſanatum eſt. Quam conſuetudinem credo ex Apoſtolica traditione venientem: ſicut multa quæ non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis poſteriorum, & tamen quia per univerſam cuſtodiuntur Eccleſiam, nonniſi ab ipſis tradita & commendata creduntur.*

Et vero euſque certa erat hæc non rebaptizandi conſuetudo, ut ne ipſi quidem hæretici eos qui e Catholica parte ad ſe tranſmigrabant, rebaptizare auderent. Imo quo tempore Orientem & Africam magis invaſerat Agrippini opinio, non deerant Epiſcopi plures qui hæreticos ad Eccleſiæ gremium redeuntes non iteratione Baptiſmi ſed ſola manuum impoſitione reciperent, prout fatetur Firmilianus ipſe in Epiſtola ad Cyprianum, & Cyprianus Epiſtolis 71. ad Quintum, 72. ad Stephanum, &c.

Prob. 2. ex Conciliis. Arelatenſe I. an. 314. ſic habet Can. 8. *Placuit ut ſi aliquis de hæreſi venerit, interrogent eum (noſtræ fidei Sacerdotes) Symbolum; & ſi perviderint cum in Patre & Filio & Spiritu ſancto eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur ut accipiat Spiritum ſanctum. Quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem, baptizetur.*

Nicænum I. Can. 8. *De his*, inquit, *qui ſe nominant Catharos, ideſt mundos, ſi aliquando venerint ad Eccleſiam Catholicam, placuit ſancto & magno Concilio, ut impoſitionem manus accipientes, ſic in Clero permaneant*, & Can. 19. *De Paulianiſtis ad Eccleſiam Catholicam confugientibus, definitio prolata eſt, ut baptizentur omnimodis.* Unde vero tantum illud Catharos inter & Paulianiſtas diſcrimen? Hinc dumtaxat, quod Paulianiſtæ formulam Baptiſmi corruperant; Cathari vero ſeu Novatiani non item.

Idem ſtatuere Concilia, Laodicenum an. 364. Conſtantinopolitanum I. an. 381. Capuanum an. 389. Arelatenſe II. an. 452. Can. 16. & 17. Idem & Ro-

Digitized by Google

& Romani Pontifices, qui poſt Stephanum ſederunt; præcipue vero Syricius & Innocentius, ille in Epiſt. ad Himerium Tarraconenſem, ille in Epiſt. ad Victricium Rothomagenſem.

Prob. 3. ſi non valeant Sacramenta ab hæreticis collata, vel quia hæretici mali ſunt, vel quia in tali genere, infidelitatis ſcilicet, mali ſunt: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. ut patet ex iis quæ diximus in Puncto ſuperiori. Non 2. 1. quia nihil eſt in Scripturis unde erui poſſit fidem magis quam morum integritatem requiri ad valorem Sacramentorum. Imo eſt unde eruatur neutram requiri: valebat enim circumciſio, & alia Moſaicæ legis Sacramenta, a Samaritanis aut Sadducæis collata, qui certe hæretici erant; nec tamen ea uſquam repeti juſſit Chriſtus, vel Apoſtoli. Ita ferme diſcurrit Auguſtinus in Epiſt. ad Maximinum Donatiſtam Epiſcopum; 2. quia cum oporteat hæreſes eſſe, nec cuiquam de interna alterius fide conſtare poſſit, nemini quoque de Baptiſmi ſui veritate conſtare poterit. Ita idem S. Doctor Lib. 1. contra litteras Petiliani c. 3. 3. quia ſi Miniſter fide deſtitutus Sacramentum valide conferre non poſſit, eo quod peccata dimittere nequeat, quia ipſe reus eſt peccati; aut dare Spiritum ſanctum, quia ipſe Spiritum ſanctum non habet; neque etiam ea valide conferet, quiſquis gravis etiam occulti peccati conſcius fuerit: atqui tamen vel ipſi Donatiſtæ aliquando tandem fateri coacti ſunt valere Sacramenta a peccatoribus occultis collata. Hinc Auguſtinus Lib. 4. contra eoſdem cap. 4. *Sicut*, inquit, *urgeri videor, cum mihi dicitur, Ergo hæreticus dimittit peccata? Sic & ego urgeo cum dico, Ergo qui cæleſtia mandata non ſervat, avarus, raptor, fænerator, invidus, &c. peccata dimittit? Si per vim Sacramenti Dei, ſicut ille, ita & ille: ſi per meritum ſuum, nec ille, nec ille.*

Prob. 4. Miniſter non agit niſi ut inſtrumentum Chriſti; ergo eo tantum indiget quod requiritur ad conditionem inſtrumenti: atqui ad conditionem inſtrumenti non requiritur fides: ſicut nec in eo requiritur propria quædam vis & efficacia, ſed ſolum virtus agentis a quo movetur; ergo. Ita fere S. Thomas hic q. 64. art. 5.

Objic. 1. In materia quæ præſertim ex conſuetudine definitur, ei indubie adhærendum eſt conſuetudini, quę antiquior eſt & univerſalior: atqui conſuetudo cui innitebatur S. Cyprianus, 1. erat antiquior, cum ab ipſis deſcenderet Apoſtolis, ut patet ex Can. 45. Apoſtolórum, ubi ſic: *Epiſcopum vel Presbyterum, qui hæreticorum Baptiſmum vel Sacrificium admiſerit deponi iubemus. Quæ eſt enim conventio Chriſti cum Belial*, &c. Can. 46. *Epiſcopus vel Presbyter eum qui vere habet Baptiſmum, ſi de integro baptizaverit, vel ſi eum qui ab impiis pollutus eſt, non baptizaverit, deponatur, ut qui irrideat mortem & crucem Domini, & non diſcernat Sacerdotes a falſis Sacerdotibus.* Et Can. 67. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus ſecundam ordinationem ab aliq ſuſceperit, deponatur & ipſe, & qui ordinavit, niſi utique conſtiterit, quod ab hæreticis ordinationem habeat. Qui enim ab eis baptizati & ordinati ſunt, ut fideles vel Clerici ſint, fieri non poteſt.*

2. eadem conſuetudo longe erat univerſalior; cum vigeret in Numidia, Mauritania, vel potius Africa tota, toto Oriente, imo & Occidente, ubi ſi a Stephano impugnata eſt, ab aliis pleriſque Pontificibus approbata fuit. Sic Innocentius I. Epiſt. 18. ad Alexandrum: *Non videtur*, inquit,

inquit, *Clericos Arianorum cum Sacerdotio miniſterii cujuſpiam ſuſcipere dignitatem. In quibus Decretalibus verbis*, ait Petrus Damianus Opuſc. 6. c. 22. *manifeſte datur intelligi, quod in promotionibus Clericorum non immerito fides Ordinantis attenditur, ex qua videlicet pendet quod ordinatio ſive rata ſive irrita judicetur.*

Leo I. Epiſt. 79. cap. ult. docet neminem hæreticorum per Sacramenta dare poſſe juſtificationem.

Gregorius Magnus Lib. 11. Epiſt. 67. Bonoſianorum Baptiſma repeti ubet.

Pelagius II. apud Gratian. XXIV. q. 1. c. 34. *Non eſt*, inquit, *Chriſti corpus, quod ſchiſmaticus conficit.*

Urbanus II. Epiſt. ad Lucium n. 17. *Schiſmaticorum & hæreticorum Sacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt .˙. formam quidem Sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur.* Unde ſic: Qui pro irritis habuere Sacramenta ab hæreticis collata, illi rebaptizationis conſuetudinem approbavere: atqui citati Pontifices pro irritis habuere, &c. ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. & dico 1. novellam fuiſſe Cypriani conſuetudinem, quam ipſe ultra Agrippini ætatem protendere non potuit. Nec nocent fictitii Apoſtolorum Canones, quos non ab Apoſtolis ipſis dimanaſſe fatentur eruditi, ſed e diverſis indiſtincte particularibus Conciliis, quæ quandoque errorem loco veritatis tradidere. Unde objecti Canones ſunt vel Concilii Iconienſis, alteriuſve ſimilis, in quo Rebaptizantium error aſſertus eſt, & tunc nullam merentur fidem; vel iis in locis editi ſunt, ubi hæretici omnes inverterant formam Sacramentorum, & tunc nihil probant contra nos. Conſulatur ea de re *Codex Canonum Eccleſiæ primitivæ, vindicatus a Guil. Beveregio*, pag. mihi 286.

Dico 2. praxim Cypriani longe minus univerſalem fuiſſe quam Stephani; cum hæc ne in Africa quidem tota, & multo minus toto in Oriente obtineret, ut ipſe agnovit Cyprianus; illa vero tam univerſaliter in Occidentali Eccleſia obſervaretur, ut Cypriani opinio pro ſcandaloſa novitate habita fuerit, ſtatim ut innotuit Romanis.

Nec nocent objecti Pontifices, quos certe mirum fuiſſet a victoria contra Donatiſtas tot prædeceſſorum ſuorum ſudoribus parta defeciſſe. Unde in forma diſt. min. prædicti Pontifices Sacramenta ab hæreticis collata habuere pro irritis quoad effectum, idque non ſemper, C. quoad ſubſtantiam, ſubd. quoties irrite & contra legitimam formam conferebantur, C. cum etiam irrite & legitime conferebantur, N. Itaque vel Sacramenta ab hæreticis rite non conferuntur; & tunc dubio procul nequidem quoad ſubſtantiam valida ſunt: vel etſi rite collata, iis conferuntur, qui hæreſi conſentiunt, quive cum ad Catholicos recurrere poſſent, recurrunt ad hæreticos; & tunc licet valeant quoad ſubſtantiam, nihil quoad effectum valent ob malam ſubjecti diſpoſitionem: vel demum infantibus aut bonæ fidei catholicis conferuntur; tuncque ea & quoad ſubſtantiam & quoad effectum valere contendimus. Nec diverſum quid ſentiunt allegati Pontifices. Non Innocentius, qui etſi Clericos ab hæreſi redeuntes ad laicam communionem adigeret, nullibi tamen Sacramenta eorum pro invalidis habuit; non Baptiſmum, cum eum ibidem ratum eſſe decernat; non ordinationem, ut diſerte oſtendemus in Tract.

de

Digitized by Google

le Ordine, ubi & Damiani textum, aliosque ejuſdem ſenſus complures ſolvere conabimur. Non Leo I. qui hanc in citato loco regulam ervari vult, *ut lavacrum ſemel initum nulla iteratione violetur*. Non Gregorius Magnus, qui loquitur de Bonoſianis, ipſo teſte non baptizantibus a nomine Trinitatis. Non Pelagius II. qui Chriſti corporis nomine on Euchariſtiam intelligit, ſed Eccleſiam, quæ corpus eſt myſticum Chriſti, & quæ reipſa apud hæreticos non ſubſiſtit. Non denique Uranus II. qui hæreticorum Sacramentis denegat quidem *virtutis effectum*, ed nullibi indicat eadem eſſe irrita.

Objic. 2. Plurimi, iique Patrum eruditiſſimi, nullitatem Baptiſmatis ab æretico Miniſtro collati agnovere. Tertullianus Lib. de Baptiſmo c. 15. *Non idem*, inquit, *Deus eſt nobis & illis*, hæreticis .·. *ideoque nec Baptiſmus unus, quia non idem, quem cum rite non habeant, ſine dubio non habent*.

Dionyſius Alexandrinus, quem, poſt lectas ejus Epiſtolas ſuo tempore ſuperſtites, fatetur S. Hieronymus *in Cypriani & Africanarum Synodorum dogma de rebaptizandis hæreticis conſenſiſſe*. *Lib. de Script. Eccleſ.*

Athanaſius Orat. 2. contra Arianos, ubi ſic: *Ariani in periculum veniunt amittendæ myſterii integritatis .·. Qui fieri poteſt ut prorſus vacuus ac inutilis non ſit Baptiſmus, qui ab illis datur, in quo quidem inſit Religionis ſimulatio, ſed revera nihil ad pietatem queat conferre? Nec enim Ariani in Patris et Filii nomine dant Baptiſmum, ſed in nomine Creatoris & rei creatæ, effectoris & rei factæ. Unde quemadmodum res creata alia eſt a Filio, ita Baptiſmus quem illi dare putantur a vero Baptiſmo alius eſt, etiamſi nomen Patris & Filii, ut præcipit Scriptura, proferre aſſimulent. Non enim qui dicit, Domine, le etiam dat, ſed is tantum qui cum nomine rectam quoque habet fidem: quemadmodum etiam & ipſi Gentiles, qui Deum in ore habent, Deum tamen verum on colunt. Itaque multæ quoque aliæ hæreſes nomina tantum pronuntiant: verum cum recte non ſentiant .·. nec ſanam habeant fidem, inutilis eſt aqua quam onant, quippe cui deſit pietas; ita ut quemcumque illi aſperſerint, impietate fœetur potius, quam redimatur .·. Sic Manichæi, Phryges, & Samoſatenſis diſcipuli, quamvis proferant nomina, nihilominus ſunt hæretici*. Hinc S Doctor comarat Baptiſma collatum ab Arianis, qui tamen rite & *ut præcipit Scriptura* baptizabant, cum Baptiſmate a Paulianiſtis datum, non quoad ffectum modo, ſed & quoad ſubſtantiam irritum erat. Unde teſtatur Hieronymus Dialog. adverſus Luciferianos, *Nicænam Synodum omnes hæreticos ſuſcepiſſe exceptis Paulianiſtis*; ergo.

S. Baſilius Cæſareæ Epiſcopus Epiſt. 2. ad Amphilochium Can. 47. *Nos*, inquit, *una ratione eos*, Encratitas, & Saccophoros *rebaptizamus. Si autem prohibita eſt apud vos hæc rebaptizatio, ſicut & a Romanis .·. nostra tamen ratio vires obtinet; quandoquidem eſt veluti Marcionitarum germen eorum hæreſis*, &c. Unde ſic: Ille pro irrito habuit quodcumque hæreticorum Baptiſma; qui eos etiam rebaptizari voluit, quorum Baptiſmus a Eccleſia Romana pro valido habebatur; neque enim aliud unquam Baptiſma Romę pro valido habitum fuit, quam quod rite, ſeu in nomine Trinitatis collatum eſſet: atqui S. Baſilius eos etiam, &c.

S. Optatus Milevitanus Lib. 1. contra Parmenianum Donatiſtam: *Vides*, inquit n. 12. Edit. Dupinianę, *frater Parmeniane, hæreticos a domo veritatis ſatis extorres, ſolos habere varia & falſa Baptiſmata, quibus inquinatus*

non

non poſſit abluere, &c. *Bene clauſiſti hortum hæreticis .·. vobis vero ſchiſmaticis, quamvis in Catholica non ſitis, hæc negari non poſſunt, quia nobiſcum vera & communia Sacramenta traxiſtis*. Ubi S. Pater quod in ſchiſmaticis tolerat Baptiſma, improbat & pro nullo habet in hęreticis.

S. Cyrillus Hieroſolymitanus: *Non licet*, ait Pręfat. in Catecheſes, *bis aut ter hoc lavacro uti*. Unde *ſi ſemel illo fruſtraberis, amplius id correctionem non patitur .·. Nam ſoli hæretici rebaptizantur, ſiquidem prius illud non erat Baptiſma;* ergo juxta S. Doctorem iterari debet Baptiſma receptum ab hęretico, licet iterari non poſſit Baptiſma male & ſine fructu ſuſceptum a fideli.

Ex iis omnibus ſic diſputo. Ea opinio rejici non poteſt, & multo minus rejici ut fidei contraria, quam tenuere Patrum doctiſſimi; atqui opinionem de nullitate Baptiſmatis ab hęreticis collati tenuere Patrum doctiſſimi; ergo.

Reſp. 1. neg. maj. ut enim appoſite notat Vincentius Lirin. Commonit. 1. c. 39. Patribus *qui in fide & communione catholica mori meruerunt, hac lege credendum eſt, ut quidquid vel omnes vel plures, uno eodemque ſenſu manifeſte, frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum concilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur: Quidquid vero, quamvis ille ſanctus, & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor & Martyr præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas, & privatas opinunculas, a communis, publicæ ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit*: atqui opinio quam tenuere objecti Patres, nec erat *omnium*, nec *plurium*; cum ei obſiſteret & Eccleſia Occidentalis tota, & in ipſo Oriente Pręſules non pauci; nec *uno eodemque ſenſu* admittebatur ab omnibus, cum alii ſchiſmaticorum Baptiſma approbarent, ut Optatus, alii eodem haberent loco ac Baptiſma hęreticorum, ut Cyprianus; nec demum *perſeveranter & manifeſte* tradita fuit, cum ex ejus Doctoribus alii ad Eccleſię Romanę fidem redierint, ut probabile eſt de Cypriano, & de Dionyſio certius; alii ſibi ſemper conſtiterint.

Jam ne citatos Patres omnino prętergrediamur,

Dico 1. Tertullianum non fuiſſe *Eccleſiæ hominem*, ut loquitur Hieronymus; ac proinde nihil ex ejus ſenſu colligi poſſe: unde ne eum quidem in iſta controverſia citare auſus eſt impenſus ejus & lector & admirator Cyprianus: noverat ſcilicet nullius apud Catholicos eſſe ponderis virum, cui ſua ad hęreticos defectio omnem apud fideles auctoritatem detraxiſſet. Ceterum explicari poſſent Tertulliani verba de hęreticis formarum corruptoribus, niſi Agrippini Decretum indigitaret, cum ait: *Circa hæreticos quid cuſtodiendum ſit .·. ad nos etiam editum eſt*.

Dico 2. Dionyſium Alexand. fuiſſe quidem fortaſſis aliquandiu e numero rebaptizantium, at eum hinc receſſiſſe ſuadent non pauca: 1.
Apud enim teſtatur Epiſt. 3. ad Philemonem, ſe ab Heracla prędeceſſore ſuo
Euſeb. didiciſſe, *nequaquam iterato Baptiſmate opus eſſe eis qui ab hæreticis veniebant;*
Lib. 7. c. quod ſubindicat eum tunc temporis ad opinionem Heraclę rediiſſe; 2.
7. quia nullibi legitur Epiſcopos Ægypti, Libyę & Pentapoleos, hęreticos cum redirent iterum tinxiſſe. An non vero eorum plerique ſaltem ſecuti eſſent praxim Metropolitani ſui, cujus eruditio profunda vel ipſi Baſi-

ılilio admirationi erat; 3. quia S. Dionyſius Sixtum Stephani ſucceſſo-m conſuluit, an deberet rebaptizare ſenem quemdam, qui cum olim enum blaſphemiæ Baptiſma recepiſſet apud hæreticos, Catholicæ Eccle-: Baptiſma ſupplex efflagitabat: atqui Dionyſius hominem hunc ſta-m baptizaſſet, ſi idem adhuc ſenſiſſet cum Cypriano; 4. egit S. Do-or apud Stephanum ne quam comminatus erat cenſuram decerneret lverſus Rebaptizantes. An vero gravis & ponderoſa fuiſſet Epiſcopi ale ſentientis, & ejuſdem cum aliis culpæ conſcii ſollicitatio? 5. quia ſtatur S. Baſilius in Epiſt. ad Amphiloch. Baptiſma Montaniſtarum a ionyſio Magno, Alexandrino proinde, pro valido habitum fuiſſe; .metſi Montaniſtæ *in Patrem, & Filium, & Montanum Priſcillamque bapti-zrent;* quam formæ ſacramentalis depravationem Dionyſio prorſus igno-ım fuiſſe neceſſe eſt; ergo non rejecit S. Doctor quodcumque hæreti-orum Baptiſma. Unde Hieronymus vel non omnes legerat Dionyſii tteras, vel ea neſcivit ex quibus conjicimus S. Præſulem a priori ſen-entia receſſiſſe. Imo ſunt qui cum Juenino credant Dionyſium ſem-er admiſiſſe hæreticorum Baptiſma, tantumque in Epiſt. ad Philemo-em noluiſſe ut damnarentur, qui aliam in Eccleſia ſua conſuetudinem acti, ab ea non deficerent. *Juen. diſſer. 2. q. 6.*

At, inquies, tertia ratio ſuperius allata, nimis probat, nimirum ıeſciiſſe Dionyſium, quod ſciunt infantes, non valere Baptiſmum pere-;rina forma collatum.

Reſp. neg. ant. ſolum enim credidit S. Præſul *diuturnam illam commu-ionem, qua* ſenex ille *fuerat cum fidelibus ſociatus, ſatis habere poſſe vi-ium ad ejus animum purgandum. Nam,* inquit, *qui tam longo tempore fuiſ-et corporis & ſanguinis D. N. J. C. particeps, ejus Baptiſma non audebam de ovo integrare.* Eadem quoque fuit mens Cypriani quoad eos *qui in ræteritum de hæreſi ad Eccleſiam venientes, ſine Baptiſmo admiſſi* fuerant, rout ſubindicat in Epiſt. ad Jubajanum. Unde Auguſtinus Lib. 2. de Baptiſm. cap. 13. *Cum*, inquit, *arbitraretur* Cyprianus *eos, qui extra Eccleſiæ communionem baptizarentur, Baptiſmum non habere, credidit eos ta-ıen in Eccleſiam ſimpliciter admiſſos, propter ipſius unitatis vinculum, poſſe ad veniam pervenire.*

Ad S. Athanaſium, is licet omnibus inſpectis, difficilis eſt tractari, ıon refugit tamen omnino Catholicum ſenſum, unde diſt. maj. compa-at Athanaſius Baptiſmum Arianorum, cum Paulianiſtarum Baptiſma-e, quantum ad effectum primarium, gratiam ſcilicet, C. quantum ad ffectum ſecundarium, nempe characterem, N. Itaque præterquam ſa-is innuit S. Doctor ſe ſolum loqui de effectibus Baptiſmi, cum ait il-um apud Arianos *inutilem eſſe, vacuum, & qui nihil ad pietatem conferre valeat*, multa ſunt quæ probent intactam ei fuiſſe ejuſdem Sacramenti ubſtantiam: 1. enim non ait Arianos amiſiſſe *myſterii integritatem*, ſed *ericulum* eſſe ne eamdem amittant, depravata nimirum forma, ut tem-oribus S. Leandri contigit in Hiſpania, & forte in Ægypto ante Atha-ıaſii mortem; 2. quia difficile eſt ut Athanaſius aliud in re tam gravi enſerit a S. Dionyſio, qui paucis ante eum annis Alexandrinam Sedem enuerat, & a Rebaptizantium errore receſſerat; 3. qu... multo difficilius ſt ut vel Nicænam ea de re definitionem ignoraverit, vel non intellexerit:

hac porro ſolum Paulianæ factionis Baptiſma rejecerat ; 4. quia Synodus Alexandrina cui an. 362. præfuit Athanaſius, ab Arianis ad Eccleſiam reducibus *nihil amplius exigi* vult, *quam ut execrentur hæreſim Arianam, confiteanturque SS. Patrum in Nicæa fidem* : porro ante cetera exegiſſent Cyprianus & ejus aſseclæ, ut iidem Ariani denuo tingerentur.

Inſt. 1. Baptiſma quod inane eſt Religionis ſimulacrum, quodque non minus a vero Baptiſmate differt, quam creatura a Filio Dei, non valet etiam quoad ſubſtantiam : atqui ex S. Athanaſio Baptiſma Arianorum inane eſt ſimulacrum, &c.

Reſp. diſt. maj. Baptiſma quod inane eſt ſimulacrum .·. tam quoad ſubſtantiam, quam quoad effectus, non valet, C. quod eſt inane ſimulacrum, quoad ſolos effectus, N. ſic diſt. min. nego conſeq. Si enim credidiſſet S. Doctor Arianorum Baptiſma merum quoad omnia ſimulacrum eſſe, illudque in cunctis tam a vero Baptiſmate ſecerni quam creaturam a creatore ; jam utique illud in conſcientia iterare tenebatur, prout inviolati moris erat apud Rebaptizantes: atqui nec iteravit, nec decrevit iterandum, ſed econtra ; ergo.

Inſt. 2. ex Athanaſio ibidem, Tam falſus eſt ac mendax Baptiſmus hæreticorum, licet in nomine Domini baptizent, quam mendax ſit Gentilium cultus, licet Deum nominent : atqui Gentilium cultus & quoad ſubſtantiam & quoad effectum mendax eſt; ergo.

Reſp. neg. maj. non enim dicit Athanaſius mendax eſſe hæreticorum Baptiſma, ut mendax eſt Gentilium cultus ; ſed ſolum Arianos non plus per nomen Filii verum exprimere Dei Filium, quem pro creatura habebant, quam per nomen Domini verum exprimant Dominum Gentiles. Hinc porro ſequitur equidem Arianorum aquæ defuiſſe pietatem, ſed nullatenus ſequitur eam ita cujuſcumque effectus expertem fuiſſe, ut nec ipſum characterem produceret. Alioqui certiſſime amiſſa fuiſſet Sacramenti integritas, cui tamen, ex S. Doctore, dumtaxat timendum erat ne amitteretur.

Non eſt cur in interpretando Baſilio operam laudamus, cum objecta ejus verba rectum in ſenſum flecti non poſſint. Idem dicendum de Sancto Cyrillo, niſi eum intelligere velis de hæreticis germanam Sacramentorum formam adulterantibus. Interim ſi diutius Jeroſolymis quam alibi viguerit error Rebaptizantium, eſt unde credatur S. Præſulem ab eo ante mortem receſſiſse ; quia interfuit ſecundo Generali Concilio, ubi Can. 7. eorum dumtaxat hæreticorum Baptiſma rejectum eſt, qui in aliena forma tingebant.

Ad S. Optatum, dico 1. eum capitaliter differre a Rebaptizantibus, cum vera agnoſcat Sacramenta apud ſchiſmaticos.

Dico 2. probabilius videri ab eo rejectum non fuiſſe niſi Baptiſma collatum ab hæreticis, qui conſuetam Eccleſiæ formam violabant (quales Optati tempore erant Manichæi apud Auguſtinum hæreſ. 46. Sabelliani & Valentiniani apud Irenæum Lib. 1. cap. 18.) Et id ſuadetur 1. quia S. Auguſtinus, jugis & vigil Donatiſtarum impugnator, Optati Libros pluries citavit cum laude, neque in iis quidquam vellicavit; 2. quia generale hoc Donatiſtarum principium, *Non poteſt gratiam dare, qui non habet*, fortiter impugnat Optatus Lib. 5. n. 6. *Unde*, inquit, *hæc vox eſt?*

de

de qua lectione recitari poteſt? vox eſt de vico collecta, non de libro lecta. Et infra num. 7. *In quo baptizarentur gentes a Salvatore mandatum eſt, per quem baptizarentur, nulla exceptione, diſcretum eſt. Non dixit Apoſtolus: Vos facite, alii non faciant: quiſquis in nomine Patris*, &c. *baptizaverit, Apoſtolorum opus implevit .·.· ergo nomen eſt quod ſanctificat, non opus.*

At, inquies, approbat Optatus id quod dictum erat a Parmeniano, *apud hæreticos dotes Eccleſiæ eſſe non poſſe;* quin & confirmat, cum ait, *hæreticorum Eccleſias ſingulorum proſtitutas, nullis legalibus Sacramentis, & ſine jure honeſti matrimonii eſſe*. Et iterum: *Dixiſti fieri non poſſe ut falſo Baptiſmate inquinatus abluat, immundus emundet .·. Bene hæc omnia potuere ad ſolos hæreticos pertinere, qui falſaverunt ſymbolum.*

Reſp. diſt. ant. approbat cum exceptione, C. generatim & indiſtincte, N. Reſtringit enim Optatus Parmeniani verba ad hęreticos *qui falſaverunt ſymbolum*: atqui juxta tritam illius temporis phraſim, falſare ſymbolum, eſt adulterare formam Sacramentorum. Prob. min. 1. ex S. Auguſtino Lib. 6. de Bapt. cap. 25. ubi ſic: *Quis neſciat non eſſe Chriſti Baptiſmum, ſi verba Evangelica quibus ſymbolum conſtat, illic defuerint;* 2. ex Firmiliano, qui ad Cyprianum ſcribens de Baptiſmate per mulierem a dæmone poſſeſſam *uſitata & legitima* forma collato. *Numquid*, ait, *& hoc Stephanus & qui illi conſentiunt, comprobant, maxime cui nec ſymbolum*, ideſt, præſcripta invocatio *Trinitatis, nec interrogatio legitima defuit.*

Apud Cyprian. Ep. 75. p. 323. Edit. Pearſ.

Objic. 3. Ille ſolum Sacramenta conferre poteſt, qui Eccleſiæ munia exercere poteſt: atqui hæreticus non poteſt .·.· qui enim extra Eccleſiam eſt, ejuſque munia exercere nequit: atqui hæreticus, utpote foris poſitus, extra Eccleſiam eſt; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. qui extra Eccleſiam eſt, ejuſdem munia exercere nequit, ſi ab eo ablata fuerit poteſtas ea exercendi, prout de facto aufertur valide abſolvendi poteſtas ab eo qui propter hæreſim præciſus eſt, C. ſi poteſtas illa eidem ſublata non fuerit, N. Porro non magis probari poteſt ereptam fuiſse hæreticis valide baptizandi poteſtatem, quam probari poſſit eam iniquis & impiis ablatam fuiſſe: atqui hoc ultimum probari nequit. Unde Cyprianus ipſe ratum habuit Baptiſma ab improbis, modo nec ſchiſmaticis nec hæreticis collatum: & qui aliud primo ſenſerant Donatiſtæ, paulo poſt collatum ab occultis peccaroribus Sacramentum admittere coacti ſunt.

Inſt. 1. Non permittit Eccleſia collationem niſi Baptiſmatis quo quis & remiſſionem peccati conſequatur, & Chriſtum induat; juxta illud Apoſt. Gal. 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis:* atqui non poteſt quis induere Chriſtum vi Baptiſmatis ab hæretico collati; ergo.

Reſp. 1. diſt. maj. non permittit Eccleſia ut licitam, &c. C. ut validam, N. Itaque horret Eccleſia collationem Sacramenti a malo Miniſtro peractam, ut patet ex ſupra dictis: ſed non ideo illam habet pro irrita, imo nec in omnibus pro irrita habere poſset; quia non poteſt Eccleſia alligatam a Chriſto ſymbolis ſacramentalibus virtutem reſtringere pro nutu.

Reſp. 2. neg. min. quia infans vi Baptiſmatis ab ipſo etiam Juda collati poteſt induere Chriſtum; *nomen* enim *eſt* Chriſti *quod ſanctificat, non opus* Judæ, ut ſtatim ajebat S. Optatus.

D 2 Inſt. 2.

Inſt. 2. ex Eccli. 34. *Qui baptizatur a mortuo, quid prodeſt lavatio ejus?* atqui infans cum ab hæretico baptizatur, baptizatur a mortuo; ergo nihil ei ſua prodeſt lavatio, ſeu baptiſmi ablutio.

Reſp. diſt. maj. qui baptizatur a mortuo, ideſt qui poſt contractam ex mortui tactu legalem immunditiam, *iterum tangit mortuum*, ut dicitur in objecto textu, nihil prodeſt lavatio ejus, C. ideſt qui ſacramentaliter baptizatur ab hæretico, N. Hæc itaque argumentatio, quam in Synodo tertia Cypriani adhibuit Quietus a Buruch. merus eſt Scripturæ abuſus, in quo a prorſus diſparatis concluditur. Et vero, ait Auguſtinus Lib. 6. de Bapt. *quæro cur hæreticos ſolos velint intelligi mortuos* .·.·. *Cum* enim S. Paulus *mortuam dicat viduam, quæ in deliciis vivit, quomodo non ſunt mortui, qui ſæculo verbis & non factis renuntiant? quid ergo proficit lavatio ejus qui ab iſtis baptizatur?* Ecquid ergo horum etiam Baptiſma prodeſſe vult Cyprianus, illudque ſolum dedignatur, quod ab hæreticis aut ſchiſmaticis collatum fuerit?

Objic. 4. Ea ſolum ſocietas Sacramenta valide conferre poteſt, cui ſoli conceſſa ſunt a Chriſto Sacramenta: atqui ſoli Catholicorum ſocietati conceſſa ſunt a Chriſto Sacramenta.

Reſp. 1. cum S. Auguſtino retorquendo argumentum. Ii ſolum Sacramenta conferre poſſunt, quibus poteſtas ea conferendi commiſſa eſt a Chriſto: atqui poteſtas Sacramenta conferendi non conceſſa fuit niſi hominibus Spiritu ſancto plenis; iis nempe quibus actu dicebatur, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis;* ergo nonniſi homines Spiritu ſancto pleni, ac proinde non homicidæ, non raptores, &c. Sacramenta conferre poſsunt: quod tamen nec a Cypriano, nec a prioribus ejus aſseclis dictum eſt.

Reſp. 2. diſt. min. ſoli Catholicorum ſocietati conceſsa ſunt Sacramenta quoad legitimum uſum, omnimodamque utilitatem, C. quoad validitatem exercitii & adminiſtrationis, N. Itaque extra Eccleſiam Sacramenta ſine fructu recipiuntur ab adultis, nec ſine crimine conferuntur a Miniſtris: ſed non ideo nulla ſunt & invalida, ſi rite conferantur. *Aliud eſt* enim, ait Auguſtinus Lib. 4. ibid. cap. 17. *non habere, aliud non utiliter habere*. Et vero ſi res ita non eſset, miſere perirent non tantum infantes, ſed & adulti qui præ imperitia haud detegere poſsent errorem illius a quo baptizantur; quod a divina miſericordia prorſus alienum eſt.

Alias non proſequimur objectiones, ut quæ in idem recidant cum iis quas Puncto præcedenti ſolvimus: qui plures volet, adeat Nat. Alexandrum diſsert. 23. in Hiſtoriam ſæculi III. Fraſsen art. 3. n. 14. & ſequent. &c. ſupereſt ut reliquas, quæ ad hanc materiam attinent quæſtiones breviter perluſtremus, ſit igitur.

Conclusio II. Stephanus in errorem errori Cyprianico contrarium lapſus non eſt, nec proinde ratum habuit Baptiſma contra ſolemnem Eccleſiæ formam collatum. Ita Thomaſſinus diſsert. 2. in Concilia, Nat. Alexander ibid. diſsert. 14. aliique vulgo Catholici contra Blondellum & Launojum, quibus enixe favet D. Dupin.

Prob. 1. ex Epiſtola Firmiliani ad Cyprianum, ubi ſic deſcribitur Stephani opinio: *Illud quoque abſurdum, quod non putant quærendum eſſe,*

quis

quis ſit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; ergo juxta Stephanum, cujus Epiſtolam legerat Firmilianus, ideo poterat quis ab hęretico baptizatus gratiam conſequi, quia hęreticus baptizabat invocata Trinitate, ac proinde in forma Eccleſię conſueta.

Confirm. Totus eſt eo loci Firmilianus ut Stephanum carpat, ejuſque opinionem deridendam propinet; ergo ſi credidiſſet Stephano ratum fuiſſe quodcumque Baptiſma, etiam contra formam communem traditum, id ei & merito vertiſſet in culpam: atqui tamen altùm eſt ea de re in tota Firmiliani Epiſtola ſilentium; ergo ſciebat Firmilianus, illud ſolum Baptiſma a Stephano comprobatum fuiſſe, quod rite & legitime collatum eſset. Jam vero Firmilianus Stephani mentem ex ipſo Stephani Reſcripto, ad ſe per Cyprianum tranſmiſso cognoverat; ergo pro certo tenendum eſt Stephanum non aliud hęreticorum Baptiſma approbaſse, quam quod Evangelicis verbis conſecratum eſset.

Prob. 2. de ſententia Stephani judicandum eſt, prout de ea judicarunt, qui ejus tempora propius attigere: atqui ii ſic Stephanum intellexerunt, ut ab eo non alterius quam rite collati Baptiſmatis validitatem aſsertam crediderint. Scilicet enim credidere veteres antiquam Eccleſię conſuetudinem a Stephano vindicatam fuiſse: atqui ſi averſis veſtigiis errasſet Stephanus, non vindicaſset, ſed corrupiſset antiquam Eccleſię conſuetudinem. Minor patet, prob. maj. 1. ex Euſebio Lib. 7. Hiſtor. c. 3. ubi ſic legitur: *Cyprianus nonniſi per Baptiſmum ab errore prius emundatos, admittendos eſſe cenſuit: verum Stephanus nihil adverſus traditionem, quæ jam inde ab ultimis temporibus obtinuerat, innovandum ratus, id graviſſime tulit*; ergo id unum egit Stephanus ut primęvam traditionem tueretur; 2. ex Sancto Hieronymo qui in Dialogo adverſus Luciferianos Stephanum vocat *inveteratæ conſuetudinis* defenſorem; 3. ex Auguſtino, qui Lib. 5. contra Donatiſtas, *Non propterea*, inquit, *communicavit* Stephanus *hæreticis, quia Baptiſma Chriſti, quod in eorum perverſitate integrum manſiſſe cognovit, improbare non auſus eſt*. Et paulo infra: *Conſuetudo illa quæ* a Stephano *opponebatur Cypriano, ab eorum* Apoſtolorum *traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt*; 4. ex Vincentio Lirin. Common. 1. c. 9. *Cum undique*, ait, *ad novitatem rei* (opinionis Cypriani) *cuncti reclamarent* ∴∴ *tunc B. memoriæ Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum ceteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ ceteris reſtitit* ∴ *Intelligebat vir ſanctus & prudens nihil aliud ratione pietatis admittere, niſi ut omnia qua fide a patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur* ∴ *quis ergo tunc univerſi negotii exitus? quis utique, niſi uſitatus & ſolitus? retenta eſt ſcilicet antiquitas, & exploſa novitas*. Eam ergo ad filios tranſmiſit Stephanus fidem, quam acceperat a Patribus, & quę in Eccleſia tota Cyprianę novitatis vices excepit: atqui nec erroneam opinionem ad filios tranſmiſit Stephanus, neque eam a Patribus accepit, &c. ergo; 5. demum ex Facundo Hermianenſi: hęc ille Lib. contra Mocianum: *Stephani potius quam Cypriani ſententiam tenet Eccleſia, non ſolum de non rebaptizandis hæreticis, verum etiam de rebaptizantibus non ferendis*: porro an Stephani ſententiam tenere diceretur Eccleſia, ſi Stephani opinio pro errore habita eſset.

Tom. 2. part. 2. p. 308.

Prob. 3. quia fieri nequit ut tota ſimul erret Eccleſia; utpote contra quam inferi portę prevalere non poſſint: atqui ſtante Launoii figmento tota ſimul erravit Eccleſia. Diviſi enim erant tunc temporis Epiſcopi & Fideles Cyprianum inter & Stephanum; itaut quiſque alterutri adhęreret; ergo ut hi ſic & illi tenebant errorem. Ubi ergo tunc vera fides? *Tillem. tom. 4. p. 619.* ubi, ait Tillemontius, traditio, cujus ope mediam & rectam inivit viam Eccleſia? ubi conſuetudo hęc, quam ab Apoſtolorum ętate ad ſuam uſque ętatem deducebat Auguſtinus. Imo ad quid conſuetudo, quę ſeu Romę, ſeu in Africa conſideraretur, pro vero errore habenda erat?

Objic. 1. Ipſum S. Stephani Decretum, quod his reddidit verbis Cyprianus Epiſt. 74. ad Pompejum: *Si quis ergo a quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponantur in pœnitentiam.* Unde ſic: Non aliunde melius haberi poteſt genuina Stephani ſententia, quam ex ejus verbis: atqui citata Stephani verba clare indicant nullius prorſus hęretici Baptiſma rejectum fuiſſe a Stephano. Hęc enim verba, *Si quis a quacumque hæreſi*, univerſalia ſunt; utpote quę in materia doctrinali indefinita ſint; ergo.

Reſp. data majore, quę negari poſſet, quia vocis ambiguę ſenſus, non ex ipſa voce utpote dubia, ſed ex circumſtantiis loci, temporis, perſonę, ac communis intellectus repeti debet, diſt. min. verba Stephani indicant nullius prorſus hęretici Baptiſma ab eo rejectum fuiſſe, pręciſe ratione hęreſeos, & propter defectum fidei in Miniſtro, C. propter alios, qui eidem ineſſe poſſent defectus, N. Itaque cum Cyprianum inter & Stephanum nihil eſſet controverſię de formę defectu, ſed ſolum de defectu fidei, ſtatuit & ſtatuere debuit Summus ille Pontifex, ut nullius hęretici Baptiſma rejiceretur, nimirum propter hunc fidei defectum: at non ideo cenſeri poteſt Baptiſmum quemcumque etiam vitiata forma traditum approbaſſe: 1. quia alioqui approbaſſet etiam Baptiſmum in aliena materia confectum, quod nemo dixerit; 2. quia eum dumtaxat Baptiſmum pro rato habuit, cujus tota retro traditio validitatem agnoverat; ut ex iis patet ejus verbis: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt:* atqui traditio non alterius Baptiſmi, quam qui rite collatus eſſet, validitatem agnoverat; 3. quia Cyprianus ipſe eadem Epiſt. 74. dicit Stephanum *majeſtati nominis* tribuere, *ut qui in nomine Chriſti*, ideſt Chriſti auctoritate, ab hęreticis *baptizantur*, innovati & ſanctificati judicentur; ergo ſenſit vel ipſe Cyprianus vim hujuſce Baptiſmatis in efficaciam verborum Evangelicorum refundi a Stephano; 4. demum quia non magis ſuſpecta eſſe debent verba Stephani, quam iſta Auguſtini, quę non minus generalia ſunt: Deteſtantur *homines occulta quadam inſpiratione Dei, ſi quis iterum accipiat Baptiſmum, quem* UBICUMQUE *jam acceperat.*

Inſt. 1. Qui Baptiſmum ubicumque & quomodocumque datum approbavit, ille non eum magis ex defectu formę, quam ex fidei defectu invalidum eſſe exiſtimavit: atqui Stephanus .·. Prob. min. ex mox citatis S. Cypriani verbis, quę ſic ſe habent a parte rei: *Si effectum Baptiſmi, majeſtati nominis tribuunt, ut qui in nomine Chriſti, ubicumque & quomodocumque baptizantur innovati & ſanctificati judicentur*, &c. ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. neg. anteced. neque enim refert hic Cyprianus ſententiam Stephani, ſed eam, & malè confutat ex abſurdis, quę ab

ab ea ſequi perperam imaginatur. Et vero quis hominum credat eouſque deſipuiſſe Stephanum, ut crederet adultos, quales tunc plerique baptizabantur, etſi aut ab hereticis ſcienter, aut heretici ipſi tingerentur, vere *innovatos* ac *ſanctificatos* fuiſſe? Credat Launojus, ſed credat ſimul Stephanum pari loco in ordine ad ſalutem & hereticos & Catholicos habuiſſe.

Inſt. 2. Ut Stephanus Baptiſma quomodocumque, ſeu in quacumque forma traditum approbaſſe cenſeatur, ſufficit ut & approbaverit Baptiſma hæreticorum ſui temporis, & ut ejus temporis hæretici omnes Baptiſmi formam violarent: atqui 1. indubie approbavit Stephanus Baptiſma hæreticorum ſui temporis; ad quid enim tam vivax ejus ad Cyprianum reſponſio? 2. nec minus conſtat æquales Stephano hæreticos formam Baptiſmi violaſſe. Ecqui pepercisſent formæ Baptiſmatis, qui ne divinitati quidem parcebant, ut Baſilidiani, Simoniani, Ebionitæ, Praxeani, & Marcitæ, qui poſtremi, teſte S Irenæo L. 1. cap. 21. alias 18. baptizabant *in nomen incogniti Patris omnium, & Veritatem matrem omnium,* &c. ergo vel inanis fuit Stephani deciſio, vel fuit hæc pro quibuſcumque hæreticis conſtituta. Ita fere Dupin.

Reſp. neg. min. pro ſecunda parte. Certe enim, ait Tillemontius, Novatiani in nomine Trinitatis baptizabant. Imo obſervat Auguſtinus Lib. 6. de Bapt. c. 25. *facilius inveniri hæreticos qui omnino non baptizent, quam qui verbis Evangelicis non baptizent;* ergo reale habuit objectum Stephani deciſio, nec tamen pro quibuſcumque omnino hæreticis conſtituta eſt.

Objic. 2. Adeo conſtat Stephanum & Cyprianum averſis gradibus erraſſe, ut id ſponte confeſſus fuerit Benedictus XII. in ſua ad Fratricellorum objectiones reſponſione; atque hinc probat Papam in iis quæ ad fidem pertinent errare poſſe; ergo.

Reſp. cum Nat. Alexandro, Tournelyo & aliis, Benedictum XII. hæc ſcripſiſſe adhuc Cardinalem, nec tantum mereri fidei, quam Veteres a nobis citati, quibus ſub ipſum controverſiæ tempus notior eſſe debuit Stephani ſenſus, quam homini mille poſtea annis ſcribenti.

Moram non facit quod objicit Launojus potiorem eſſe in Eccleſia memoriam Cypriani, quam Stephani. Neque enim hic agitur de comparandis utriuſque virtutibus, ſed de utriuſque ſententia. Plura certe propter Eccleſiam peragere & pati potuit Cyprianus materialiter errando, quam Stephanus avitæ traditioni firmiter inhærendo. *Nec nos,* ait Auguſtinus Lib. de unico Bapt. c. 13. *qui Baptiſmi veritatem etiam in hæreticorum iniquitate agnoſcimus ... ideo meliores Cypriano ſumus; ſicut nec Petro, quia Gentes judaizare non cogimus.*

CONCLUSIO III. Stephanus cenſuram quidem comminatus eſt Cypriano, aliiſque Rebaptizantibus, ſed hæſit intra minas.

Prob. 1. ex eadem ad Pompejum Epiſtola, ubi ſic loquitur Cyprianus: *Sacerdotes Dei veritatem, Chriſti & Eccleſiæ unitatem tenentes abſtinendos putat Stephanus.* Non ait, abſtinet, vel abſtinuit, ſed *abſtinendos putat*: atqui ea vox quæ futurum reſpicit, non autem præteritum vel præſens, comminatam non autem de facto latam excommunicationem ſignificat. Certe cum loquitur S. Doctor de Marciano, pluries ait eum *abſtentum* fuiſſe, ideſt jam ab Eccleſiæ communione præciſum. *Epiſt. 68.*

Prob. 2. ex Dionyſio Alexandrino, qui utpote in eadem lite involu-

Digitized by Google

tus, mentem Stephani ignorare non potuit. Is porro ſic ad Sixtum
Edit. Val. pag. 205. Stephani ſucceſſorem ſcribit apud Euſebium Lib. 7. cap. 5. *Antea quidem litteras ſcripſerat* Stephanus *de Heleno & de Firmiliano .·. ſeſe ob eam cauſam ab illorum communione diſceſſurum, quod hæreticos rebaptizarent .·. De his omnibus ego ad illum Epiſtolam miſi rogans atque obteſtans.* Unde ſic: Si Stephanus Afros præciderit, vel ea quam ad Cyprianum ſcripſit Epiſtola; vel deinceps: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. qui enim minatur ſe ab alicujus *communione diſceſſurum*, haud utique jam ab ea diſcedit. Non 2. tum quia nulla extant cenſuræ poſtea ſecutæ monumenta; tum quia veri admodum ſimile eſt Stephanum Dionyſii obteſtationibus ceſſiſſe; cum ex tunc altum ſileant Veteres de infelici hoc Stephanum inter & Cyprianum diſſidio: quod argumento eſt Romanum Pontificem Dionyſii Alexandrini precibus victum, aut a ferenda excommunicationis ſententia, aut ſaltem ab ea executioni demandanda, pacis & unitatis ſtudio abſtinuiſſe.

Prob. 3. ex Auguſtino pluribus in locis, præſertim autem Lib. de unico Baptiſmo, cap. 14. ubi ſic: *Cum Stephanus non ſolum non rebaptizaret hæreticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret .·. tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit.* Et infra: *Ecce duo erant uno tempore Eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanæ ſcilicet & Carthaginenſis Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate catholica conſtituti, multi cum illo, quidam cum iſto etiam ſentiebant, utrique cum eis in unitate conſiſtentes.* Et rurſus Lib. 5. contra Donat. c. 25. *Vicit pax Chriſti in cordibus eorum, ut in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur:* atqui ſi Stephanus Cyprianum a communione ſanctæ Eccleſię pręcidiſſet, jam nec verum eſſet nullum fuiſſe inter eos malum ſchiſmatis, nec ambos in unitate Catholica permanſiſſe, nec viciſſe pacem in cordibus eorum; ergo.

Idem evincit id Facundi Hermian ubi ſupra: *B. Stephanus cum S. Cyprianum, atque alios Afros Epiſcopos de baptizandis omnibus hæreticis decreviſſe cognoſceret, continuo ei denuntiavit, quod ſi qui hæc auderent, ab Eccleſia pellerentur:* atqui aliud eſt denuntiare hominem ab Eccleſia pulſum iri; aliud eum ab Eccleſia pellere incontinenti; ergo.

Prob. 4. tum ex ſilentio Euſebii, Hieronymi ac Vincentii Lirinenſis, qui de hac excommunicatione, ne verbum quidem habent, ubi de celebri illa controverſia loquuntur; tum quia ſi Cyprianus, ejuſque ſequaces Romano fulmine percuſſi fuiſſent, hoc dubio procul objeciſſent Catholici Donatiſtis, qui a diluculo ad veſperam Cypriani auctoritate gloriabantur; imo & hinc quoque ſchiſma ſuum colorare potuiſſent Donatiſtę, quod ſeipſos non pręcidiſſent ab Eccleſia, ſed a Romanis immaniter pręciſi fuiſſent; prout non ſemel Patrum noſtrorum ęvo fecere Proteſtantes: atqui tamen neutrum unquam contigit; ergo.

Probat 5. Tournelyus, quia veriſimile non eſt, Stephanum virum
P. 444. cautum ac prudentem, tot magni nominis Epiſcopos pręcipiti ſententia & abſque ulla monitione percuſſiſſe: porro rem ſic ſe habuiſſe oportet, ſi Stephanus acceptis Cypriani litteris, eumdem ſtatim pręciderit. Nullibi enim extat pręvię monitionis veſtigium; ergo.

Hęc tamen probatio non videtur omnino firma: 1. quia adverſarii, ut plu-

plurimum Romanæ Sedis parum amici, id. unum ferme habent in votis ut Stephano inuratur temeritatis & imprudentiæ nota; 2. quia ipſa indubie Stephani Epiſtola, eam continebat monitionis ſpeciem quæ hodie *ſolemnis* appellatur: cum enim non intenderet Stephanus Afros, poſito etiam quod ab errore ſuo reſipiſcerent, percellere; utique monebat æquivalenter, ut vel parerent Apoſtolicæ Sedis judicio, vel anathemati ſubjacerent. Atque hæc monitionis ſpecies prorſus ſufficiens fuiſſet tum propter locorum diſtantiam, tum propter imminens periculum, ne error triplici Concilio munitus, nimias ſumeret vires, nec jam poſset coerceri.

Prob. 6. ſaltem contra aliquos, qui Cyprianum in errore ſimul & anathemate mortuum, nec inde pejus habere exultantes contendunt. Certum eſt Cypriani etiam mortui nomen magno ſemper in pretio fuiſse apud Romanos; qui eum non ſecus ac Eccleſia univerſa *inter raros & paucos excellentiſſimæ gratiæ viros* numerarunt: atqui ſi Cyprianus Pontificia ligatus cenſura diem clauſiſset, nec fuiſset, nec eſse potuiſset tanti in Eccleſia Romana pretii. Qui enim deceſſiſset irriſor cenſuræ, cujus certa magis erat quam dubia, ille profecto haud magni, ne dicam nullius pretii fuiſset in Eccleſia, quæ cauta eſt meriti & demeriti, obedientiæ & contumaciæ ponderatrix: atqui in hypoteſi præſenti deceſiſset Cyprianus irriſor cenſuræ, cujus æquitas certa erat magis quam dubia. *Quis enim*, ait N. Alexander diſsert. 12. juſte excommunicare neget *eos, qui errorem tuentur ab Apoſtolica Sede & aliis Eccleſiis damnatum, nec ab eo vel adhortationibus vel minis revocari poſſunt, ſed in eo manent pertinaces? cum itaque hic fuiſset Cypriani, Firmilianique ſtatus, non fuiſſet injuſte in eos lata excommunicatio a Stephano; unde tam juſto anathemate percuſſos, in eoque defunctos, Eccleſia ſacris honoribus ut Sanctos proſequuta non fuiſſet.*

Aug. L. 6. de Bapt. c. 2.

Alex. pag. 686. fol.

Confirm. Cenſura a legitimo Superiore, ob gravem juſtamque cauſam lata, ad minus pro dubia habita fuiſset Romæ: atqui cenſura a Stephano lata, 1. lata fuiſset a Superiore legitimo, quemque ut talem habebat Cyprianus ipſe; cum & primæ Sedis prærogativas noſset, & apud Stephanum ipſum egiſset ut quoſdam Africæ Præſules merita cenſura percelleret; 2. lata fuiſset ob gravem juſtamque cauſam; nempe ob excidium erroris paucos ante annos nati, & quo *divinus Canon, univerſalis Eccleſiæ regula, omnium Conſacerdotum ſenſus; mos* denique *& inſtituta Majorum* ſubvertebantur; ut ſupra aiebat Vincentius Lirinenſis; ergo.

Objic. 1. Nemini notior eſse potuit agendi ratio Stephani, quam Firmiliano & Cypriano: atqui fatentur ambo fuiſse ſe a Stephano præciſos, Firmilianus quidem Epiſt. ad Cyprian. ubi ſic: *In plurimis Provinciis multa pro locorum & nominum diverſitate variantur; nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando diſceſſum eſt; quod nunc Stephanus auſus eſt facere rumpens adverſum vos pacem*, & infra, Stephanum compellans: *Peccatum quam magnum tibi exaggeraſti, quando te a tot gregibus ſcidiſti! excidiſti enim te ipſum: ſiquidem ille vere eſt ſchiſmaticus, qui ſe a communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit.* & paulo poſt ironice loquens: *Legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloqui communis admitteret; adhuc & præciperet fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet, ut venientibus non ſolum pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium nega-*

negaretur. Cyprianus vero Epiſt. ad Pompejum: *Unitatis oblitus* Stephanus, *mendacia & contagia profanæ tinctionis uſurpat*. Ergone *dat honorem Deo, qui unitatem de divina lege venientem non tenens, hæreſes* ∴ *vindicat? Dat honorem Deo qui hæreticorum amicus, & inimicus Chriſtianorum Sacerdotes Dei, veritatem Chriſti & Eccleſiæ unitatem tenentes, abſtinendos putat?* Unde ſic: Qui ab Eccleſiaſtica unitate diſceſſit, qui alios excommunicare volendo ſeipſum excidit, qui a communione Eccleſiaſtica apoſtatam ſe fecit, qui demum unitatis oblitus eſt, ut hæreticorum vindex fieret; ille non hæſit intra cenſuræ minas, ſed ad cenſuram uſque progreſſus eſt: atqui ex Firmiliano & Cypriano, &c.

Reſp. neg. min. in eo quod ſpectat ad Cyprianum. Quod autem dicit S. Doctor Stephanum unitatis oblitum fuiſſe, non cadit in unitatem communionis Eccleſiaſticæ, quam a Stephano actu ruptam fuiſſe velit; ſed in unitatem Baptiſmatis, quam ab eo violatam eſſe male exiſtimabat. Cum enim crederet Cyprianus ita unicum eſſe Baptiſma, ut apud ſolos Catholicos valere poſſet; inferebat Stephanum, unitatis illius oblitum eſſe, quia ratum habebat Baptiſma apud hæreticos collatum. Unde pluries conqueritur non unicum jam, ſed tot fore Baptiſmata, quot hæreticorum ſectæ.

Ad Firmilianum quod attinet, nego ei hoc in negotio habendam eſſe fidem. Quemadmodum enim iis qui ictericο morbo laborant, vel ipſi nives flavæ videntur, ſic & viro ferventioris ingenii, ut eſſe ſolent Orientales, Stephani minæ ultra minas ire viſæ ſunt. Firmiliano igitur, ait N. Alexander, neque in hoc, neque in aliis, quæ ſtyli tota in Epiſtola adverſus Stephanum debacchantis impetu temere effudit, credendum eſt. Quis enim cum Firmiliano Stephanum Judæ proditori comparare auſit? Quis audaciæ, inſolentiæ, ſtultitiæ, improbitatis, violatæ fidei ac traditionis Pontificem vere ſanctum, & cujus integri mores vel ipſis Donatiſtis probabantur, cum Firmiliano inſimulet? Quis æquus rerum æſtimator credat Stephanum a Cypriano Pſeudochriſti, Pſeudoapoſtoli, doloſique operarii nominibus infamatum, quod ipſi Firmilianus affingit? Cum ergo in his omnibus non minus a veritate quam a chriſtiana charitate defecerit, non eſt cur audiatur in ceteris. *Iratus nihil niſi monſtra* locutus eſt; iratus nihil niſi monſtra vidit.

Alex. p. 687.

Nec eſt quod objiciatur, Firmilianum a Patribus utriuſque Antiochenæ Synodi contra Paulum Samoſatenum, nobiliter exceptum fuiſſe; eumdemque in Synodica eorum Epiſtola *ſanctæ recordationis virum* nuncupari; ac demum annumerari Sanctis in Græcorum Menologio. Neque enim honorifica hæc promeruit Firmilianus, quia vere ſemper & moderate locutus ſit, ſed quia priores illos ebullientis animi impetus pœnitentia ſincera expunxerit, ut nævos ſuos Cyprianus martyrio.

Inſt. Saltem denegari nequit Firmiliano fides in iis quæ ſpectant Stephani agendi rationem erga legatos Romam miſſos ab Oriente: atqui tota hæc agendi ratio excommunicationem actu latam redolet. Qui enim pacem, communionem, imo tectum & hoſpitium alicui negat, hunc certe habet ut actu excommunicatum: atqui ex Firmiliano Stephanus, pacem, &c. Orientalibus legatis denegavit; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj ſuppoſita enim veritate narrationis

Digitized by Google

nis hujus, de qua plane ſilent Cyprianus, Auguſtinus, ceterique coævi Scriptores; dicendum eſt Stephanum hac ſeveritate uſum eſſe, non ut Orientales legatos a communione ſua extorres declararet, ſed ne eos benignius excipiens errori favere videretur, neve iis, quos quoquoverſum vagari ſineret, occaſionem daret diſſeminandi erroris. Sicut ergo nemo hucuſque ſomniavit S. Chryſoſtomum a S. Epiphanio excommunicatum fuiſſe, eo quod Epiphanius nec in ædibus Chryſoſtomi, licet humaniſſime invitatus, commorari, nec, quod gravius eſt, in Eccleſia ſimul cum eo orare voluerit; ut Chryſoſtomum, quem errore facti Origeniſtam eſſe cenſebat, ab Origenis opinionibus revocaret; ſic nec ex Stephani agendi ratione inflictam ab eo fuiſſe contra Orientales cenſuram colligi poteſt. *N. Alex. p. 687.*

Hic duo notanda, 1. excommunicari potuiſſe Firmilianum, abſque eo quod idem ſentiatur de Cypriano. Primum admittunt plures, qui ſecundum negant. Et vero queritur Firmilianus de Stephano, quaſi qui *pacem cum ſingulis vario diſcordiarum genere* ruperit, *modo*, inquit, *cum Orientalibus (quod nec vos latere confidimus) modo vobiſcum qui in meridie eſtis:* ergo multa & *varia* erant *diſcordiæ* capita Stephanum inter & Orientales; ergo & a Stephano durius excipi potuere, quam Cyprianus, qui tunc primum, & in uno tantum capite diſſidebat a Stephano.

2. non eamdem ſemper fuiſſe apud antiquos excommunicationis vim & extenſionem, quæ nunc eſt. Hodie enim qui præciſus eſt, ab omnium, & a ſuæ etiam Eccleſiæ conſortio præciſus eſt: aliter porro identidem ſe res habebant apud antiquos. Sic in Concilio Carthaginenſi V. Can. 10. præcipitur ut Epiſcopi, qui ſine legitima cauſa ad Synodum Provincialem accedere neglexerint, *communione ſuæ* tantum *Eccleſiæ debeant eſſe contenti*, quæ lectio genuina videtur, & iis conſonat quæ refert Gratianus diſt. 58. Can. 2. Erat tunc & alia ſpecies excommunicationis, qua Eccleſia etiam inferior ab alterius ſe commercio ſegregabat, ſecundum id Apoſtoli II. Theſſal. 3. *Denuntiamus vobis, fratres, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* Iſthæc excommunicatio, vel potius communionis ſubtractio non fiebat virtute clavium; tantumque in eo ſita erat, quod utriuſque Eccleſiæ Epiſcopi *formatas litteras* ad ſe non mitterent, aut inutiliter mitterent, quia rejiciebantur. De his adi Van-Eſpen c. 1. de Cenſuris, §. 1. interim ex his colliges Eccleſiæ cenſuras olim multominus aliquando graves fuiſſe, quam nunc ſint. *Can. 10 diſt. 18*

Objic. 2. contra ſextam probationem. Cyprianus nullum ferre potuit præjudicium ex cenſura formaliter injuſta: atqui talis fuiſſet excommunicatio a Stephano lata. Cenſura enim qua quis percutitur propter opinionem quam non tenetur abjicere, eſt formaliter injuſta: atqui percuſſus fuiſſet Cyprianus propter opinionem, quam etſi intrinſece falſam non tenebatur abjicere. Prob. maj. ex Auguſtino qui pluribus in locis docet quæſtionem rebaptizationis necdum tunc ſatis *eliquatam* fuiſſe. Vide Lib. 1. de Bapt. c. 18. & Lib. 2. c. 7.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. non quæro an a parte rei ſententiam ſuam abjicere teneretur Cyprianus: neque enim me fugit Auguſtinum, qui omnes animi nervos intendit, ut S. Martyris culpam imminuat, ſic pluries loqui ut videatur exiſtimaſſe quæſtionem nulla tunc peremptoria auctorita-

ritate fuiſſe definitam. Id unum quæro an Romani idem indubie ſenſiſſent cum Auguſtino, præſertim in hypotheſi cenſuræ actu latæ contra Cyprianum, ſicque an indubie ut Sanctum coluiſſent eum, qui non obſtante Superioris ſui cenſura, perniciosum errorem contra totam retro antiquitatem tuitus fuiſſet: uno verbo quæro an, ne Cyprianum pro rebelli haberent, Stephanum habituri eſſent pro iniquo & temerario judice. En quod ad minus dubium videtur cum N. Alexandro. Porro id ſi dubium eſt, ſtat tota probatio.

CONCLUSIO IV. Cyprianus, ejuſque ſequaces Epiſcopi, natam de hæreticorum Baptiſmo controverſiam non ad fidem ſed ad diſciplinam revocaſſe videntur. Ita Thomaſſinus ibid. qui ultra progreſſus eſt; Nat. Alexander, &c.

Prænot. illud eſſe fidem inter & diſciplinam diſcrimen, quod fides, utpote de credendis, una & eadem ubique habenda ſit; diſciplina vero utpote de rebus nec intrinſece bonis, vel malis, pro locorum diverſitate diverſa eſſe queat, ſine catholicæ unitatis diſpendio. Patet id ex Tridentinæ Synodi Decretis, quæ ubique quantum ad dogma pari in honore ſunt; quantum ad diſciplinam vero aliter in Gallia, aliter in Italia ſervantur: etſi optare poſſit Eccleſia una, ut altera ſecum conſentiat, ſive quia puriorem, ſive quia ſecuriorem, aut antiquiorem diſciplinam ſervet. His poſitis

Prob. Concluſio. Illud ad diſciplinam revocatum eſt, circa quod unicuique permiſſum eſt id quod vellet facere, & quidem citra unitatis catholicæ periculum: atqui Cyprianus & qui cum eo ſentiebant, circa rebaptizationem permiſere, ut citra catholicæ unitatis periculum, faceret unuſquiſque quod vellet. Minor abunde patet ex his Cypriani verbis in Concilio III. Carthaginenſi: *Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli quid ſentiamus, proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, removentes.* Noverat ergo S. Doctor eſse Epiſcopos, qui aliter ſentirent; prout disertius affirmat ipſe Ep. 71. 72. & 73. atqui tamen neque eos a communione ſua removet, neque eos judicat. *Nos*, inquit, Epiſt. 72. ad Stephanum, *vim cuiquam non facimus, aut legem damus, cum habeat in Eccleſiæ adminiſtratione voluntatis ſuæ arbitrium liberum unuſquiſque Præpoſitus.* Quæro autem an Cyprianus libero uniuſcujuſque Præpoſiti arbitrio permitteret rem, quam crederet ad fidem pertinere.

Prob. 2. quod meris diſciplinæ punctis comparatur, ad diſciplinam pertinere judicatur, non ad fidem: atqui Firmilianus rebaptizationis quæſtionem meris diſciplinæ punctis comparat. Sic ille in Epiſt. ad Cyprianum: *Scire quis poteſt, quod circa celebrandos dies Paſchæ, & circa multa alia divinæ fidei Sacramenta, videat* Stephanus *eſſe apud* Romanos *aliquas diverſitates, nec obſervari illic æqualiter omnia, quæ Jeroſolymis obſervantur: ſecundum quod in cæteris quoque plurimis Provinciis multa pro locorum & nominum diverſitate variantur; nec tamen propter hoc ab Eccleſiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando diſceſſum ſit;* ergo idem ſentiebat Firmilianus de rebaptizationis uſu, quod de praxi Quartodecumanorum; ac proinde utrumque ad conſuetudinem & diſciplinam revocabat.

Prob. 3. ſemper credidit Eccleſia, neque aliud credere potuit Cyprianus, Epiſcopum a fide deficientem poſse ab aliis Epiſcopis judicari, imo & de-

& deponi: atqui non credebat Cyprianus, ſe vel ſequaces ſuos ob negotium rebaptizationis a quopiam judicari poſſe. Sic enim in eodem Carthaginenſi Concilio præfabatur: *Habet omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non poſſit, cum nec ipſe poſſit alterum judicare: ſed expectemus univerſi judicium Domini N. J. C. qui unus & ſolus habet poteſtatem ∴ de actu noſtro judicandi*. Vidi quidem raræ eruditionis virum, cui videbatur crediviſſe Cyprianum; Epiſcopum quemcumque in ipſius etiam fidei materia, Dei ſolius judicio obnoxium eſſe; ſed quis errorem tam fœdum tanto viro adſcribat, niſi premente, quæ hic deeſt, evidentia.

Objic. I. Impoſſibile eſt ut vir acuti & perſpicacis ingenii, qualem fuiſſe Cyprianum nemo hactenus dubitavit, non viderit in controverſia de rebaptizatione, id quod in eadem quiſque, niſi plumbeus eſt, primo oculi intuitu detegit: atqui controverſiam de rebaptizatione non eſſe merum diſciplinæ punctum, ſed rem dogmati annexam primo videt intuitu quiſquis plumbeus & hebes non fuerit. Certe enim non ad diſciplinam ſed ad fidem ſpectat hæc quæſtio, an in Miniſtro requiratur fides, ut valide Sacramentum conficiat: atqui quæſtionem hanc, an in Miniſtro requiratur fides, involvit Cyprianica de Baptiſmate controverſia; & tam evidenter involvit, ut id primo intuitu perſpiciat quiſquis oculos habet; ergo non potuit Cyprianus id non videre. Idem pari ratione dicendum de Firmiliano, quem nulli ſui temporis ſcientia imparem fuiſſe confitetur ipſe Baronius.

Reſp. I. retorq. argumentum. Impoſſibile eſt ut viri ingenii perſpicacis quæſtionem de fide comparaverint cum meris diſciplinæ quæſtionibus; ut non ſenſerint ex opinione ſua ſequi, Eccleſiam ab Apoſtolis ad Agrippinum uſque, praxim tenuiſſe perniciosam, imo & fidei adverſam ſaltem materialiter; ut demum non viderint pleriſque, quæ adhibebant argumentis, non improborum minus quam hæreticorum Baptiſma convelli, prout deinceps oſtendere conati ſunt Donatiſtę: atqui poſita adverſariorum opinione Firmilianus quęſtionem fidei cum meris diſciplinę quęſtionibus comparavit; non ſenſit Cyprianus ſe periculoſam & erroneam praxim toti ab Apoſtolis uſque ad Agrippinum Eccleſię affingere; non vidit ſpecioſa quę contra Stephanum movebat argumenta, ut quod qui Spiritum ſanctum non habet, Spiritum ſanctum dare non poſſit, &c. non minus improborum quam hęreticorum Baptiſmo adverſari: ergo.

Reſp. igitur diſt. maj. impoſſibile eſt ut non viderit Cyprianus ∴ ſi quęſtionem ſub hoc reſpectu conſideraverit, C. ſi quæſtionem ſub eo pene ſolum reſpectu attigerit, ſub quo pertinebat ea ad conſuetudinem, N. Itaque vidit Cyprianus diverſos eſse diverſis in Eccleſiis circa rebaptizationem uſus: vidit & Stephanum antiquam ſibi obtrudere conſuetudinem, eique quaſi peremptorio argumento inniti: quid mirum ſi eo totam animi aciem direxerit? Hoc qui capere non valent, capiant qua ratione ſingulis diebus doctiſſimi quique ita unam objecti alicujus faciem intueantur, ut ad ceteras nihil attendendo, quandoque etiam ab imperitis jure ac merito redarguantur.

Inſt. I. Ille in quęſtione rebaptizationis non conſuetudinem ſolam, ſed & dogma inſpexit, qui quęſtionem hanc depinxit coloribus ſo-

lius fidei propriis : atqui S. Cyprianus ∴ Prob. min. quod traditur ut tam certum, quam certum ſit vel hęreticos non habere Eccleſiam nobiſcum communem; vel non valere Baptiſma collatum ab iis qui ejus conferendi poteſtatem a Chriſto non recepere, traditur ut quęſtio ad dogma & fidem pertinens : atqui opinionem ſuam tradit Cyprianus ut tam certam quam certum ſit vel hęreticos non habere Eccleſiam nobiſcum communem, &c. Prob. min. ex ipſo Cypriani textu; ſic ille in Epiſt. ad Jubajanum : *Baptiſma nobis & hæreticis commune eſſe non poteſt, cum quibus* ∴ *nec fides nec Eccleſia ipſa communis eſt*. & antea : *Manifeſtum eſt ubi & per quos remiſſa peccatorum dari poſſit, quæ in Baptiſmo ſcilicet datur. Nam Petro primum Dominus, ſuper quem ædificavit Eccleſiam, unde & unitatis originem inſtituit, poteſtatem iſtam dedit, ut id ſolveretur in cælis, quod ille ſolviſſet in terris* ∴ *Unde intelligimus nonniſi in Eccleſia* ∴ *licere baptizare, & remiſſam peccatorum dare; foris autem nec ligari aliquid poſſe nec ſolvi, ubi non ſit qui aut ligare poſſit aliquid, aut ſolvere*.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. Cyprianus opinionem ſuam tradit ut tam certam, &c. tradit, inquam, illative & per conſequentias, quas ex Scripturis deduci poſse exiſtimat, C. tradit formaliter, & expreſse, N. Itaque facit id Cyprianus, quod ſolent quicumque de re gravi & controverſa diſputant. Ii nimirum quęcumque poſſunt argumenta ſeu ex Scripturis ſeu ex Traditione decerpunt ut opinionem ſuę contrariam excutiant : atque id ut in rebus fidei, ſic & in conſuetudinibus locum habere poteſt; cum eas vulgo admitti oporteat quæ Scripturę magis conſonant, alias rejici. Ut ergo de vero Cypriani ejuſque ſequacium ſenſu judicetur, non tam attendi debent eorum ratiocinia, quam praxis & agendi ratio: atqui Cypriani ejuſque aſseclarum praxis, multo plus conſuetudinem meram exprimit, quam fidei dogma, ut ſuadent probationes noſtrę; ergo.

Inſt. 2. Ille opinionem ſuam in Scriptura diſerte & formaliter contineri cenſet, qui oppoſitam Stephani traducit in errorem, & quidem revelationi contrarium : atqui Cyprianus ∴ Sic enim ibidem loquitur : *Fruſtra quidam, qui ratione vincuntur, conſuetudinem nobis opponunt, quaſi conſuetudo major ſit veritate, aut non id ſit in ſpiritualibus ſequendum, quod in melius fuerit a Spiritu ſancto revelatum. Ignoſci enim poteſt ſimpliciter erranti* ∴ *poſt inſpirationem vero & revelationem factam, qui in eo quod erraverat, perſeverat prudens & ſciens, ſine venia ignorantiæ peccat*. & in Epiſt. 74. ad Pompejum : *Conſuetudo ſine veritate, vetuſtas erroris eſt : propter quod relicto errore ſequamur veritatem*.

Reſp. diſt. min. Cyprianus oppoſitam ſuę Stephani opinionem traducit in errorem contrarium revelationi latius ſumptę, C. ſumptę ſtrictiori eo ſenſu quo nunc accipitur a Theologis, ſubd. traducit per illationem & arguitive, ut ajunt, C. formaliter, N. Itaque latius hic ſumitur revelationis nomen a S. Doctore, nimirum pro inſtinctu quo Deus, qui cujuſque veritatis fons eſt, ignotam antea veritatem ſervis ſuis detegit; atque hinc forte eſt quod inſpirationem conjungit revelationi, ſed non loquitur de revelatione ſtricte ſumpta. Quę enim nova hujus generis revelatio Cypriano facta fuerat, ut jam non eadem foret, quę prius, *ignorantiæ venia*. Si cui tamen videbitur S. Doctorem nomine revelatio-

nis

nis eo uſum eſse ſenſu, quo nunc utimur, redeat is ad primam ſolutionem; quia tunc redit eadem difficultas aliis terminis expreſsa.

Inſt. 3. Quæſtio a qua pendet origo fidei, & ſpes æternæ ſalutis, debuit eſse ſtricte revelata: atqui ex quæſtione de valore Baptiſmatis hæreticorum pendebat *origo fidei*, juxta S. Martyrem. Sic ille in citata ad Jubajanum Epiſtola: *Neque enim parva res hæreticis & modica conceditur, quando a nobis Baptiſma eorum in acceptum refertur; cum inde incipiat omnis fidei origo, & ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſſio.*

Reſp. neg. min. de ſolo enim Baptiſmate ait S. Doctor, quod inde incipiat origo vitæ æternæ, non autem de ſua circa quæſtionem hanc controverſia. Alioqui enim quomodo unicuique ſuorum permiſiſset id facere quod ſibi æquius videretur?

Sunt qui exiſtiment eam fortaſſis fuiſse Rebaptizantium opinionem, ut valeret vel non valeret hæreticorum Baptiſma pro diverſitate locorum; ita ut valeret quidem ubi admittebatur ab Epiſcopis, non valeret vero ubi reprobabatur. Quo ferme modo ſenſit Morinus ratas vel non ratas fuiſse ordinationes ab hæreticis factas, prout hic vel illic fiebant. Ita ſed modeſte poſt Jueninum, Auctor Opuſculi *de diſſidio inter S. Stephanum*, &c. cujus conjectura ſi cui ſapit, addat is oportet, rem non adeo certam viſam fuiſse Afris Præſulibus, ut non mallent iterari Baptiſma ab hæreticis collatum. *Pag.* 58.

Objic. 2. Conſtat ex dictis Stephanum Afris & Aſiaticis cenſuram intentaſse, niſi reſipiſcerent: atqui vir ſanctus & prudens non eo uſque progreſsus eſset propter rem quæ ſolius fuiſset conſuetudinis; cum conſuetudines liberæ ſint; ergo.

Reſp. 1. neg. min. ſi enim Eliberitani Patres, eos quaſi novæ hæreſis artifices exceperint, qui diem Pentecoſtes poſt Paſcha celebrabant non quinquageſima die, ſed quadrageſima: ſi a temporibus Nicænæ Synodi ſemper hæreticis annumerati ſint quartodecimani, qui luna 14. Martii in quamcumque incidiſset diem, Paſcha cum Judæis celebrabant, potuit ſane Summus Pontifex conſuetudinem novam, totique ignotam antiquitati, adhibitis etiam cenſuris proſcribere.

Reſp. 2. neg. min. ut de falſo ſupponente. Supponit enim id quod Cyprianus ad diſciplinam ſolam pertinere judicabat, ad diſciplinam quoque revocatum fuiſse a Stephano: id autem gratis fingitur, imo contrarium ſupponi debet: 1. quia explorati juris eſt non eſse culpandum erroris Pontificem præſertim Romanum, ſine gravibus cauſis, & multo minus in materia haud difficili: atqui quod rebaptizationis neceſſitas ſpectet ad dogma, res eſt adeo facilis, ut mirum ſit quemquam hic ſaltem diſputationis initio, aberraſse. Aliunde vero nihil eſt quod Stephanum hic tantiſper ſuſpectum faciat; 2. quia idem demonſtrat vivax Stephani contra Cyprianum agendi ratio, vir enim ſanctus & prudens, ſi de ſola conſuetudine actum crederet, diſſimularet ad tempus, ut ſenſim animos ad ſaniorem diſciplinam revocaret, prout in negotio Quartodecimanorum contigit: porro illico exarſit Stephanus; ergo ſenſit litem de fide moveri, non de diſciplina; 3. quia ex Vincentio Lirinenſi Stephanus *divinum Canonem* vindicavit, *fidei devotione* reſtitit errori, & id quod a Patribus acceperat, tranſmiſit ad filios: atqui ii ſunt quæſtionis ad fidem.

fidem ſpectantis characteres. Neque vero Eccleſia Romana rebaptizationis negotium a Stephano accepit ut rem diſciplinæ; cum illud tanquam litem fidei propriam definierit; ergo.

At, inquies, ſi res ita ſit, Cyprianus in materia fidei Stephano reluctatus eſt: qua ergo via a formali errore vindicari poteſt.

Reſp. poſſe duplici via: 1. quia etſi reſtiterit in materia fidei, ſolum credidit ſe in materia diſciplinæ reſiſtere; 2. quia paratus erat obtemperare, *ſi quod de hac re tranſmarinum vel univerſale Concilium factum eſſet: nondum autem factum erat, quia conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem*, ait Auguſtinus Lib. 2. de Bapt. num. 14. Jam quæritur quid ſit Concilium illud, vel tranſmarinum, cui, præſagiente Auguſtino, ceſſiſſet Cyprianus, vel plenarium, ſeu univerſale, cujus auctoritate, teſte toties eodem Auguſtino, lis illa compreſſa fuit.

Sunt qui in citatis Auguſtini verbis particulam *vel*, pro vocula *&* poſitam eſſe, ac proin non disjunctivum, ſed conjunctivum ſenſum efficere contendant, ut alibi pluries. Sed male: quia conſtat particulam *vel*, in obvio & naturali ſenſu disjunctionem ſonare; ergo cum voces in obvio ſenſu accipi debeant, niſi quid obſtet, ut certe nihil obſtat in præſenti textu, citata particula disjunctivè intelligi debet. Sit itaque

CONCLUSIO V. Tranſmarinum Concilium, cui, ominante Auguſtino, ceſſiſſet Cyprianus, eſt, juxta eumdem Auguſtinum, ipſum Romani Pontificis Concilium, in quo res fidei agitari & definiri conſueverant. Ita Auctor Operis inſcripti, *Diſſertation Theologique ſur la celèbre diſpute entre le Pape S. Etienne*, &c. Pariſiis, vel potius Bleſis, an. 1725.

Prob. ut apud Auguſtinum tranſmarini Concilii nomine intelligatur ipſum Romani Pontificis tribunal, tria ſufficiunt, 1. ut Auguſtini ævo negotia fidei Romæ definiri ſolerent in Concilio Epiſcoporum; 2. ut in Africa, ubi ſcribebat Auguſtinus, Concilium illud tranſmarini Concilii vel Judicii vocabulo deſignaretur; 3. denique ut nulla alia Synodus etiam tranſmarina ſimpliciter exprimeretur nomine Concilii vel Judicii tranſmarini: atqui hæc tria conſtant.

Et quidem 1. Auguſtini tempore pene omnia fidei negotia ad Apoſtolicam Sedem delata, in Concilio Epiſcoporum Italiæ, qui, ut ita loquar, Papæ Senatum conſtituebant, dijudicata fuiſſe, nemo niſi Eccleſiaſticæ hiſtoriæ omnino rudis pernegaverit. Neque vero id inficiantur adverſarii, ſed e contra, ut videre eſt apud Gallicum Auctorem Diſſertationis *de facto Honorii*.

2. Nec minus certum eſt Romanam hanc Synodum tranſmarini Concilii ſeu Judicii nomine in Africa indicari conſueviſſe. Patet id 1. ex Canone 22. Synodi Milevitani*, ubi ad coercendos frequentiorum appellationum abuſus, ſic ſtatuunt Patres: *Ad tranſmarina autem* Concilia *qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur*: hic enim tranſmarini Concilii nomine ipſum Papæ tribunal intelligitur; cum Afri Clerici nuſquam tunc ad aliud quam Papæ tribunal appellaverint. Hinc Balſamon ſimilem citato Canoni Canonem explicans; *Sin autem*, inquit, *eorum quoque ad quos* quis *appellavit*, *ſententia ei diſpliceat, non debet ad tranſmarinas Synodos appellare, quæ Romæ ſcilicet fiunt*: ubi

* *Ann.* 416.

ubi tranſmarinæ Synodi, & Synodi quæ Romæ fiunt, promiſcue ſumuntur. Hinc quoque cum Gratianus citato Canoni 22. hanc alligaſset Gloſsam, *Niſi forte ad Romanam Sedem appellaverint*, redarguerunt eum & Bellarminus & Van-Eſpen: *Quaſi* vero, ait iſte, *Africani trans mare appellantes, alio quam ad Romanum Pontificem appellare conſueviſſent*. P. 2. de Cenſ. tit. XI. c. XI.

Idem patet ex Auguſtino pluribus in locis. Sic ille Lib. 3. contra n. 8. Creſconium c. 13. *Factum eſt pro Cæciliano poſterius judicium tranſmarinum*: atqui hic per judicium tranſmarinum ſimpliciter & ſine addito prolatum, nihil intelligitur aliud quam judicium Apoſtolicæ Sedis a Melchiade apud Auguſtinum Miltiade prolatum; prout ipſe ſibi interpres eſt Auguſtinus ibid. cap. 40. n. 44. his verbis: *Cæcilianus primo apud Carthaginem judicio Secundi Tigiſitani damnatus eſt abſens, ſecundo judicio Miltiadis Romani abſolutus eſt præſens*, & Epiſt. 162. *Elegerunt* Donatiſtæ, ait S. Doctor, *agere cauſam cum Cæciliano apud Eccleſias tranſmarinas*: atqui vaga hæc & indefinita vox, nihil aliud exprimit, quam tribunal Romani Pontificis, & Epiſcoporum eidem aſſidentium; ut probant verba quæ proxime ſequuntur: *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe*: ergo ſtat tranſmarinum judicium in ore Auguſtini, nihil eſse aliud quam ipſum Romani Pontificis, vicinorum Epiſcoporum ſuffragio muniti, tribunal: unde etſi reſpectu Africæ tranſmarinum erat Arelatenſe Concilium, nuſquam tamen illud Auguſtinus alio deſignat nomine, quam *judicii Epiſcopalis*, aut *judicii Arelatenſis*: ergo iterum judicium cui ceſsurum fuiſse Cyprianum credidit Auguſtinus, fuit ipſum Sedis Apoſtolicæ ſolemniter cum Synodo ſua definientis tribunal.

Objic. 1. Non potuit Auguſtinus præſumere Cyprianum ei Concilio obtemperaturum fuiſse, cui ſciebat eumdem acriter reſtitiſse: atqui ſciebat apprime Auguſtinus Cyprianum definitioni a Stephano Papa Conciliariter emiſsę reſtitiſse.

Reſp. neg. min. noverat equidem Auguſtinus Cyprianum reſtitiſse Stephano, ſed ut privato Doctori, qui ſententiam ſuam nulla prehabita Synodo aperuerat. Et vero quomodo Synodum congregaſset Stephanus, qui mala Africani Concilii deciſione commotus, vix paſsus eſt miſsos ad ſe legatos Romę commorari? Sed etſi Synodum coegiſset Stephanus, pene certo conſtaret eam & Cypriano, qui nullibi de ea loquitur, incognitam fuiſse, & pręſertim Auguſtino cujus & quidem ſolius in pręſenti quęſtione hypotheſim ſequimur. Unde ſtat aſsertio noſtra; ſeu Stephanus e Capite Concilii pronuntiaverit, prout utcumque indicat Vincentius Lirinenſis, dum ſcribit Stephanum novitati reſtitiſse *cum ceteris collegis ſuis*; ſeu reipſa nonniſi ut privatus majoris Sedis Epiſcopus Cyprianum redarguerit; ut Auguſtino viſum eſt.

Ceterum minor hac in parte videtur auctoritas Vincentii Lirinenſis, quam Auguſtini, qui & Cypriani temporibus vicinior ſcripſit, & litem hanc a capite ad calcem expendere coactus eſt. Quamquam citata Vincentii verba intelligi poſsunt non de Synodo Romę habita, ſed de judicio quod ſinguli ſuis in Diœceſibus contra Africanorum definitionem ferebant Epiſcopi, prout eam quiſque reſciebat; hęc porro judicia Vincentio Lirinenſi, utpote Gallo, longe notiora eſse debuerunt, quam Cypriano, vel Auguſtino.

Objic. 2. Nihil eſt in Auguſtini textu cui innitimur, unde colligi poſſit Cyprianum tranſmarino Concilio fuiſse pariturum. En S. Doctoris verba: *Hac atteſtatione*, ſuæ ſcilicet in Africanum Concilium, quod rebaptizationem præceperat, reverentiæ, *ſatis oſtendit* Cyprianus, *ſe multo magis fuiſſe commemoratum, ſi quod de hac re tranſmarinum, vel univerſale Concilium factum eſſet*: atqui aliud eſt commemorare Concilium, aliud eidem obtemperare.

Reſp. ad 1. neg. ant. ad 2. diſt. min. aliud eſt commemorare, aliud obtemperare, aliud, inquam, ſi verba ſumantur grammaticaliter, C. ſi ſumantur relative ad textum in quo jacent, N. Porro vox, *commemorare*, nihil aliud in Auguſtini textu quam commemorationem ſanctæ obedientiæ conjunctam ſignificare poteſt. Loquitur enim S. Doctor de futuris Cypriani diſpoſitionibus tam erga *tranſmarinum Concilium*, quam erga *Concilium univerſale*: atqui dubio procul credidit Auguſtinus Cyprianum ſic affectum fuiſſe, ut non ſimpliciter commemoraret Concilium univerſale, ſed ut illud obediendo commemoraret; prout commemorabat Agrippini Concilium, eidem enixe obtemperando; ergo.

Ceterum vox *commemorare*, latius plerumque ſumitur, quam pro ſimplici rei memoria: ſic juxta Eccleſiæ ſtylum, *commemorare* Sanctos, idem eſt ac Sanctos venerari. Sic in jure *actus commemorabilis*, idem eſt ac inſtrumentum authenticum, & cui, ut pote fidem facienti inhærendum eſt. Quidni ergo Auguſtinus *commemorandi* vocabulum, iis ſenſibus licet paulo minus obviis uſurpaverit?

Hac de re qui plura voluerint, conſulant Gallicam, quam ſupra citavimus Diſsertationem. Nobis nunc expendendum, quæ plenaria ſit illa Synodus, in qua rebaptizationis litem contra Cypriani placitum terminatam eſse toties inculcat Auguſtinus. Utique magno Theologos labore levaſset S. Doctor, ſi vel ſemel in Operibus ſuis eam proprio nomine deſignaſset: quoniam vero id non fecit, divinat hic unuſquiſque ut poteſt. E divinantibus porro alii veritatem propius attigiſse videntur, alii multo plus ab ea receſſiſse. In hoc poſtremo ordine ſunt, qui plenariam Auguſtini Synodum crediderunt vel eſse Alexandrinam quæ an. 362. habita eſt ſub Athanaſio, vel Conſtantinopolitanam I. quæ ſub Damaſo an. 381. celebrata fuit, vel Capuanam anni 389. vel demum Bagajenſem anni 304. hæ nimirum opiniones breviori iſta ratiocinatione ſuſdeque convelluntur: Synodus plenaria, quam toties cecinit Auguſtinus, ante ipſius nativitatem convocata fuit: atqui nulla ex quatuor modo recenſitis Synodis ante Auguſtini nativitatem habita fuit. Minor patet, quia ex omnium confeſso natus eſt Auguſtinus an. 355. vel ut tardiſſime, an. 357. major non minus evidens eſt: ſic enim loquitur S. Doctor Lib. 2. de Bapt. c. 9. *Poſtea tamen dum inter multos ex utraque parte tractatur & quæritur* veritas, *non ſolum inventa eſt, ſed etiam ad plenarii* * An. 258. *Concilii auctoritatem, roburque perducta; poſt Cypriani quidem paſſionem**, *ſed antequam nos nati eſſemus.*

Neque minus aberrant a ſcopo, qui plenariam hanc Synodum volunt eſse Sardicenſem: 1. quia hæc, tametſi plenaria dici poteſt, & ut pote an. 347. coacta, ortum præceſſit Auguſtini, nihil tamen ſanxit quod Rebaptizantium cauſam attingat; 2. quia S. Doctor non videtur

Sardi-

Sardicenſem aliam cognoviſse Synodum, quam Conciliabulum Sardicenſe, celebratum ab Arianis, quo tempore Catholicum aliud Sardis agebatur Concilium. *Diſce*, ait indefinite Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium, c. 34 *diſce quod neſcis, Sardicenſe Concilium Arianorum fuit*, &c.

Supereſt ergo ut ventilata hęc Synodus, vel Nicęna ſit anni 325. vel Arelatenſis I. an. 314. Pro Arelatenſi ſtant Sambovius, Sirmondus, Illuſt. de Marca, doctiſs. Albaſpineus Epiſcopus Aurelianenſis, & tam conviciorum quam rationum pondere Launojus. Pro Nicęna pugnant Bellarminus, & acer Launoi profligator Joannes Nicolai e familia Prędicatorum. Huic adhęſit ejuſdem Ordinis Nat. Alexander, adhęſit & Fraſsen, cum Juenino, tametſi is Launoi ſententiam non omni probabilitate vacare credidit. Anceps ubi pedem in tenebroſo ac lubrico gradu figeret Tournelyus, partis utriuſque momenta propoſuit, & confutavit. Idem pene pręſtiterat Tillemontius tom. 4. nota 44. in Cyprianum. Quid ſentiam, ſi quid ſentire licet, paucis indicabo; ſit

CONCLUSIO VI. Paulo probabilius videtur, Nicęnam Synodum, eam eſse quę Auguſtino litem rebaptizationis diremiſse viſa eſt.

Prob. 1. Synodus quæ rebaptizationis litem Auguſtino diremiſſe viſa eſt, & Auguſtini nativitatem præceſſit, & vere fuit œcumenica, & demum aliud circa rebaptizationem ſtatuit, quam ſtatuerant Carthaginenſia Agrippini & Cypriani Concilia: atqui tria hæc Nicænæ Synodo & quidem ſoli conveniunt. Minor patet, quia nulla ante Auguſtini ortum fingi poteſt œcumenica Synodus, quæ Rebaptizantium ſyſtema ſubverterit, præter Nicænam; quæ cum, teſte S. Hieronymo in Dialogo adverſus Luciferianos *omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſatenſis diſcipulis*, qui Baptiſmi formam adulterabant, lethalem Carthaginenſibus Cypriani Conciliis ictum impegit. Itaque prob. maj. & quidem pro ſecunda parte, in qua ſtat tota difficultas.

Ea Synodus vere & ſtricte fuit œcumenica juxta Auguſtinum, quæ ab eodem Auguſtino vocatur plenarium totius Orbis Concilium, concordiſſima totius Eccleſiæ auctoritas, Concilium cunctarum gentium; hæc enim nomina nulli privatæ Synodo accommodari poſſunt: atqui Synodus in qua rebaptizationis quæſtio definita eſt, vocatur ab Auguſtino *plenarium totius Orbis Concilium*, Lib. 1. de Bapt. c. 7. *concordiſſima totius Eccleſiæ auctoritas*, ibid. Lib. 2. c. 4. ac denique *Concilium cunctarum gentium*, ibid. Lib. 5. c. 17. ergo.

Prob. 2. vel plenarium Auguſtini Concilium fuit ipſa Nicęna Synodus, vel Synodus Arelatenſis; inter utramque enim opinionem fieri debere fatentur nunc eruditi omnes: atqui Synodus Arelatenſis nec in rei veritate, nec, quod hic præcipuum eſt, in Auguſtini ſenſu, plenarium Auguſtini Concilium eſſe poteſt. Non in rei veritate, tum quia Synodus Arelatenſis nullibi uſquam generalibus Conciliis annumerata fuiſſe legitur; tum quia Synodus cui nec præfuit Romanus Pontifex, nec ulli interfuere quam Occidentales Epiſcopi, iique haud multi numero, non poteſt haberi pro œcumenica: talis porro fuit Synodus prima Arelatenſis. Non ei præfuit Romanus Pontifex, ut patet ex Synodica ejuſdem Concilii ad Silveſtrum Epiſtola: ubi ſic loquuntur Patres: *Utinam, Frater dilectiſſime, ad hoc tantum ſpectaculum intereſſe tanti feciſſes*: . : *te pariter*

E 2 *nobiſ-*

Digitized by Google

nobiſcum judicante, cœtus noſter majore lætitia exultaſſet. Pauci quoque ei interfuerunt, iique ſolum Latini Præſules; cum, teſte Valeſio nonniſi quadraginta quatuor, ſeu per ſeipſos, ſeu per legatos Arelatum convenerint; ergo ſtat primo Synodum Arelatenſem in rei veritate non fuiſſe œcumenicam.

Sed neque, quod hic capitale eſt, eadem Synodus in mente Auguſtini fuit œcumenica, vereque & ſimpliciter plenaria. Qui enim Arelatenſem Synodum a plenario univerſæ Eccleſiæ Concilio diſtinguit, ille eamdem Synodum non habuit pro œcumenica & vere plenaria: atqui S. Aug. Arelatenſem Synodum diſtinguit a plenario univerſæ Eccleſiæ Concilio. Prob. min. ex textu Auguſtini, cui præcipue innititur Launojus: ſic habet Sanctus Doctor Epiſt. 43. alias 162. *Ecce putemus illos Epiſcopos qui Romæ* ſub Melchiade *judicarunt*, & Cæcilianum abſolverunt, *non bonos judices fuiſſe, reſtabat adhuc plenarium univerſæ Eccleſiæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſit agitari; ut ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur. Quod utrum fecerint, probent: nos enim non factum eſſe facile probamus, ex eo quod totus Orbis non eis communicat: aut ſi factum eſt, etiam ibi ſunt victi, quod ipſa eorum ſeparatio manifeſtat. Sed tamen quid poſtea fecerint, Imperatoris* Conſtantini *litteris ſufficientiſſime oſtenditur. Judices enim Eccleſiaſticos tantæ auctoritatis Epiſcopos, quorum judicio & Cæciliani innocentia, & eorum improbitas declarata eſt, non apud alios collegas, ſed apud Imperatorem accuſare auſi ſunt, quod male judicarint. Dedit ille aliud Arelatenſe judicium aliorum Epiſcoporum, non quia jam neceſſe erat, ſed eorum perverſitatibus cedens*. Unde ſic: Non dubitabat Auguſtinus, quin Donatiſtæ in eo quod ſpectabat ad Cęcilianum, judicati fuiſſent in Arelatenſi Concilio, a cujus judicio ad Conſtantinum appellaverunt, ut notat S. Doctor Epiſt. 53. n. 5. atqui dubitabat Auguſtinus an iidem Donatiſtę a plenario Concilio judicati eſſent; vel potius certus erat cauſam Cęciliani nunquam in plenario Concilio agitatam fuiſſe. Hoc enim ſonant hęc S. Doctoris verba: *Nos enim non factum eſſe facile probamus*; ergo S. Auguſtinus Arelatenſe judicium non habebat pro generali totius Eccleſiæ judicio.

Confirm. Nullibi dixit Auguſtinus Donatiſtas a Concilio œcumenico, in eo quod ad Cęcilianum pertinet, damnatos fuiſſe: atqui hoc indubie & pluries dixiſſet, ſi eos Arelati damnatos reſciens, Arelatenſem Synodum pro vere œcumenica habuiſſet; ergo Auguſtinus Arelatenſe Concilium non habuit pro œcumenico: hinc illud ad ſummum privatę Melchiadis Synodo ęquiparat his verbis: *Dedit ille*, Imperator, *aliud Arelatenſe judicium*, non eorumdem (qui tamen generali Concilio, ſaltem plerique denuo interfuiſſent) ſed *aliorum Epiſcoporum*.

Confirm. 2. Non aliunde probat Auguſtinus Melchiadis judicium in gratiam Cęciliani, a nulla plenaria Synodo reciſſum fuiſſe, quam *ex eo quod totus Orbis non communicaret* cum Donatiſtis: atqui ſi S. Doctor Arelatenſem Synodum habuiſſet pro vere plenaria, jam multo prȩſentius ex ejus judicio deprompſiſset argumentum contra Donatiſtas, quam ex denegata ipſis Eccleſiaſtica communione; ergo.

Prob. 3. Synodus plenaria, quę juxta Auguſtinum, litem rebaptizationis finivit, talis erat ut ei dubio procul ceſsurus fuiſset Cyprianus: atqui

Digitized by Google

atqui nihil erat unde colligere poſſet Auguſtinus, Cyprianum Arelatenſi judicio ceſſurum fuiſſe. An enim ſerio credere potuit S. Doctor, Synodum ex 40. imo ex centum Occidentis Præſulibus conſtantem, majoris apud Cyprianum momenti futuram fuiſſe, quam tot & adeo numeroſa Africæ & Aſiæ minoris Concilia, quæ rebaptizationis neceſſitatem ſanxerant? Res profecto fidem ſuperat, & eo ſuperat magis, quod dubitari poſſit an uſquam cognoverit Auguſtinus Cypriani opinionem ab Arelatenſi Synodo proſcriptam fuiſſe. Nullibi quippe citat S. Doctor Arelatenſis Concilii Acta; nullibi octavum ejus Canonem, quo reprobata eſt Rebaptizantium opinio, indicat; nullibi demum, ut notat Tillemontius, quidquam hujus Concilii excribit, niſi quod a Conſtantini litteris potuerat decerpere; ergo probabile eſt Canonem Arelate adverſus Rebaptizantes conditum, plane ignotum fuiſſe Auguſtino: qui ergo credere potuit obtemperaturum ei fuiſſe S. Cyprianum?

Prob. 4. ex Athanaſio in Epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ, per Nicænam Synodum *non Ariana ſolum, ſed & reliquæ deſtructæ ſunt hæreſes;* ſeu *hæreſes omnes*, ut loquitur idem in Epiſt. ad Africanos: atqui Synodus quæ hæreſes omnes deſtruxit, Donatiſtarum hæreſim, quæ tunc longe lateque graſſabatur in Africa, deſtruere debuit; ergo.

Objic. 1. Concilium plenarium de quo loquitur Auguſtinus, rebaptizationis litem finivit, *cunctis remotis dubitationibus, ac diſcuſſis ambagibus*, uſque *ad luculentam illuſtrationem*: atqui a ſenſato nemine dici poteſt litem rebaptizationis in Synodo Nicæna definitam eſſe cunctis remotis dubitationibus, &c. Si enim rebaptizationis quæſtio tam perſpicue, tam evidenter in Synodo Nicæna definita fuiſſet, hanc certe definitionem perſpexiſſent ſaltem Græcorum Patrum oculatiſſimi: atqui non perſpexere tamen; cum rebaptizationis opinionem tenere perrexerint Baſilius, Cyrillus Jeroſolymitanus, & forte, qui Concilio interfuerat Athanaſius ipſe. Et vero Epiphanius in expoſitione fidei Catholicæ diſerte affirmat, *aliquos eſſe, qui præter Eccleſiæ conſuetudinem ac citra Concilii generalis Decretum, eos qui ab Arianis ad ſuas partes tranſeunt, iterum baptizare nihil verentur: cum,* inquit, *nondum ea res univerſalis Synodi judicio deciſa ſit;* ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ea enim Synodus nullum reliquit dubitationi locum, quæ ita rejecit Baptiſmum aliena forma traditum ab hæreticis, ut ſimul admiſerit Baptiſmum ab his collatum hæreticis, qui conſueta Eccleſiæ forma utebantur; quæ enim hujus diſcretionis ratio, niſi quod exiſtimaverint Patres, poſterius Baptiſma ratum eſſe, prius vero irritum? atqui Nicæna Synodus Can. 18. Paulianiſtarum Baptiſma rejecit, quia peregrina forma traditum; & Can. 8. Novatianorum Baptiſma pro valido habuit, utique quia communi Eccleſiæ forma collatum; ergo Nicæna Synodus nullum reipſa dubitationi locum reliquit. Imo nec dubitationi locum reliquiſset, etiamſi condemnatio erroris Rebaptizantium nonniſi per conſecutionem a citatis Canonibus colligeretur; quia conſecutio hæc tam aperta eſt, ut ſemotis præjudiciis, quibus Græci quidam Patres tenebantur, nemo ſit cui hæc ardua videri poſſit & difficilis.

Adde quod perierint multi priorum Conciliorum Canones; ex his vero aliquis eſse potuerit, quo res explicite magis definita fuerit, quam iis qui hodie ſuperſunt. Certe inter octoginta Canones, quos ex

Fraſſen p. 106. Arabico exemplari latine translatos edi curavere Alphonſus Piſanus, & Franciſcus Turrianus, quoſque genuinos eſſe contendit Abraham Echelenſis Maronita, unus eſt qui diſerte hæreticos rebaptizari vetat. Jam verò periiſſe quoſdam Nicæni ipſius Concilii Canones hinc probant aliqui, quod teſte Hieronymo Synodus Nicæna Librum Judith inter Canonicas Scripturas recenſuerit; quod teſte itidem Ambroſio in Epiſt. ad Vercellenſem Eccleſiam, eadem Synodus *Bigamorum ordinationem* interdixerit; quod demum teſte Auguſtino Epiſt. 113. alias 110. prohibuerit illa eadem Synodus, ne ſimul in una civitate ſederent Epiſcopi duo. En S. Doctoris verba: *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat*. Quibus ex verbis conjici poſſit, Auguſtinum qui plenariæ ſuæ Synodi Canonem nullibi recitat, nuſquam eum legiſſe, ſed didiciſſe rumore publico, ſed tam certo, ut ne Donatiſtæ quidem refragari auſi ſint. Ut ut eſt, conſtat jam non extare Canones Nicænos quibus vel Liber Judith ſacris Libris accenſeatur, vel ordinatio Bigamorum, aut gemini ſimul in eadem urbe Epiſcopi conſeſſus prohibeatur.

Ad 2. Reſp. 1. retorqueo argumentum. Si rebaptizationis quæſtio a Nicænis Patribus definita non ſit, impoſſibile eſt ut hanc definitionem Nicænæ Synodo attribuerint Patrum eruditiſſimi: atqui conſtat nihilominus Patrum eruditiſſimos definitionem de qua loquimur, attribuiſſe Nicænæ Synodo. Ita qui plus ceteris legerat S. Hieronymus, his Dialogi contra Luciferianos verbis: *Synodus Nicæna .:. omnes hæreticos ſuſcepit, exceptis Pauli Samoſateni diſcipulis; &, quod his majus eſt, Epiſcopo Novatianorum, ſi converſus fuerit, Presbyterii gradum ſervat*. Ita qui Conciliorum Decretis jugiter attenti, vim eorum exploratam habuere Romani Pontifices, Innocentius I. Ep. 22. ad Epiſcopos Macedoniæ c. 5. & Siricius in Ep. Decretali ad Himerium Tarraconenſem c. 1. ubi ſic: *Nos cum Novatianis aliiſque hæreticis*, Arianos, *ſicut eſt in Synodo* Nicæna *conſtitutum, per invocationem ſolam ſeptiformis Spiritus, Epiſcopalis manus impoſitione, Catholicorum conventui ſociamus*.

Reſp. 2. neg. maj. ſi enim ex iis qui Tridentino Concilio interfuerant, alii aliter ejus Canones interpretati ſint, & in varias traxerint partes, quid mirum ſi Patres Græci non omnes ſed pauci, totam Nicænæ definitionis vim non intellexerint. Certe plus nocet adverſariis Baſilius quam proſit. Is enim contra expreſſam Niceæ ſanctionem Novatianos rebaptizari voluit; unde neceſſum eſt ut vel Nicænum Canonem ignoraverit prorſus, vel ut in eo œconomiam meram, non autem dogmaticum Decretum contineri falſo crediderit?

Quod ad Epiphanium ſpectat, dicit quidem ille a nulla Synodo definitum eſſe, ut rebaptizari debeant Ariani; unde ſerio redarguit Catholicos quoſdam, qui Arianos *præter Eccleſiæ conſuetudinem iterum baptizare nihil verebantur;* ſed non dicit a nulla Synodo definitum eſſe ut hæretici rebaptizari non debeant. Et vero ſi id dixiſſet Epiphanius, non minus adverſariis quam nobis & Auguſtino ipſi contradiceret. Conſtat enim ante Auguſtini nativitatem prohibitum fuiſſe a plenaria Synodo, quæcumque tandem ea ſit, ne rebaptizarentur hæretici: atqui hoc expreſſe negat

Epi-

Digitized by Google

Epiphanius, prout exponitur a Launojo; ergo Epiphanius tam Launojo adverſatur, quam nobis.

Reponet forte Launojus Patri Græco, qualis fuit Epiphanius, ignotos non fuiſſe Nicææ Canones. Reponam ego nec eidem ignotos eſſe potuiſſe Canones Sardicenſis Concilii, ſi fuerit illud plenarium totius Orbis Chriſtiani, cunctarumque gentium Concilium, ut toties canit Auguſtinus.

Objic. 2. Ut Arelatenſis I. Synodus, ſit plenarium Auguſtini Concilium, duo ſufficiunt, 1. ut ea Synodus litem rebaptizationis multo expreſſius & evidentius definierit, quam Nicænum Concilium; 2. ut eadem Synodus vere dici potuerit plenaria a S. Auguſtino: atqui 1. conſtat rebaptizationis litem multo expreſſius Arelati fuiſſe definitam, quam Nicææ; cum illic totidem verbis habeatur; hinc vero nonniſi per conſequentias, & ſatis ægre deducatur; 2. Arelatenſis Synodus ab Auguſtino plenaria dici potuit. Ea enim Synodus vere plenaria dici potuit, ad quam ex omnibus mundi partibus, & ex diverſis ac prope infinitis locis confluxerant Epiſcopi: atqui ad Arelatenſem I. Synodum *ex omnibus mundi partibus*, confluxerunt Epiſcopi, ut ajunt Patres Concilii II. Arelatenſis; atque *ex locis diverſis & prope infinitis*, ut teſtatur Conſtantinus in Epiſt. ad Chreſtum Syracuſanorum Antiſtitem; ergo.

Confirm. quia ut Auguſtinus Arelatenſem Synodum plenariæ vocabulo exprimere potuerit, ſatis eſt ut in Africa, præcipuæ vero apud Auguſtinum, Synodi Provinciales vocentur plenariæ: atqui utrumque certum eſt: 1. enim Patres Concilii III. Carthaginenſis Capuanam Synodum vocant plenariam, capit. 38. 2. Auguſtinus ipſe Bagajenſe Donatiſtarum Concilium, 310. Epiſcopis conſtans, plenarium nuncupat Lib. 2. de Baptiſ. c. 7. & alibi ſæpius; ergo.

Reſp. ad 1. neg. maj. non enim ſufficiunt allegata duo, ſed requiritur inſuper 1. ut Arelatenſem Canonem legerit, aut ſaltem diſtincte cognoverit Auguſtinus; 2. ut Arelatenſem Synodum vocare potuerit, non plenariam ſolum, ſed & plenariam *totius Orbis*, *cunctarum gentium*, & *concordiſſimam totius Eccleſiæ auctoritatem*, cui dubio procul ceſſura eſſent, quotquot in gratiam cauſæ Cypriani collecta fuerant ſive apud Afros, ſive apud Orientales Concilia; hæc enim ſunt dotes plenarii illius Concilii quod contra Donatiſtas urget Auguſtinus: atqui ad minus dubium eſt, an Auguſtinus Arelatenſis Concilii Canonem legerit: aliunde vero conſtat S. Doctorem nullibi Arelatenſem Synodum exhibuiſſe ut plenarium Concilium totius Orbis, cunctarumque gentium, ut paulo ante probavimus; ergo.

Nec nocent quæ objiciuntur in Concilio II. Arelatenſi, & ex Conſtantini Epiſtola: 1. quia fieri potuit ut ex omnibus mundi partibus Arelatum convenerint Epiſcopi, nec tamen plures interfuerint quam quadraginta quatuor, iique omnes pene Gallicani, ut hæc indicant verba, *Ex omnibus mundi partibus*, *præcipue Gallicanis*; 2. quia manifeſtum eſt illud, *ex omnibus mundi partibus*, per emphaſim quamdam, & ad primi Arelatenſis Synodi commendationem dictum eſſe. Unde Arelatenſis I. Concilii Patres in Synodica ſua ad Silveſtrum Epiſtola, ſolum ajunt ſe ex *diverſis Provinciis* veniſſe.

Quod ſpectat ad Epiſtolam Conſtantini, non dicit hæc convocatos fuiſ-

ſe Arelatum Epiſcopos *ex locis prope infinitis*, ut male verterunt aliqui; ſed *ex diverſis compluribus locis*, ut ipſe vertit Sirmondus.

Ad primam confirmationis partem, fateor Provinciales Synodos non raro in Africa plenariarum nomen obtinuiſſe, ſed nego eas ullibi vocari, *plenarias totius Orbis Chriſtiani, cunctarumque gentium Synodos;* quod tamen de plenaria ſua Synodo dicit Auguſtinus.

Ad 2. partem diſt. vocat Auguſtinus Bagajenſe Concilium, Synodum plenariam vocat, inquam, ironice, & quidem cum reſtrictione, C. vocat ſerio & abſolute, N. Alludit itaque Auguſtinus ad id quod dictitabant Donatiſtæ, nimirum factionem ſuam eſſe *totam*, *plenariam*, *chatolicam* & *univerſalem* Chriſti Eccleſiam; quod & merito deridet Sanctus Doctor his contra Creſconium verbis: *Quo igitur ore contra Eccle-*
Lib. 4. c. 58. *ſiam a ſolis ortu uſque ad occaſum promiſſam voce veritatis, & redditam, audet Eccleſiam plenariam dicere partem Donati? cum ipſa non ſit niſi Africæ, illa vero cum tot gentibus ſit & Africa.* Verum nullibi Auguſtinus Donatiſtarum Synodos, quantumcumque generales, ſimpliciter & ſine addito vocat plenarias: hinc quoties de Bagajenſi Concilio loquitur, ait quidem illud plenarium eſſe, ſed plenarium Donatiſtarum. Sic Lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani c. 3. *Per plenarii*, inquit, *Concilii* SUI *ſententiam dixerunt*; & Lib. 4. contra Creſcon. c. 8. *Plenarii Concilii* VESTRI *ore* ∴ *leguntur eſſe damnati;* ergo.

Objic. 3. Concilium in quo finita eſt quæſtio de hæreticorum Baptiſmate, fuit tranſmarinum: atqui ſola Arelatenſis Synodus Afris tranſmarina erat, non Nicæna; ergo.

Reſp. neg. maj. quæ ut ex ſupra dictis apparet, falſo ſupponit, in
Supra p. 64. hoc Auguſtini textu, *Si quod tranſmarinum*, VEL *univerſale Concilium factum eſſet*, particulam *vel* eſſe conjunctivam.

CONCLUSIO VII. Pie quidem præſumi poteſt, Cyprianum ante mortem reſipuiſſe; ſed ſiſtendum intra puræ præſumptionis fines.

Prob. 1. pars. Pie præſumi poteſt id quod præſumpſit Auguſtinus, vir ſummæ & lucidæ charitatis: atqui reſipuiſſe Cyprianum ante mortem pie, unaque dubitanter conjecit Auguſtinus. Sic ille Epiſt. 93. cap. 10. Cyprianum *correxiſſe iſtam* ſuam *ſententiam non invenitur. Non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* Et rurſus Lib. 2. de Bapt. c. 4. *Profecto & uni verum dicenti & demonſtranti poſſet faciliime conſentire tam ſancta anima, tam pacata; & fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus. Neque enim omnia quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memoriæ litteriſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt novimus.*

Prob. 2. pars, quia ſi cui de Cypriani reſipiſcentia conſtare potuerit, maxime Auguſtino, qui & in Africa poſitus erat, & quidquid ad Cyprianum, & Rebaptizantes pertinebat, avida ſagacitate inveſtigavit: atqui tamen Auguſtinus ille in eo quod ad Cypriani correctionem ſpectat, ſemper ſtetit intra dubii & hæſitationis metas. *Non incongruenter exiſtimatur*, inquit, Cyprianum *correxiſſe ſententiam; fortaſſe factum* eſt ut correxerit; ſed tamen *non invenitur; ſed* tamen *neſcimus;* ergo.

Neque certius eſt, quod Baronio placuit, Firmilianum ætate Dionyſii

Alc-

Alexandrini, errorem ſuum abjeciſſe; quia nihil eſt prorſus apud Patres antiquos, vel Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores unde id colligi poſſit; imo cum Sanctus Baſilius, qui Cæſarienſem Eccleſiam rexit, ut & rexerat Firmilianus; Firmiliani de rebaptizatione ſententiam tenuerit, multo certius eſt iſtius opinionem conſtanter in Cappadocia a Firmiliani temporibus perduraſſe.

Obj. 1. Dionyſius Alexandrinus jam ab an. 259. his ad Papam Stephanum reſcripſit verbis: *Scito, Frater, omnes Orientales Eccleſias, quæ antea fuerunt propter errorum perverſitatem nonnulla diſſenſione diſtractæ, ad concordiam denuo eſſe reductas; omnes etiam Eccleſiarum Præſides, qui ubique locorum ſunt, ſummo animorum conſenſu conſpirare; & ob pacem hanc præter omnium expectationem conſtitutam, incredibili lætitia affici; Demetrianum ſcilicet Epiſcopum Antiochiæ . . . Firmilianum denique cum univerſa Cappadocia*: atqui Dionyſius generalem Eccleſiæ concordiam non gratularetur Stephano, niſi una cum Novatiani ſchiſmate extinctus fuiſſet error Rebaptizantium; ergo. *Euſeb. Lib. 7. c. 5.*

Reſp. neg. min. etſi enim Rebaptizantium opinio vetus erat error, quia tamen pro mero diſciplinę puncto habebatur, nulli hinc Orientales inter Epiſcopos nati erant tumultus, nullum ſchiſmatis periculum; ſed quiſque quam mallet tenebat praxim, quaſi de ea ſoli Deo rationem redditurus. Aliud erat de turbulenta Novatianorum ſententia, quæ crudele Epiſcopos inter & Epiſcopos bellum moverat; & cujus perinde finem Stephano gratulari potuit & debuit S. Dionyſius.

Quod autem de ſolo Novatiani conflictus exitu rem habeat Sanctus Doctor, patet 1. quia is nullibi de Rebaptizantium ſententia loquitur tanquam de errore; 2. quia Dionyſium de ſola Novatiani ſchiſmatis extinctione loqui indicant hæc quæ præcedunt Euſebii verba: *Ad hunc, Stephanum, multa de hoc* rebaptizationis *argumento Dionyſius per litteras ſcripſit. In quibus id tandem illi indicat, omnes ubique Eccleſias . . . Novati turbulentam novitatem deteſtantes inter ſe pacem iniiſſe. Sic autem ſcribit: Scito Frater*, &c. quis prima hæc Epiſtolæ verba non ſtatim referat ad ea quæ proxime præcedunt, & quæ de ſola Novatiani jurgii compreſſione loquuntur?

Objic. 2. Sanctus Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium cap. 2. hæc habet: *Majores veſtri, quibus tale teſtimonium perhibuiſtis, quod ab Orientalium propterea communione diſcreti ſunt, quia illi judicium ſuum reſciderunt, quo eis placuerat de iſta Baptiſmi quæſtione Cypriano, atque illi Africano Concilio conſentire oportere, contra Cyprianum fecerunt.* Similia habet Sanctus Doctor cap. 3. unde ſic: Qui reſciderunt judicium quo Cypriano & Africanis Conciliis conſenſerant, illi a ſuo circa rebaptizationem errore reſipuerunt: atqui ex S. Auguſtino primi Rebaptizantes reſciderunt judicium, &c. ergo.

Reſp. neg. min. duplici de cauſa, 1. quia eo loci urget Auguſtinus Creſconium argumento ad hominem, ut ajunt: ex eo nempe quod fatebatur Creſconius, Orientales priorem ſuam de Rebaptizandis hæreticis ſententiam abjeciſſe, colligit S. Doctor ſuum quoque a Donatiſtis errorem abjici debere. An autem factum illud ſic ſe haberet, uti narrabatur a Creſconio, non expendit S. Auguſtinus; 2. quia ex Auguſtini textu ſequitur

ſolum,

ſolum, Orientales errorem ſuum depoſuiſſe circa tempus, quo Donatiſtarum ſchiſma conflari cœpit, ideſt ſub tempus Cæciliani, ſeu anno circiter 312. Porro non hic inquirimus an aliquando tandem reſipuerint Orientales, eos enim temporum lapſu reſipuiſſe conſtat; ſed utrum certo probari poſſit Cyprianum, Firmilianum, alioſque qui Rebaptizantium anteſignati fuerunt, Stephani aut Sixti ævo reſipuiſſe: id autem nec ex Auguſtino, nec ex alio quopiam firmiter evinci poſſe contendimus: atque utinam errando contenderemus.

Objic. 3. Id S. Hieronymi in Dialogo adverſus Luciferianos: *Illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum Cypriano ſtatuerunt, ad antiquam conſuetudinem revoluti, novum emiſere Decretum;* ergo.

Reſp. neg. conſeq. ait quidem Hieronymus Epiſcopos, qui idem ſenſerant cum Cypriano, ab ejus opinione deſuiſſe; quod de iis indubium videtur qui primæ Arelatenſi Synodo interfuerunt; ſed non dicit quo tempore id factum ſit, an ante, an poſt mortem Firmiliani.

Præterea quis majorem hac in re fidem habeat Hieronymo extra Africam verſanti, quam Auguſtino, qui in ipſo controverſiæ loco poſitus, totius litis exordia, progreſſum, exitumque tantis curis indagavit: porro S. Doctor nunquam niſi dubitanter de priorum Rebaptizantium converſione locutus eſt: *Fortaſſe factum eſt*, inquit, *ſed neſcimus.*

PUNCTUM TERTIUM.

De intentione Miniſtri.

INtentio definiri poteſt, Actus liberę voluntatis quidpiam facere ſibi proponentis: unde intentio differt ab attentione: hęc enim eſt actus intellectus ad aliquid ſeſe applicantis; illa vero eſt actus voluntatis, qua quis aliquid efficere intendit.

Plura autem & pluribus modis velle poteſt Miniſter, qui exteriorem Sacramenti ritum facit. Nam 1. velle poteſt ritum hunc non ſerio facere, ſed per irriſionem exterius manifeſtam fingere, ac jocando repræſentare, ut ſolent mimi & hiſtriones; 2. velle poteſt ritum illum ſerio quidem exterius, ſed tamen per internum jocum peragere, adeoque nihil, præter exteriorem cæremoniam, volendo eorum quæ vult Eccleſia; 3. velle poteſt ritum illum tam interius quam exterius ſerio exercere, ſed materialiter tantum, atque ut rem mere naturalem, & qualiter fieri poſſet, ſi nec a Chriſto inſtitutus, nec in Eccleſia uſitatus eſſet; 4. denique velle poteſt eumdem ritum, vel ut cæremoniam quam ipſe ſacram putet, ſivę hanc Sacramentum eſſe credat, & gratiæ productivam, ſive non; vel ut cæremoniam, quam ipſe quidem ſacram non exiſtimet, ſed ſciat pro ſacra haberi in ſocietate Chriſtianorum, & qua talem conficere velit.

Rurſum poteſt quis hæc omnia velle variis modis, puta directe vel reflexe, abſolute vel conditionate, actualiter vel virtualiter, habitualiter vel interpretative, explicite vel implicite, &c. unde multiplex aſſignari ſolet diviſio intentionis, tum ex parte objecti ſeu rei quæ intenditur, tum ex parte modi quo res illa intendi poteſt. Itaque ex parte objecti, quantum ſaltem ad præſentem controverſiam pertinet,

Dividi

Dividi poteſt intentio in mimicam, & ſeriam. Mimica ea eſt, quæ publicam chriſtiani ritus deriſionem annexam habet, ut in hiſtrione qui per ludibrium quempiam baptizat in theatro. Seria ea eſt quæ fit ſine exteriori deriſione; & hæc vel externa eſt, vel interna.

Intentio externa vel eſt ſine interiore dolo, & prava animi diſpoſitione; ut ſi ethnica mulier puerum abluat in nomine Trinitatis, quia audierit bonum id eſſe ad abſtergendas corporis ſordes; aut obſtetrix, ut obſtetricem alteram doceat modum baptizandi, coram ipſa infantem jam baptizatum denuo baptizet in forma conſueta: vel eſt conjuncta interiori dolo, & pravæ mentis diſpoſitioni, ut ſi quis baptizet quidem, ſed ex errore vel ex malitia ſolum intendat ſimulare, fingere, vel irridere. Prima hujus externæ intentionis ſpecies dici poſſet mere naturalis, aut repræſentativa. Secunda vero ſimpliciter externa, eoque ſenſu deinceps ſumemus externæ intentionis nomen.

Intentio interna vel adæquata eſt, cum quis adminiſtrando ritum ſacrum, vult ſaltem implicite quidquid eidem annexum eſt, ut gratiam & characterem; vel inadæquata, cum quis vult quidem ritum ut in ſe vel in tali ſocietate ſacrum, ſed ſive ex errore, ſive ex malitia non vult ejuſdem effectus. Hæ noſtræ diviſiones a ceterorum Theologorum diviſionibus quoad verba magis, quam quoad ſenſum differunt.

Intentio ratione modi dividitur 1. in explicitam, qua quis expreſſe aliquid intendit, puta regenerationem infantis, & ſacri ſignaculi impreſſionem; & implicitam qua quis unum aliquid non in ſe, ſed in alio intendit; ſic characteris impreſſionem intendit, qui etſi non cogitat de charactere, vult tingere puerum, prout in Eccleſia tingi ſolet.

Dividitur 2. in abſolutam, qua quis ſimpliciter & citra limitationem ullam vult aliquid, puta Sacramentum conferre; talis eſt qua quis abſolute dicit, *Ego te baptizo*. Et conditionatam, qua quis vult quidpiam, puta Sacramentum conficere, ſed ſolum ſub certa conditione. Conditio autem vel eſt de præterito, ut *Baptizo te, ſi non es baptizatus*, vel de præſenti, ut *Baptizo te, ſi vivis*, vel de futuro, ut *Baptizo te, ſi ab India in Europam mecum venturus es*.

Dividitur 3. in actualem, virtualem, habitualem, & interpretativam. Intentio actualis eſt præſens ac deliberata rei efficiendæ, v. gr. Sacramenti conficiendi volitio. Hæc intentio diſtinguitur ab attentione, ſed eam præſupponit.

Intentio virtualis eſt rei efficiendæ propoſitum, non actu quidem ſed virtute remanens, propter actuale propoſitum, quod antea habitum eſt, nec per actum contrarium aut incompoſſibilem revocatum fuit vel interruptum. Talis eſt intentio illius, qui cum altare adierit animo conſecrandi, ſic tamen in decurſu divagatur mente, ut conſecrationis formam quaſi mechanice pronuntiet.

Intentio habitualis eſt, juxta aliquos, Intentio actualis non retractata, ſed tamen tam longo interrupta tempore, ut nec formaliter, nec virtualiter perſeveret. Juxta alios vero eſt voluntatis propenſio per actus ſæpe repetitos acquiſita, & ad ſimiles actus impellens, qua quis ſine ulla prorſus deliberatione actuali vel virtuali formam aliquando ſupra materiam pronuntiat.

Inten-

Digitized by Google

Intentio interpretativa, eſt ea voluntatis diſpoſitio, ex qua quis hoc vel illud ultro faceret, ſi attenderet id faciendum eſſe.

Itaque actualem baptizandi intentionem habet, qui actu baptizare vult; virtualem, qui actu baptizare voluit, ſed in ipſo ablutionis actu mentem habet alio avolantem: habitualem, qui ante aliquot dies baptizare voluit, & hodie ſine renovata intentione baptizat; interpretativam, qui ratus abluere ſe infantis ſimulacrum, aquam in verum effundit infantem, quem ſi verum infantem noſſet, ſerio voluiſſet baptizare. An prædicta diviſio ſit univoci in ſua univocata, expendent quibus per otium licuerit.

Dividitur 4. in coactam, errantem, & alteri contrariam. Coacta eſt actus voluntatis, quo quis repugnante animo quidpiam efficere vult, puta Indi filium baptizare, aut contrahere cum ea quam deteſtatur. Errans eſt actus, quo quis exiſtimat ſe circa quempiam facere, id quod circa alium facit, puta ſe baptizare filium Pauli, cum is tamen ſit filius Joannis. Alteri contraria eſt actus, quo quis volens, v. g. facere id quod vera facit Eccleſia, non vult tamen id facere quod Eccleſia Romana facit.

Jam triplex nobis hic obverſatur diſcutienda quæſtio; prima an in Sacramentorum confectione requiratur intentio interna, prout hæc diſtinguitur ab exteriori quacumque; ſecunda, an actualis, prout etiam diſtinguitur a virtuali; tertia, an abſoluta, prout opponitur conditionali. Tria hæc tribus exequemur Paragraphis.

§. I. *An neceſſaria ſit intentio interna.*

Circa præſens Punctum mire dividuntur hęretici & catholici: 1. enim credidit Lutherus, ne eam quidem in Sacramentorum Miniſtro requiri externę intentionis ſpeciem, quę exteriorem jocum excludat; ſic quippe loquitur Lib. de Captivitate Babylonica, cap. de Baptiſmo: *Non dubitem, ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat Baptiſmum, etiamſi impius Miniſter non det in nomine Domini, vere baptizatum eſſe .·.· ſicut legitur exemplum de quodam Mimo per jocum baptizato.* Et articulo inter eos quos Leo X. proſcripſit, duodecimo: *Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolveret; ſi tamen credat ſe eſſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.* Eadem hodiedum eſt Lutheranorum opinio, ut patet ex Theologia polemica Bechmani, part. 3. Loco 12.

Erroris hujus ridiculum ſenſerunt, & a ſe amandare conati ſunt ſubſequi Novatores, ut patet ex his Kemnitii verbis in Canonem II. Seſs. 7. Concilii Trid. *Non hoc vult inſtitutio Baptiſmi ut fiat vulgari aliqua lotio; vel quæ ex profeſſo nihil aliud ſit, quam ridiculus luſus, vel mimica ſubſannatio, vel profanatio inſtitutionis cum recitatione verborum*, &c.

Sed quidquid loquatur Novator, aliique ſectæ ejuſdem, perſpicuum eſt ex ipſorum de juſtificatione ſententia, nihil intereſſe an Miniſter ſerio Sacramenta conferat, an mimice. Nam juxta eos Sacramenta juſtificant, quatenus exhibent animo promiſſiones Chriſti, & fidem excitant in ſuſcipientibus: atqui hoc pręſtare poſſunt, ſeu ſerio, ſeu mimice conferantur. Se enim habent ex Kemnitio, & aliis ejuſdem farinę, ſicut verbum Dei; quod quantumvis ſeu intus ſeu exterius perverſa ſit Miniſtri intentio, non deſinit eſſe verbum Dei, eoſque proin juſtificare qui audiunt

& con-

& conſenſum præbent; ergo, velint, nolint Pſeudoreformati, ex eorum ſyſtemate ſequitur valere Sacramenta ab ebrio etiam, imo & a Pſittaco collata.

2. exiſtimarunt olim, & etiamnum exiſtimant Catholici Theologi complures, ad valorem Sacramenti eam ſufficere intentionem, qua Miniſter ritum hunc quem facit Eccleſia, ſerio & attente peragere vult, tametſi eumdem ritum intus irrideat, vel deteſtetur; nec ex iis quæ facere vult Eccleſia, quidquam aliud facere velit, quam certa verba certam ſupra materiam pronuntiare. Ita præ ceteris Ambroſius Catharinus ex Ordine Prædicatorum, qui primum ut Theologus, dein vero ut Epiſcopus Minorenſis interfuit Synodo Tridentinæ, ac demum ad Archiepiſcopales Campanæ Eccleſiæ infulas aſſumptus eſt a Julio III. ita quoque Alphonſus Salmeron e Societate Jeſu, Pontificius in eadem Tridentina Synodo Theologus; ita & Vincentius Contenſon, Gaſpar Juenin, ad quos noviſſime acceſſit Catharini vindex Hyacinthus Serrius e familia S. Dominici. Non aliam porro fuiſſe Catharini & Salmeronis mentem, quam quæ modo expreſſa eſt, ſolide contra Tournelyum probat Lambertus Gaud, in Avenionenſi Accademia Doctor aggregatus, & ipſe ex Ordine Prædicatorum. *Gaud p.* 18.

Porro nec ipſi inter ſe conſentiunt externæ hujus intentionis defenſores. Alii enim eam ſufficere credunt pro Baptiſmo, quia Baptiſmus nullum in Miniſtro characterem exigit; non autem pro ceteris Sacramentis. Alii eam valere putant pro Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, ſeu per quorum formam exprimitur actum ſacramentalem a Miniſtro exerceri; unde ſequitur externam intentionem in ceteris quidem Sacramentis ſufficere non tamen in Euchariſtia; quia verba iſta: *Hoc eſt Corpus meum*, nullam prorſus exprimunt actionem Miniſtri; ſecus de iſtis, *Ego te baptizo*, *Te confirmo*, &c. Alii externam intentionem in iis ſufficere volunt Sacramentis, in quibus homo eſt tantum agens inſtrumentale, non in iis in quibus eſt principale agens: unde hujus opinionis defenſores matrimonium ſine interna intentione validum eſſe negant, cetera vero Sacramenta abſque eadem valere opinantur. Alii demum externam intentionem generatim & pro quibuslibet Sacramentis ſufficere putant: ſed & hi duas in partes ſcinduntur. Quidam nimirum externam & ſeriam intentionem ubilibet ad confectionem Sacramenti ſatis eſſe contendunt: quidam id præfracte negant, & ſentiunt Miniſtrum, niſi vel in loco ſacro præſens ſit, vel ad Sacramenti confectionem fuerit invitatus, nihil operari; eo ferme modo, quo Judex ratam ſententiam etiam contra mentalem intentionem profert, ſi ſedeat pro tribunali; ſecus, ſi loquatur e loco, ubi judicis perſonam gerere non intelligatur: ita Juenin, Serry, aliique receſſitiores non pauci.

3. nec pauciores nec ignobiliores Theologi ſenſerunt, & hodiedum ſentiunt, internam ad Sacramenta valide conficienda requiri intentionem: ſed & ii inter ſe diviſi ſunt. Alii nempe dubitarunt an non requireretur intentio finis explicita & particularis, ſeu intentio explicita producendi hunc in ſpecie Sacramenti effectum: tales fuerunt ii de quibus loquitur Ebroicenſis Synodus an. 1576. his verbis: *Antea inter doctos ac pios viros dubitatum fuit, an Baptiſma a Calviniſtis adminiſtratum, pro vero credi deberet: quoniam non haberent intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum*. Alii, ut Scotus & Gabriel, particularem illam intentionem

tionem finis rejicientes, generalem, & quidem explicitam intentionem producendi effectum Sacramenti, tanquam neceſſariam poſtularunt. Alii ne hanc quidem poſtremam intentionem, neceſſariam eſſe rati, neceſſariam dixerunt intentionem explicitam conficiendi Sacramenti. Alii demum minime requirentes intentionem explicitam ſeu producendi effectum Sacramenti, ſeu etiam conficiendi Sacramentum, docuerunt neceſſariam ac ſufficientem eſſe intentionem interiorem faciendi quod facit Eccleſia, ſeu intentionem, qua quis externum ritum ſic frequentat, ut nec interius jocari velit, nec ritum hujuſmodi materialiter dumtaxat, & ut rem mere naturalem aut profanam peragere, ſed illum potius formaliter ut ritum Eccleſiæ, vel ut ritum in Eccleſia ſacrum celebrare velit: & hæc multo communior fuit hactenus internæ intentionis defenſorum opinio. His præmiſſis, quę fuſius & expoſita, & probata dabit eximia Lamberti Gaud diſſertatio, ſit

Conclusio I. Ad validitatem Sacramenti non ſufficit intentio exterior jocandi, ſed requiritur vera, quæcumque tandem ea ſit, intentio faciendi id quod facit Eccleſia. Haud tamen requiritur intentio faciendi id quod facit hæc particularis Eccleſia, v. g. Romana, ſed ſufficit intentio faciendi quod facit Eccleſia vera, ubicumque ea ſit. Duæ ſunt partes.

Prob. 1. pars. Ea ad Sacramentorum validitatem requiritur intentio, quam neceſſariam eſſe agnoſcebat tota Chriſti Eccleſia diu ante exortas Lutheri, Calvinique novitates. Neque enim Eccleſia tota, utpote quæ ſit columna veritatis, erronee ſancire poteſt, id eſſe neceſſarium, quod neceſſarium non fuerit. Atqui veram, adeoque haud jocularem faciendi id quod facit Eccleſia, intentionem, ad validitatem Sacramentorum neceſſariam eſſe agnoſcebat tota eadem Chriſti Eccleſia, diu ante exortas Lutheri, Calvinique novitates. Prob. min. 1. ex Concilio Conſtantienſi, quod Seſſione ultima ſub Martino V. præcipit, ut ſuſpectus de hæreſi, inter alia interrogetur, *an credat quod malus Sacerdos, cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, vere conficiat, vere abſolvat, vere baptizet, & vere conferat alia Sacramenta;* 2. ex Inſtructione Armenis data ab Eugenio IV. ubi ſic habetur: *Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione Miniſtri, faciendi quod facit Eccleſia; quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum.* Non ergo novam finxit, ſed tranſmiſſam a majoribus ſectata eſt doctrinam Synodus Tridentina, cum hæc ſanxit Seſſ. 7. Can. 11. *Si quis dixerit in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia, anathema ſit.* Et Seſſ. 14. Can. 9. *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat ſe eſſe abſolutum, aut Sacerdos non ſerio ſed joco abſolvat . . . anathema ſit.*

Prob. 2. ex Apoſt. I. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei:* atqui Miniſtrum Chriſti non agit, & diſpenſatorem myſteriorum ejus, qui mimum agit. Qui enim mimum agit, id unum curat ut intus & exterius Chriſtum, Chriſtique myſteria derideat & ſubſannet: quis porro hujuſmodi deriſorem, pro Chriſti Miniſtro agnoſcere auſit? implicat certe ut ſub ullo reſpectu Miniſter ſit Chriſti, qui diaboli Miniſtrum profitetur.

Con-

Digitized by Google

Confirm. Actio Miniſtri qua talis, debet eſſe actio humana relative ad miniſterium: atqui actio exterius mimica, non eſt humana relative ad miniſterium; ſed ſolum relative ad facetias & irriſionem, quæ ſola intenditur; ergo.

Prob. 3. ideo tantum juxta Novatores valent Sacramenta mimice & jlocalariter collata, quia ad eorum valorem ſatis eſt ut excitent fidem, quæ etiam per hiſtrionis verba excitari poteſt: atqui falſum eſt iſtud novæ ſectæ principium: 1. enim pueruli Baptiſmatis capaces ſunt: neque tamen in iis fides actualis excitari poteſt; 2. ſi ubi excitatur fides, ibi ſit Sacramentum, poſſet abſolute conferri Sacramentum a machina, quæ ad emittendas voces diſpoſita, fidem excitaret: quod ridiculum eſt.

Prob. 4. quia ſi ſecluſa intentione faciendi id quod facit Eccleſia, conferri poſſit Sacramentum, mater quæ nihil plane de Baptiſmo, aut de eo quod facit Eccleſia, cogitans, puerum lavando, his quo melius cedat ablutio, utitur verbis, *Lavo te in nomine Patris*, &c. verum Baptiſmum conferre cenſenda eſt: id porro quis credat?

Prob. 2. pars. Si ad Baptiſmi validitatem requireretur intentio faciendi id quod facit hæc Eccleſia, puta Romana, non valeret Baptiſma collatum a Calviniano, qui Eccleſiam Genevenſem, veram eſſe ratus, id inter baptizandum facere voluit, quod facit Genevenſis Eccleſia: atqui tamen valet Baptiſma collatum a Calviniano; ut patet tum ex praxi Eccleſiæ, quæ nullibi iterat hujuſmodi Baptiſmum ob hunc præciſe errorem (*); tum ex Rothomagenſi Concilio anni 1581. tit. de Sacram. nu. 2. ubi ſic: *Vetamus ablutionem repeti cum quibuſcumque verbis*, etiam conditionatis, *a Calviniſmo aut aliis hæreſibus ſimiliter* ſeu in debita forma *baptizantibus ad noſtras Eccleſias tranſeuntibus, ne de anabaptiſmo redarguamur*. Idem quoque prohibitum fuit a Conciliis Remenſi an. 1580. Turonenſi anni 1583. Toloſano an. 1590. &c. Et vero etſi Anglus in eo fallitur, quod ſchiſmaticam Angliæ Synagogam, veram eſſe Chriſti Eccleſiam putat, intendit nihilominus id facere quod facit vera Eccleſia a Chriſto inſtituta, & Chriſti ipſius ritum ſequi: hæc autem intentio nullo privato errore inefficax reddi poteſt.

Si quis tamen, ait Silvius in 3. p. q. 64. art. 8. *nollet facere, quod Eccleſia Romana facit, etiamſi eſſet vera Chriſti Eccleſia, & ſequeretur Chriſti inſtitutionem, Sacramentum non ſubſiſtet, quia revera non habet intentionem faciendi quod Chriſtus inſtituit*. *Silvius p. 224. C*

Objic. 1. contra primam Concluſionis partem, cum Calvino: Non minus valet Baptiſma præter conferentis intentionem collatum, quam valuerit benedictio data Jacob, tametſi præter Iſaaci intentionem data: atqui tamen benedictio hæc valida fuit, juxta id Geneſ. 27. *Benedixi ei, & erit benedictus*; ergo &c.

Reſp. 1. neg. maj. ad ſenſum Calvini; idque duplici de cauſa: 1. quia Iſaac ſeriam habuit intentionem benedicendi, tantumque erravit circa perſonam; porro fatemur eum qui ſerio baptizare vult, & ex errore maſculum baptizat pro femina, vere baptizare; quia prima & principalis ejus intentio eſt ut baptizet: at vero qui joculariter agit, nec hunc nec illum baptizare intendit, ſed dumtaxat Chriſtum & Eccleſiam deridere;

2. quia

(*) Reſtrictionis hujus uſum percipiet Lector ex iis quæ dicam ubi de initerabilitate Baptiſmi.

Digitized by Google

2. quia benedictio ab Iſaac data, a ſola ejuſdem voluntate pendebat: Sacramenta vero præcipue pendent ab inſtitutione Chriſti, qui & ea a ſuis ſolum Miniſtris confici voluit, & nullibi hiſtriones pro Miniſtris ſuis habendos eſſe conſtituit.

Reſp. 2. diſt. min. benedictio ab Iſaac data, valida fuit accedente nova Iſaaci voluntate, qui hic digitum Dei ſenſit, C. valida fuit ab initio, N. Neque tamen ob mutatam Miniſtri voluntatem valere poteſt Sacramentum, quod ab initio invalide collatum eſt; quia ſanxit Chriſtus ut materia, forma, & intentio ſimul ponerentur, ſaltem in aliis præter Matrimonium Sacramentis.

Objic. 2. Sephora Moyſis uxor filium ſuum circumcidit nolens: atqui tamen valide circumcidit; ergo valet Sacramentum citra conferentis voluntatem adminiſtratum.

Reſp. diſt. maj. circumcidit nolens ſecundum quid, tranſeat, quia hęc Sephoræ nolitio efficaciter ex Scripturis probari nequit; nolens ſimpliciter, N. voluit enim Sephora obedire Deo, & mortem Moyſi ob filii præputium intentatam impedire.

Objic. 3. ex S. Auguſtino Tract. 80. in Joan. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*: ſed ſi requireretur intentio Miniſtri, accedente ad elementum verbo non fieret Sacramentum; ergo.

Confirm. Ebrius nullam baptizando ſeriam intentionem habere poteſt; atqui tamen ex Auguſtino Tract. 5. in Joan. *Quos baptizat ebrius, baptizat Chriſtus;* ergo.

Reſp. ad 1. diſt. accedit verbum ad elementum per humanam actionem, & fit Sacramentum, C. accedit mimice, irriſorie, aut citra ullam prorſus intentionem, N. Scopus eſt Auguſtini ut probet elementum ab Evangelica forma ſejunctum, nihil habere virtutis: *Detrahe verbum*, inquit, *quid eſt aqua, niſi aqua? accedit verbum ad elementum.*, &c. ſed de excludenda intentione Miniſtri nequidem cogitat Auguſtinus, ſaltem eo loci. An alibi cogitaverit, infra expendemus.

Ad 2. neg. min. neque enim dictum eſt ab Auguſtino, *quos baptizat ebrius*, (ut male ſcripſit Gratianus cap. 46. 1. q. 1. quem idcirco culparunt Correctores Romani,) ſed quos *baptizavit ebrioſus*: porro ebrioſus, ſeu vir ebrietati addictus, rite baptizare poteſt, non ſecus ac adulter & homicida: en ipſa Auguſtini verba: *Quos baptizavit ebrioſus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, ſi Baptiſmus Chriſti erat, Chriſtus baptizavit;* ergo ſicut hęc verba: *Quos baptizavit adulter*, non de actuali, ſed de habituali adultero intelliguntur, ita & hæc, *Quos baptizavit ebrius*, ſi ita cum Gratiano legere voles, non de eo qui actu ebrius ſit, ſed qui ebrietati impenſe deditus ſit, explicari debent.

Objic. 4. Sacramenta ſe habent ut animarum medicinæ: atqui medicaminum efficacia non pendet ab intentione medici; ergo.

Confirm. Formæ quibus conficiuntur Sacramenta, ſunt vere verbum Dei: atqui verbum Dei ſuum operatur effectum independenter a quacumque Concionatoris voluntate; ſecundum id Apoſtoli Philip. 1. v. 18. *Quid enim, dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur;* ergo.

Reſp. ad 1. diſt. maj. Sacramenta ſunt medicinæ, nec ſunt medicinæ, niſi

rite

rite conferantur, C. & medicinæ ſunt quomodocumque conferantur, N. Sicut ergo corporalis medicina ut proſit, debet in primis eſſe medicina; ſic Sacramenta ut medicinæ ſint, in primis Sacramenta eſſe debent: atqui non poſſunt eſſe Sacramenta niſi conſtent materia, forma & intentione Miniſtri; ergo nec his ex toto vel ex parte ſecluſis prodeſſe poſſunt.

Et vero Sacramenta inter & corporales medicinas longum eſt diſcrimen; illa ſiquidem ſunt actus humani, nec proinde ſine agentis intentione ſubſiſtere poſſunt. Medicamenta vero corporis ut exiſtere, ſic & operari poſſunt ſine medici intentione. Deinde medicamenta mere naturaliter operantur, Sacramenta vero ex divina inſtitutione.

Reſp. ad 2. diſt. maj. Sacramenta ſunt vere verbum Dei conſecratorium & practicum, C. verbum Dei ſpeculativum, aut concionatorium, N. ſic diſt. min. neg. conſeq. itaque verbum Dei ſimpliciter ſumptum, quoſdam, accedente Dei gratia, parere poteſt effectus, puta erudire, movere, excitare ad bonum, independenter ab intentione proferentis, imo & abſque eo quod proferens ſit capax intentionis: unde ſi amens quaſdam Scripturæ ſententias emphatice recitet, poterit non ſecus ac aſina Balaam, grandes in auditorum animis motus ciere. Verum in præſenti non agitur de eo effectu, quem & quædam Senecæ verba, aſpirante Deo, parere poſſint: agitur de effectu ſacramentali, quem practicæ rituum a Chriſto inſtitutorum formæ producunt, in iis etiam, qui, ut infantes, & a natura fatui, ad finem & devotionem moveri non poſſunt. Contendimus porro effectum hunc nunquam citra Miniſtri intentionem produci poſſe; quia actio ſacramentalis eſt actio humana, quæ ſine intentione talis eſſe nequit.

Et vero ſi ad confectionem Sacramenti ſufficiat, ut quis in alio fidem excitet, jam quilibet homo etiam Gentilis, quodlibet Sacramentum, adeoque & ſacram Cœnam conficere poterit; quod abſurdum eſt, & toti Traditioni adverſatur, ut ſuo loco evincemus.

Inſt. 1. Ad productionem effectus ſacramentalis, ſufficit ut ponatur ſignum practicum gratiæ: atqui ſignum illud practicum independenter ab intentione Miniſtri poni poteſt. Quod enim a ſola Chriſti intentione habet ut ſit practicum, illud independenter ab intentione Miniſtri practicum eſſe debet: atqui ſignum gratiæ a ſola Chriſti intentione habet ut ſit practicum.

Reſp. ad 1. neg. min. ſi enim ad plenam ſigni ſacramentalis rationem voluerit Chriſtus neceſſariam eſse intentionem Miniſtri, non ſecus ac materiam & formam, jam ſublata hac intentione ſubſiſtere nequit ſignum practicum: atqui ex probatis voluit Chriſtus ut conferentis intentio ad plenam ſigni ſacramentalis confectionem neceſſaria foret; ergo.

Ad 2. diſt. min. ſignum gratiæ a ſola Chriſti intentione habet ut ſit practicum, & ea fuit intentio Chriſti, ut ſignum illud applicaretur humano modo, adeoque cum intentione applicantis, C. ſecus, N.

Inſt. 2. Chriſtus id ſolum in Miniſtro requiſivit, quod requiritur in inſtrumento: atqui in inſtrumento non requiritur intentio; ſed ſufficit una cauſæ principalis voluntas; ergo.

Reſp. diſt. maj. quod requiritur in inſtrumento libero, C. in inſtrumento rationis experte, N. Qui enim Miniſtros Sacramentorum conſtituit

ut diſpenſatores, plus ſane ab iis requiſivit, quam a puris automatis requiſiſſet: atqui Chriſtus, &c.

Inſt. 3. Si in Miniſtro, ex eo quod diſpenſator conſtitutus ſit, requiratur intentio, requiretur & multo magis probitas: atqui tamen probitas non requiritur in Miniſtro, ex dictis.

Reſp. neg. maj. in his enim quæ a ſola Chriſti voluntate pendent, illud ſolum ad Sacramenti valorem requiritur, quod a Chriſto requiſitum fuiſſe docet Eccleſia: atqui Eccleſia ita docet requiſitam eſſe intentionem Miniſtri, ut doceat ſimul haud requiſitam eſſe probitatem ejus. Cur autem unum exegerit Chriſtus, non aliud, ratio eſt, quia ſi probitas Miniſtri neceſſaria foret, jam neque ab hæreticis in extremo etiam vitæ periculo recipi poſſent Sacramenta, nec cuipiam conſtare poſſet, ſe valide eſſe baptizatum; cum facile contingat deeſſe Miniſtro eam probitatis ſpeciem, quæ gratiam excludit. Aliud eſt de Miniſtri intentione, quę rariſſime deeſt; imo quæ juxta externæ intentionis patronos nunquam deeſſe poteſt, quoties res ſerio tractantur, ut pene ubique terrarum tractari ſolent, cum agitur de Sacramentis.

Objic. 5. Valuit Baptiſma collatum 1. Dioſcoro illi Architheatro, ſeu Comœdorum duci, de quo loquitur Auguſtinus Epiſt. 227. alias 67. cum in eo *fuerit delata nugacitas; ipſeque fidelis ſit effectus, Chriſtique gratiam conſecutus*, ut ait ibid. S. Doctor; 2. S. Geneſio, qui ut refertur in Martyrologio ad diem 25. Auguſti, *cum in theatro coram Diocletiano, myſteriis Chriſtianorum illuderet, a Deo inſpiratus, repente converſus ad fidem, & baptizatus eſt;* 3. Catechumenis illis, quos junior Athanaſius *ſuper oram maris, puerorum ludum* imitando, baptizavit; quouſque rebaptizari vetuit S. Alexander Epiſcopus Alexandriæ, poſtquam didicit *ſecundum religionis noſtræ ritum cuncta conſtare;* prout ex Rufino referunt Socrates & Sozomenus, & ex his Gratianus 1. q. 1. cap. 58. atqui Baptiſmata hæc collata fuere ſine intentione faciendi id quod facit Eccleſia; cum priora duo prorſus mimica fuerint; tertium vero jocualiter adminiſtratum; ergo.

Reſp. ad 1. ne verbum quidem eſſe in Auguſtino unde inferri queat Dioſcorum in theatro baptizatum fuiſſe; imo contrarium ex ipſo textu colligi. Quin nec certum eſt Dioſcorum fuiſſe unquam Comœdorum ducem, ſed potius fuiſſe principem medicorum: cum juxta nuperam Auguſtini editionem, ex variorum codicum fide pro *Architheater*, legendum ſit, *Archiater*.

Reſp. ad 2. eſſe qui negent Geneſium alio quam ſanguinis Baptiſmo tinctum eſſe; qui vero eum luſtrali Baptiſmo, propter Martyrologii auctoritatem, donatum fuiſſe contendunt, fatentur eum quidem jam e theatro converſum eſſe, ſed negant baptizatum fuiſſe in theatro: 1. quia a tempore S. Geneſii, qui circa an. Chriſti 285. paſſus eſt, juxta Tillemontium, nemo ad Adonem uſque, noni ſæculi * ſcriptorem, Geneſium in ipſa ſcena baptizatum eſſe dixit. Quis porro circumſtantiam adeo ſingularem ab omnibus hiſtoricis ſuppreſſam eſſe exiſtimat? 2. quia novi aſſertores ſcenici hujus Baptiſmatis, in ejus hiſtoria a ſe invicem diſſonant. Alii quippe Geneſium a Sacerdote in theatro baptizatum volunt, quod ridiculum eſt; alii ab alio mimo, quem monuerit Angelus ut rem ſacram ſerio pieque conficeret; alii demum ab Angelo ipſo. In his porro ſibi tam inſigniter contradicentibus quis pedem figere poſſit?

* Obiit n. 880.

His

His adde ratum haberi poſſe Baptiſmum a mimo collatum, modo id intus facere velit, quod faciunt Chriſtiani. Scilicet enim duobus modis exterior Eccleſiæ ritus per jocum exerceri poteſt, 1. itaut idem ritus ſimulate tantum repræſentetur; 2. itaut vere intendatur id quod intendit Eccleſia, tametſi id ſive ad jocum, ſive ad lucrum, aliumve malum finem intendatur. Prima joci ſpecies, utpote in qua ſiſtat tota agentis intentio, Sacramenti veritatem impedit: ſecus de ſecunda, quia hæc addit quidem actioni finem extrinſecum, qui actionis honeſtatem tollit, ſed qui cum intentionem internam non tollat, neque etiam actionis veritatem tollere poteſt. Unde S. Thomas 3. p. q. 74. a. 2. ad 2. *Si Sacerdos intendat conſecrare Corpus Chriſti propter aliquem malum finem, puta ut irrideat, vel veneficia faciat, propter intentionem mali finis peccat; nihilominus tamen propter poteſtatem ſibi datam perficit Sacramentum.* Quare vero? quia nimirum mali finis intentio, conſecrandi intentionem non perimit: atqui pariter in eo qui vere vult baptizare, licet id velit ut alios oblectet, mala oblectandi intentio veram baptizandi intentionem non perimit; ergo. Ita Tournely p. 316. Lamb. Gaud p. 97. &c.

Reſp. ad 3. Rufini de Athanaſio puero pueros alios baptizante hiſtoriam, grandi apud eruditos laborare ſuſpicione: 1. quia Hiſtorici ſeu de Baptiſmo; ſeu ſaltem de ejus approbatione dubitanter loquuntur: *Ferunt*, ſic ſtatuiſſe Alexandrum, ait Rufinus. *Adhuc impuberi illud ei accidiſſe fertur*, ait Sozomenus. *Ferunt iſtud eveniſſe*, ait Nicephorus; 2. quia præfati Hiſtorici factum illud diverſimode narrant. Scribit nempe Socrates Alexandrum ejuſmodi luſum vidiſſe, dum prætergrederetur. Sozomenus, cum ſolus convivas expectaret: Nicephorus, cum ſederet e loco ſublimiori; 3. quia non is erat Alexander, qui in re tam ſeria ludum puerorum indubie ratum haberet; 4. quia impubes non erat, ſed ad minus annos 18. natus Athanaſius, cum Alexander, quo Pontifice ludum hunc peractum volunt, Sedem Alexandrinam conſcendit. Scilicet enim Alexander creatus eſt Patriarcha an. 312. vel etiam 321. juxta Hieronymi chronicum; eique paulo poſt Nicænam Synodum, ac proinde ut minimum an. 326. ſucceſſit Athanaſius: atqui ut Alexandro ſuccederet Athanaſius anno 326. debuit annum trigeſimum prætergredi. Non enim ferebant mores illius ſæculi ut quis ante trigeſimum ætatis annum Presbyter, & multo minus ut Epiſcopus inauguraretur. Hinc tot adverſus Paulinianum S. Hieronymi fratrem querelæ, quod junior ad Sacerdotium evectus fuiſſet, etſi proxime accederet ad trigeſimum ætatis annum: cum vero ne ipſi quidem Ariani, licet Athanaſium quocumque dente poſſent, mordere paratiſſimi, præmaturam ordinationem uſquam eidem exprobraverint, palam eſt eum annis 32. aut 34. majorem fuiſſe, cum inauguratus eſt: & id erat tunc temporis juvenem conſecrari; cum pene junior haberetur relative ad Epiſcopatum, vir 35. aut plures annos natus. Jam vero ſi plures quam annos triginta attigerat Athanaſius, cum Alexandro ſucceſſit, neceſſum eſt ut an. 312. vel etiam 321. quo Patriarchales Alexandriæ infulas obtinuit Alexander, idem Athanaſius 20. aut 29. ætatis annum attigiſſet. Quis vero hominem tali ætate donatum, credat puerum fuiſſe, qui, quod vix apud nos faciunt novennes, Eccleſiæ ſacra per ludum exerceret? huic ſolutioni inhærendum videtur.

F 2 Si

Digitized by Google

Si quis tamen factum pro aris & focis admittere velit, dicendum eſt cum S. Thoma in 4. diſt. 6. Athanaſium, ſic diſponente Deo, id animo intendiſse, quod per Epiſcopum faciebat Eccleſia. Neque intentioni huic adverſabatur oblectamentum, quod inde captabat juvenis, quia finis extrinſeci volitio volitionem finis intrinſeci neceſsario non perimit, ut proxime dictum eſt. Et vero Athanaſius non jam baptizatos, aut Infideles baptizabat, ſed Catechumenos ſolos, idque exploratis prius per varias interrogationes eorum diſpoſitionibus, prout narrant Rufinus Lib. 10. Hiſtoriæ, cap. 14. & Sozomenus Lib. 2. cap. 16.

Eodem modo ſolvendum eſt quod refert Nicephorus Lib. 3. Hiſtor. cap. ult. de Hebræo juvene, qui a Chriſtianis pueris quibuſcum in mari natabat, per ludum baptizatus eſt; & cujus Baptiſmum approbavit Eccleſia Conſtantinopolitana. Hi nempe pueri, etſi forte ludum ſibi proponebant ut finem, id tamen intenderunt quod in Eccleſia fieri viderant: hinc ſingulos Eccleſiæ ritus ſedulo obſervarunt, infantem trina vice immerſerunt, ad immerſiones ſingulas unam e divinis perſonis invocarunt, & ipſi ſeriam adeo actionem ſuam habuere, ut confeſtim Proſelytum ſuum duxerint ad Eccleſiam, ubi, teſte Nicephoro, communionis ſignum acceperunt.

Objic. 6. S. Auguſtinum, qui Lib. 7. de Bapt. c. 53. ſic loquitur: *Ubi neque ſocietas ulla eſſet ita credentium, neque ille qui acciperet, ita crederet, ſed totum ludicre & mimice & joculariter ageretur; utrum approbandus eſſet Baptiſmus qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum implorandum eſſe cenſerem;* ergo dubitavit Auguſtinus an valeret Baptiſma mimice collatum: at ſi de eo tantus Doctor nihil ſancire auſus eſt, cur auſimus nos?

Reſp. 1. Ut quid audent Lutherani indubie ratum pronuntiare illud Baptiſmatis genus, de cujus validitate nihil Auguſtinus, niſi præeunte revelationis oraculo, ſtatuere auſus eſſet? Habuit fortaſſis ſuam ca de re revelationem Lutherus, ſed ei, ut reor ſimilem, ex qua duas ſimul eidem Principi habere uxores permiſit.

Reſp. 2. Jam illicitum eſſe dubitare de pluribus, quę ancipitem habuere Auguſtinum; quia temporum lapſu definita ſunt, quæ Auguſtini tempore definita non erant; ſicut Auguſtini ævo definita ſunt, quæ Cypriani ætate necdum ſatis eliquata erant. Quemadmodum ergo ratum habuit & habere debuit Auguſtinus Baptiſma hæreticorum, quod improbare potuit Cyprianus; ſic nos ob crebras Conciliorum definitiones Baptiſma prorſus mimice collatum rejicere tenemur, etſi circa ejus validitatem anceps fuerit Auguſtinus.

Ceteras, quæ hic proponi poſſent difficultates commodius expendam in decurſu.

Objic. contra ſecundam Concluſionis partem: Si ad Sacramenti valorem ſufficiat intentio generalis faciendi id quod facit Eccleſia, ſufficiet intentio faciendi id quod facit Genevenſis Eccleſia, quam Miniſter Calvinianus veram eſſe exiſtimat: atqui non ſufficit hujuſmodi intentio. Non enim magis ſufficit ad habendam veram Eccleſiæ intentionem, id intendere quod facit Eccleſia Genevenſis, quæ putatur vera, quam ad habendam veram Eccleſiæ fidem, ſufficiat credere id quod credit Eccleſia Genevenſis, quæ creditur vera: atqui hoc ad veram fidem non ſuffi-

ſufficit. Minor patet; prob. itaque Major: Ideo qui credit quod credit Eccleſia Genevenſis, quam falſo Eccleſiam veram exiſtimat, veram fidem non habet, quia per iſtam exiſtimationem ita determinatur ad aſſentiendum iis quæ proponit Genevenſis Eccleſia, ut non amplius credat oppoſitum, quod ab Eccleſia Catholica proponitur: atqui pariter, qui hæc pronuntiando verba, *Ego te baptizo*, &c. id facere intendit quod facit Eccleſia Genevenſis, exiſtimata vera Chriſti Eccleſia; ita determinatur ad id unum faciendum quod facit Eccleſia Genevenſis, ut jam amplius facere nolit, quod facit Catholica Eccleſia; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. Ratio eſt, quia qui credere vult id quod credit Eccleſia Genevenſis, circa præſentiam realem v. gr. neceſſario excludit fidem, quam circa idem punctum habet Eccleſia Catholica: at vero qui intendit facere id quod intendit Genevenſis Eccleſia, non excludit id quod ab Eccleſia Catholica intenditur; imo illud includit potius, quia utraque Eccleſia idem facere intendit, id nempe quod a Chriſto inſtitutum eſt.

Ad 3. diſt. min. ita determinatur .·.·. ut jam amplius non velit voluntate particulari, facere quod facit Eccleſia Catholica, C. ut non amplius velit voluntate generali, N. Ille enim voluntate generali vult facere id quod facit Eccleſia Catholica, qui non vult facere id quod facit Genevenſis Eccleſia, niſi quia eam Catholicam eſſe, & veram Chriſti Eccleſiam credit: atqui Calvinianus Miniſter, ideo tantum, quando baptizat, vult facere quod facit Eccleſia Genevenſis, quia hanc Catholicam credit, &c.

Et vero ſi Genevenſis Miniſter omnem & quamcumque excluderet voluntatem faciendi quod facit Eccleſia Romana, non magis adoptaret Eccleſiæ Romanæ Baptiſmum, quam fidem: atqui falſum conſequens.

Inſt. Intentio particularis faciendi quod facit Genevenſis Eccleſia, quæ putatur vera, deſtruit intentionem generalem faciendi quod facit vera Eccleſia; ergo.

Prob. ant. aſſenſus datus huic propoſitioni, *Credo quod de Euchariſtia credit Eccleſia Genevenſis*, deſtruit aſſenſum generalem antea datum rebus a Deo revelatis; ergo a pari, &c.

Reſp. ad 1. neg. ant. ad 2. neg. conſeq. diſparitas eſt, quod actus fidei, qualis Genevæ fit circa Euchariſtiam, directe & totaliter excludat actum fidei, qualis circa eamdem Euchariſtiam elicitur in Eccleſia Catholica: unde qui credit cum Geneva particulariter, non poteſt etiam generaliter credere cum Roma: at vero actus intentionis, qualis habetur Genevæ, non excludit actum intentionis, qualis habetur Romæ: quia eadem eſt utrobique intentio faciendi id quod facit Eccleſia. In hoc igitur mentis actu, *Credo id quod credit Genevenſis Eccleſia*, jam male credis, nec fieri poteſt ut bene credas, quia errorem errore cumulando, addis, *quæ eſt vera Eccleſia*. In hoc autem voluntatis actu, *Intendo quod intendit Eccleſia Genevenſis*, jam efficaciter operaris, & proinde operatio tua, per ſubſequam veræ Eccleſiæ additionem impediri nequit.

Inſt. Atqui particularis intentio faciendi id quod facit Eccleſia Genevenſis, excludit generalem intentionem faciendi id quod facit Eccleſia; ergo. Prob. intentio generalis & vera Eccleſiæ, eſt ut regeneretur infans, eique imprimatur character filiorum Dei, & gratia juſtificans: at-

quia vera hæc & generalis intentio excluditur a Miniſtro Genevenſi; ergo.

Reſp. ad 1. neg. ant. ad 2. ſit pro ſolutione.

Conclusio II. Ad Sacramenti validitatem non requiritur intentio explicita producendi effectum Sacramenti: imo nec requiritur intentio explicita vel conficiendi Sacramenti, vel celebrandi ritum externum, ut in ſe revera & abſolute ſacrum. Unde generaliter loquendo, ſufficit quod quis talem ritum peragere velit ut ritum, qui a Chriſtianis habetur pro ſacro, ſeu ut cæremoniam in tali ſocietate ſacram.

Prob. 1. pars, 1. ex S. Auguſtino Epiſt. 98. alias 23. ubi ſic Bonifacium alloquitur S. Doctor: *Nec illud te moveat, quod quidam non eo fide ad Baptiſmum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia ſpiritali ad vitam regenerentur æternam .·. non enim propterea illi non regenerantur, quia non iſtis ab hac intentione offeruntur: celebrantur enim per eos neceſſaria myſteria, & verba Sacramentorum:* ubi non de parentibus tantum, ſed & de Miniſtris præcipue ſermo; cum per eos ſolos neceſſaria myſteria & Sacramentorum verba celebrentur. Unde ſic: Qui parvulos baptizant, non intendentes ut ad vitam æternam regenerentur, non habent intentionem producendi effectum Sacramenti: atqui tamen hi valide baptizant, ſtatim ut *neceſſaria myſteria* celebrant, & Sacramenti verba; ergo.

Prob. 2. Eccleſia nec Pelagianos, nec Calvinianos novo tingit Baptiſmate, cum in ipſius gremium revertuntur: imo id quoad Calvinianos expreſſe vetuit Pius V. teſte Ebroicenſi Synodo an. 1476. * atqui tamen nec Pelagiani intendebant delere originalem noxam, quam fictitiam eſſe exiſtimabant; nec intendunt Calviniani imprimere characterem, cujus exiſtentiam negant; ergo ſtat Sacramentum abſque intentione effectum ſacramentalem producendi.

* V. Tr. de Bapt.

Prob. 2. pars, ſicque a fortiori confirmatur prima; quia Synodi Florentina & Tridentina, non aliam in Miniſtro requirunt intentionem, quam faciendi id quod facit Eccleſia: atqui hæc intentio in eo etiam reperitur, qui etſi ritum hunc pro vero Sacramento, aut pro ritu in ſe ſacro non habet, vult tamen eum perficere formaliter ut ritum Eccleſiæ, ſacramve in illa cæremoniam. Prob. min. intentio faciendi quod facit Eccleſia, reperiri poteſt in Gentili & in Atheo, ut ex dicendis plenius conſtabit: atqui tamen nec Gentilis nec Atheus qua tales habent aut habere poſſunt ritum Baptiſmatis pro Sacramento, aut pro re in ſe abſolute ſacra; ergo intentio faciendi quod facit Eccleſia, in eo ſubſiſtit, qui nec ritum hunc vult ut Sacramentum, nec ut rem in ſe & abſolute ſacram. Hinc S. Thomas in 4. diſt. 6. q. 1. art. 3. quæſt. 2. ad 1. *Quamvis ille qui non credit Baptiſmum eſſe Sacramentum, aut habere aliquam ſpecialem virtutem, non intendat, dum baptizat, conferre Sacramentum, tamen intendit facere quandoque quod facit Eccleſia, etſi illud reputet nihil eſſe: & quia Eccleſia aliquid facit, ideo ex conſequenti & implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite.*

Prob. 3. pars, quia ſi requiritur, ut certo requiritur, intentio faciendi quod facit Eccleſia, ſaltem requiri debet ut ritus ſacramentalis exerceatur prout ritus qui in tali ſocietate habetur pro ritu religioſo.

Dixi, *generaliter loquendo*, quia, ut animadvertit citandus toties in hac materia Lambertus Gaud, ſi Miniſter ſacrum ritum ab Eccleſia

Pag. 73.

pera-

peractum, ſic credat & in ſe revera ſacrum, & Sacramentum, & gratiæ cauſam eſſe, ut putet ritum illum fieri non poſſe, niſi intendatur & res in ſe ſacra, & Sacramentum, & gratiæ cauſa; utique ſi horum aliquid intendere nolit, jam non habebit ſinceram intentionem faciendi quod facit Eccleſia, nec proinde Sacramentum conficiet.

Objic. I. In Miniſtro Sacramenta conferente requiritur intentio Eccleſiæ cujus eſt Miniſter: atqui intentio Eccleſiæ pro objecto habet & Sacramentum & Sacramenti effectus; ergo.

Reſp. diſt. maj. in Miniſtro requiritur Eccleſiæ intentio implicita vel explicita, C. explicita neceſſario, ſubd. requiritur ad melius, C. ad eſſe ſimpliciter, ſeu ad validitatem, N. Porro qui vult ſerio facere ritum, quem faciunt Chriſtiani, vult eo ipſo, indirecte tamen, facere quidquid ex eo ritu conſequi poteſt; quia qui vere vult cauſam neceſſariam, vult & omnes ejuſdem effectus.

Inſt. Abſolutio a peccatis eſt effectus Sacramenti Pœnitentiæ: atqui ad validitatem ejuſdem Sacramenti requiritur ut Miniſter intendat abſolvere a peccatis; ergo ad validitatem Sacramenti requiritur ut Miniſter effectum ejus intendat.

Prob. minor ex Tridentino Seſs. 14. c. 6. ubi ſic legere eſt: *Non debet pœnitens adeo ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut etiamſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſerio agendi, & vere abſolvendi deſit, putet tamen ſe vere coram Deo eſſe abſolutum*. Ubi pondera præter animum ſerio agendi, qui juxta nos ſufficeret, requiri animum vere abſolvendi a peccatis, ſeu, quod idem eſt, gratiam reconciliationis largiendi.

Reſp. diſt. min. requiritur ut Miniſter intendat abſolvere a peccatis, id eſt ut velit non ſimulate, ſed vere & ex animo proferre verba abſolutionis, prout ab Eccleſia proferuntur, dum a peccatis abſolvit, C. id eſt ut ipſam pœnitentis juſtificationem directe & explicite intendat. N. Itaque ad pœnitentiæ validitatem requirit Tridentina Synodus, ut Miniſter ſerio agat, præſertim ubi agitur de largienda abſolutione: at non ideo cenſet invalidam fore abſolutionem ſine intentione conferendæ juſtificationis impenſam. Siquidem doctrina in Concilii Tridentini capitibus contenta, per eam quæ in Canonibus, præcipua fidei regula, continetur, explicari debet: atqui Tridentinum Seſſ. 7. Can. 11. ſupra citato, non aliam intentionem exigit in Miniſtro tanquam abſolute neceſſariam, quam generalem intentionem faciendi id quod facit Eccleſia; & hæc quidem intentio ſubſiſtere poteſt, etſi deſit particularis intentio ſeu conferendæ gratiæ, ſeu conficiendi Sacramenti: ergo.

Objic. 2. S. Thomas 3. p. q. 64. art. 8. hæc habet: *Ea quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diverſimode agi, ſicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptiſmo, poteſt ordinari & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem, & ad ludum, & ad alia hujuſmodi: & ideo oportet quod determinetur ad unum, id eſt ſacramentalem effectum, per intentionem abluentis;* ergo juxta S. Thomam requiritur intentio etiam particularis, producendi effectum Sacramenti, puta characterem & gratiam.

Reſp. neg. conſeq. qui enim expreſſe docet neceſſum non eſſe ut Miniſter ritum Sacramenti conficere velit ut Sacramentum, non potuit docere neceſſum eſſe ut idem Miniſter effectum Sacramenti intendat: atqui

S. Thomas in textu paulo ante citato docet expreſſe ∴ Ut ergo ſecum concilietur S. Doctor, dicendum eſt eum in objecto textu non requirere niſi intentionem implicitam producendi effectum ſacramentalem: hæc autem intentio nulli eorum deeſt, qui volunt facere quod facit Eccleſia: hi enim etſi de effectu non cogitent, imo nec quidpiam ſciant, ipſum velle cenſentur, ſtatim ut cauſam ejus neceſſariam volunt.

Objic. 3. Actus ſacramentalis eſt actus religionis: atqui ad actum religionis non ſufficit operis exercitium, ſed & finis intentio requiritur; ergo.

Reſp. diſt. maj. eſt actus religionis ſi licite ſimul & valide fiat, C. ſi valide ſolum, N. Porro valent multa, quibus deeſt legitima intentio: alias invalide ordinaret, qui propter lucrum ordinat.

Conclusio III. Intentio externa, qua quis ritum ab Eccleſia præſcriptum, exterius quidem ſerio peragit, ſed intus vel deridere tantum & fingere, vel ut rem mere naturalem aut profanam exercere vult, non autem formaliter ut ritum Eccleſiæ, aut ſacram in ea cæremoniam; nullibi ſufficit ad valorem Sacramenti.

Hæc Concluſio pluribus probari ſolet argumentis, quorum aliqua, meo quidem judicio parum urgent: ea tamen non omittam prorſus, quia quæ unum non movent, alios movere poſſunt: ſed dicam breviter, quid cauſæ ſit cur iis minus inniti velim. Oppoſitæ vero partis momenta, quæ niſi gravia forent, non eo traxiſſent tot eximii nominis Theologos, ſerio, nec diſſimulanter proponam, ut rebus coram Deo penſatis, quam quiſque maluerit partem, eligat. Itaque

Prob. 1. In his quæ ad ſalutem & Sacramenta pertinent, licitum non eſt ſequi opinionem probabilem, relicta tutiori, quæ vel probabilior ſit, vel æque probabilis: ſed qui cum Catharino ſufficientiam externæ intentionis ſequuntur; relinquunt opinionem, quæ ſimul eſt tutior, & probabilior, vel æque probabilis ac oppoſita. Majorem ſponte concedunt Adverſarii; merito, cum quoad primam partem a Concilio Viennenſi definita ſit; quoad ſecundam vero tum ab Innocentio XI. tum a Clero Gallicano, qui an. 1700. hanc laxiorum Caſuiſtarum propoſitionem perſtrinxit: *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.*

Prob. itaque minor. Et quidem 1. quod tutior ſit opinio, quæ in praxi ſufficientiam intentionis externæ negat, res eſt clarior meridiana luce. Tutior enim eſt opinio, quæ nullo exponit diſcrimini æternam infantis ſalutem, quam Catharinus, ejuſque ſequaces dubio ſaltem periculo exponunt: atqui opinio noſtra nullo exponit diſcrimini ∴ Si enim infans ille a Miniſtro intus deriſore, non ſit vere baptizatus, prout cenſet pars Theologorum dimidia major, jam perit ille in æternum. Si autem valide baptizatus eſt, nihil ille patitur mali ex iterato ſub conditione Sacramento: nec cuiquam, opinor, Deus vertet in culpam, quod Baptiſmum, de quo tanta eſt apud ſaniores Theologos controverſia, iteraverit ſub conditione. Ego quidem, ajebat olim mihi celebris in Sorbona Profeſſor, iſque in Catharini opinionem haud parum propenſus, ſi me a tali Miniſtro baptizatum reſcirem, curarem illico, ut mihi tantæ neceſſitatis Sacramentum denuo conferretur.

2. quod eadem opinio ſit æque probabilis, niſi forſan probabilior,

non minus evidens eſt. Duplex ſiquidem diſtinguitur probabilitas, extrinſeca alia, quæ a Doctorum, non quorumcumque, ſed gravium ſuffragio repetitur; alia intrinſeca, quæ rationibus intrinſecis nititur: atqui opinio noſtra probabilitate extrinſeca vincit, neque vincitur intrinſeca. Vincit quidem probabilitate extrinſeca; cum ſemper major fuerit internæ intentionis, quam externæ aſſertorum numerus, uti agnovit tempore ſuo Magiſter Sententiarum, ſuo item Paludanus, juxta quem opinio quæ pro intentione interiori pugnat, *tanquam communior & tutior eſt tenenda;* noſtro demum vel ipſe Hyacinthus Serry; quod & Lamb. Gaud fuſe & ſolide demonſtravit. Sed neque eadem noſtra aſſertio vincitur probabilitate intrinſeca; cum & gravia quibus impetitur momenta non improbabiliter excutiat, & gravibus ſe tueatur argumentis, quæ nonniſi probabiliter ſolvuntur ab adverſariis, prout patebit in decurſu.

Palud. in 4. diſt. 6. q. 2. Serry p. 105. Gaud. t. 38. & ſeq.

At, inquies, ſi valeat iſthæc ratiocinatio, adhærendum eſt Donatiſtarum opinioni, quæ Baptiſmum ab impiis collatum iterari jubet: hæc enim tutior eſt, nullique exponit periculo, nec ſpernendis rationibus innititur.

Reſp. neg. ant. ſtatim enim ut opinio Donatiſtarum inter hæreſes annumerata fuit, jam ne uno quidem probabilitatis gradu gaudere poteſt. Quis porro opinionem noſtram, non dico hæreticam, erroneamve, ſed vel temerariam, niſi temerarius ipſe, pronuntiare auſit?

Prob. 2. ex citato jam textu Apoſtoli I. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti*, &c. Unde ſic: Ad validitatem Sacramenti, neceſſe eſt ut qui ipſum confert, aliquo ſaltem ſenſu gerat ſe pro Miniſtro Chriſti: ſed qui exteriorem ritum nonniſi materialiter frequentat, ut v. g. ad abluendas corporis ſordes, nullo ſenſu gerit ſe ut Miniſtrum Chriſti. Si enim gerat ſe ut Chriſti Miniſtrum, vel quia ſimpliciter ritum hunc facit, vel quia hunc facit in talibus circumſtantiis: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. tum quia fatentur hodie nobiliores intentionis externæ Patroni ritum ſimpliciter, ſeu extra debitas circumſtantias peractum nihil operari; tum quia alioqui Ethnicus, qui nihil unquam de Chriſto aut Chriſtianis audiiſſet, quique inter arcana medica iſtud etiam legiſſet, capitis dolorem mire ejici per aquam ſub his verbis, *Ego te baptizo* injectam in puerum, puerum hunc rite baptizaret; quo nihil abſurdius fingi poteſt. Non 2. quia alioqui Ethnicus idem de quo ſtatim, vel in domo rogatus, vel in templo valide baptizaret, etſi non magis quam antea Chriſtum, Chriſtianamque Religionem edoctus, aut edoctus quidem, ſed omnino intendens id quod prius, & nihil ultra: atqui id prorſus animo concipi nequit. Ut enim valide baptizet vel in templo, vel in domo rogatus, qui non rogatus baptizabat invalide, neceſſum eſt ut intentio ejus ex profana determinata ſit ad eſſe ſacrum & ſacramentale: atqui nec poſtulationis, nec loci ſacri circumſtantia, intentionem ex profana ſacram & ſacramentalem facere poſſunt. Quod enim plene extrinſecum eſt voluntati, quod intentionem in eodem prorſus ac antea erat, ſtatu relinquit, illud profecto voluntatem ex naturali ſacram, & ut ita loquar, ſacramentalem efficere nequit: atqui circumſtantia ſeu poſtulationis a parentibus factæ, ſeu loci ſacri, eſt voluntati agentis plene extrinſeca; ergo.

Con-

Digitized by Google

Confirm. Qui non differt ab exteriori mimo, niſi quia impietati jungit hypocriſim, ille non magis quam mimus exterior gerit ſe pro Miniſtro Chriſti: atqui interior, de quo loquimur, mimus, non differt ab exteriori, &c.

Prob. 3. ex Rubricis Miſſalis Romani, quibus hoc in puncto conſonant Pariſienſes, ne dicam plerorumque Miſſalium Rubricæ. In his porro hæc præſcribitur regula Sacerdotibus, utique ſerio & in loco ſacro celebrantibus: *Si quis habeat coram ſe undecim hoſtias, & intendat conſecrare* Part. 7. *ſolum decem, non determinans quas decem intendit, non conſecrat, quia requiritur intentio*, quæ hic deeſt: atqui tamen non deeſt hic intentio externa. Hæc enim juxta adverſarios reperitur, quoties Sacerdos debitis in circumſtantiis profert formam ſuper debita materia: atqui tunc Sacerdos debitis in circumſtantiis profert formam ſuper debita materia, & quidem extrinſecus profert ſuper tota; ergo non caret intentione externa; proindeque quod non conſecret, oritur ex defectu internæ intentionis.

Argumentum hoc cur parum mihi videatur urgere, dicam paulo poſt: ſed ante oſtendam, peſſime illud confutari a Serrio. Hæc ille, 1. contemptim, ut ſæpius ſolet: *Væ lepidi Theologi, qui Miſſalis Rubricas tan-* Serry vindiciæ p. 105. *quam Eccleſiæ definitiones nobis objiciunt! ∴ cum potius nonniſi privatorum Theologorum reſolutionis illæ ſint ∴ adeoque nil mirum, ſi ita propoſitos caſus reſolvant, juxta ſententiam Catharino contrariam, quæ frequentior & communior in ſcholis eſt*. Addit 2. Rubricam loqui de Sacerdote, qui exteriori quopiam ſigno declaraverit, nolle ſe hoſtias omnes conſecrare.

Verum neutra hæc reſponſio ſatisfacit; non ſecunda, quæ merum eſt oppreſſi hominis effugium, & primæ directe adverſatur. Si enim Rubricæ conditores *juxta ſententiam Catharino contrariam*, caſum reſolverint; ergo definierunt nullam eſſe in eodem caſu conſecrationem, non quia deſit intentio externa, ſed quia deſit interna & mentalis. Deinde unde habet Serrius loqui Rubricam de eo dumtaxat, qui exterius manifeſtet, nolle ſe hoſtias omnes conſecrare? Profecto indiſtincte loquitur Rubrica: Ubi autem lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere oportet, prout dicitur in jure.

Nihilo ſolidior eſt prima Serrii reſponſio: 1. quia lepidis lepidior eſt ipſe, ſi majorem ſibi fidem haberi velit, quam pluribus eximiæ notæ Theologis, qui Rubricas ad Miſſam ſpectantes, ea edidere cura, quam poſtulat tanti myſterii gravitas; 2. quia alioquin ullius eſſent momenti Rubricæ, a quibus, ut privatorum hominum placitis, quiſque pro nutu recederet: 3. quia reipſa Rubricas haberi oportet ut leges a ſummo Pontifice editas, acceptataſque ab Eccleſia, quas nemo in re gravi prætergredi queat *abſque ſcelere*: patet id ex ſacræ Rituum Congre- Gaud. p. 142. gationis Decreto; quod his refert verbis Fagnan, in cap. *Si quis puerum, De Baptiſmo*, &c. *Renovando Decreta alias facta, mandat Sacra Congregatio in omnibus & per omnia ſervari Rubricas Miſſalis Romani, non obſtante quocumque prætextu & conſuetudine, quam abuſum eſſe declarat. Et facta relatione horum Decretorum S. D. N. Urbano VIII. Sanctitas ſua annuit, & ab omnibus ubique ſervari ∴ mandavit*. Merito igitur poſt Gavantum part. 3. tit. 11. prop. 2. ſtatuit Lambertus Gaud, lethaliter peccaturum Sacerdotem, qui abjecta Rubrica de qua loquimur, nollet iterum conſecrare

(ſal-

Digitized by Google

(ſaltem conditionaliter) hoſtias, quæ prædicto modo conſecratæ fuiſſent.

Melius ergo reſpondeat genuinus Catharini vindex, neg. I. min. & dicendo prædictum Sacerdotem carere intentione tam externa, quam interna: quia ad utramque ante omnia requiritur, ut quis ſerio pronuntiare velit formam ſuper materia determinata: porro hic deeſt, ut ſupponitur, materia determinata. Neque mirum eſt quod determinationem illam tollat voluntas Miniſtri, quia nihil inſtituit Chriſtus, quod impediat ne ea tolli poſſit: at vero verborum efficaciam (loquor obiter in ſententia Catharini,) non poteſt Miniſter quacumque intentione tollere; quia voluit Chriſtus ea ſuum ſortiri effectum, quoties ſupra certam determinatamque materiam proferrentur.

Quod ſi inſtet quis in hunc modum cum doctiſſ. Tournely: ideo tunc non conſecratur materia, quia eſt indeterminata: atqui non aliunde quam ab intentione Miniſtri habet hanc indeterminationem; ergo non aliunde quam ab eadem intentione habet, ut non conſecretur.

Reſponderi poſſet, I. tranſeat totum. Quid inde: equidem non conſecrat Miniſter ille, quia materiam intentione ſua reddidit indeterminatam; ſed nego quod non conſecret præciſe, quia retinet intentionem ſuam in applicatione formæ ſuper legitima materia. Unde ſi ex undecim hoſtiis unam eligeret diſtincte, quam conſecrare nollet, volens interim formam ſuper ea pronuntiare, hæc non minus conſecraretur quam aliæ, quantumcumque careret intentione interna, juxta Catharinum ſcilicet.

Unde in forma diſtingueretur conſequens; ergo homo ille non conſecrat ex defectu intentionis præambulæ, & antecedentis, quæque cadit in ſolam materiam, quam homo facit indeterminatam mala ſua voluntate, C. ex defectu intentionis ſacramentalis, ſeu quia præciſe non habet intentionem internam, ita ut ob ſolum hujus intentionis defectum conſecrare non poſſit, ſi materiam habeat legitimam, N. Sic ſi Miniſter ſola ſua voluntate aquam in vinum vertere poſſet, jam baptizaret invalide; non directe & immediate ob intentionis ſacramentalis defectum, ſed defectu intentionis præambulæ, vi cujus idoneam Baptiſmo materiam ſuſtuliſſet; qua ſemel ſublata, nullam ſacramentalem etiam externam intentionem habere poſſet. Sed de his, quorum ope, olim externæ intentionis defenſor extricabam me, judicent Magiſtri, quales plerumque ſunt & diſcipuli.

Prob. 4. ex citatis ſupra Conciliorum Florentini & Tridentini textibus, qui ad validitatem Sacramenti requirunt materiam, formam & inſuper intentionem faciendi id quod facit Eccleſia: ſed qui intentionem pure externam gerit, non habet intentionem faciendi id quod facit Eccleſia. Qui enim ſolam habet intentionem ridendi, fingendi, aut tanquam profanum quid faciendi id quod facit Eccleſia, ille nec habet nec habere poteſt intentionem veram faciendi id quod facit Eccleſia: atqui in hypotheſi noſtra Miniſter ſolam habet intentionem deridendi, fingendi, &c. Et vero aliud eſt habere animum faciendi quod facit Eccleſia, aliud eſt velle fingere ſe habere animum faciendi quod facit Eccleſia: hoc vult, non illud, qui interius Sacramentum conficere non vult. *Supra p. 78.*

Confirm. I. Miniſter in hypotheſi præſenti non aliam habet intentio-

tio-

Digitized by Google

tionem, quam qui palam & aperte per jocum & deriſionem conficit exteriorem Sacramenti ritum: ſed qui palam & aperte deridendo, conficit exteriorem ritum, non habet intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Minor ab omnibus Catholicis admittitur contra Calvinianos, prob. itaque major, quia qui interius Sacramentum deridet, non differt penes intentionem ab eo qui illud deridet exterius; cum in utroque eadem ſit mentalis deridendi intentio; ſed differt ſolum penes manifeſtationem irriſionis, quam prodit alter, alter celat animo; ergo non magis Sacramentum conficit qui interius deridet, quam qui exterius.

Confirm. 2. Ideo juxta adverſarios, qui ſerio exteriorem ponit ritum, facit id quod facit Eccleſia, quia reipſa vult facere actum quem facit Eccleſia: atqui ad Sacramenti validitatem non ſufficit ut quis exterius ponat actum quem facit Eccleſia, ſed inſuper neceſſum eſt ut eum faciat ut ſacrum formaliter, ideſt ſaltem ut in tali ſocietate ſacrum. Id enim niſi neceſſe foret, ut quiſquis actum illum poneret etiam privatim, & non rogatus, verum conficeret Sacramentum: atqui tamen non conficit. Minorem concedunt Juenin, Serry, & alii recentiores: unde prob. major. Ille verum conficeret Sacramentum, qui faceret totum id quod exigit Eccleſia: atqui homo ille faceret totum id quod exigit Eccleſia. Nullibi enim requirunt Synodi Florentina & Tridentina, ut Miniſter, niſi intentione carere velit, adeoque perperam operari, vel poſtulatus agat, vel in loco ſacro; ſed ſolum ut formam applicet materiæ, cum intentione faciendi id quod facit Eccleſia; ergo.

Et vero explicent adverſarii, ſi poſſunt, an valide baptizet, qui baptizat in templo, ſed neſcit ſe in templo eſſe. Si non baptizet; ergo theſim ſuam reſtringant, & fateantur poſſe hominem aliquando non obſtantibus loci circumſtantiis, ſerio agere, nec tamen operari Sacramentum. Si baptizet; dicant quæ tanta ſit materialis in loco ſacro exiſtentiæ vis & efficacitas, ut hominem erigat in Miniſtrum Eccleſiæ, non modo præter mentem, ſed & contra mentem ipſius.

Confirm. 3. Non magis ſeria ritus exterioris frequentatio cum interiori deriſione facit id quod facit Eccleſia, quam exterior ritus ejuſdem deriſio cum interiori & ſeria intentione, impediat id quod facit Eccleſia: atqui hæc non impedit. Si quis enim internum haberet animum pueri baptizandi, & exterius, ne pro Chriſtiano haberetur, verba jocoſe a ſe proferri fingeret, & ita fingeret, ut ipſum Baptiſma derideri crederetur, ſtaret nihilominus Sacramentum, quamvis tunc deeſſet externa intentio; prout docent Card. de Lugo, Maſtrius, aliique omnes docere debent; ergo cum contrariorum contrariæ ſint rationes, ubi deeſt interna intentio, ibi, quantumcumque ſerio peragatur exterior ritus, neceſſario deeſt intentio faciendi quod facit Eccleſia.

Prob. 5. quia inter triginta & unam Propoſitiones, quas die 7. Decembris, an. 1690. proſcripſit Alexander VIII. extat hæc n. 28. *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit: Non intendo facere quod facit Eccleſia*: porro in ſyſtemate Catharini Miniſter omnem ritum externum obſervat, nec aliunde deficit, niſi quod reſolvat *intus in corde*

ſuo,

ſuo, Non intendo facere quod facit Eccleſia: ergo proſcripta hac Propoſitione videtur & ipſum Catharini ſyſtema proſcribi.

Reſpondent 1. Decretum hoc, ut pote Inquiſitionis Romanæ fœtum, nullius, præſertim in Gallia, eſſe momenti.

Refelluntur, quia etſi hujuſmodi Decreta non valeant in Galliis, ſeu in eo quod pertinet ad cenſuras, ſeu dum Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus, Regumve noſtrorum juribus adverſantur; haud tamen quaſi futilia haberi poſſunt in iis quæ ad fidem attinent, cum a Romano Pontifice approbata ſunt, prout approbatum eſt præſens Decretum. Hinc hactenus Noſtrates hujuſmodi definitionibus uſi ſunt, ut ſua in fide & moribus placita aſtruerent. Ecquis ſuæ alienæque ſalutis ſtudioſus, externæ intentionis ſufficientiam tueri auſit, ſi hanc a Romana Eccleſia pure & ſimpliciter rejectam eſſe ſincere credat?

Reſpondet 2. Serrius ſe Romæ fuiſſe cum Decretum illud conditum eſt, ibidemque a nonnullis primæ notæ Conſultoribus didiciſſe, nihil definitione iſthac contra Catharini ſententiam actum fuiſſe. Idque, ait, adeo verum eſt, ut ejus opinio perſæpe Romæ publicis in Theſibus defendatur, approbante, juxta loci morem, Apoſtolici Palatii Magiſtro; & eam expreſſe tueantur tum Genettus, cujus Theologia moralis Clementis XI. nuncupata eſt, eodemque annuente Venetiis edita; tum Auctor *Summæ Alexandrinæ*, quæ Romanis typis impreſſa eſt. Si quæras, quid igitur percellere voluerit Alexander VIII. reſpondet idem Scriptor, diſtrictam fuiſſe cenſuram in Lutheri errorem, qui *a nonnullis male feriatis imprudenter recudebatur in Belgio*. *Serry p. 94.* *Ib. p. 103.*

Refellitur pro poſtrema parte. Siquidem evidens eſt damnatam propoſitionem nihil habere quod errorem Lutheri redoleat: nam 1. propoſitio de eo ſolum loquitur, qui *intus* & *apud ſe*, atque *in corde ſuo* reſolvit, *Non intendo facere quod facit Eccleſia:* atqui hæc verba in ſenſu obvio & naturali exteriorem jocum excludunt; & aperte deſignant, illud propoſitum non faciendi quod facit Eccleſia, ſic intus latere in animo, ut exterius ſe non prodat; 2. de eo loquitur propoſitio, qui *omnem ritum externum* ſervat: atqui non omnem Eccleſiæ ritum ſervaret, qui ageret mimice; Indubie enim ad Eccleſiæ ritum pertinet ſeria formæ ad materiam applicatio; 3. quia Alexander VIII. prædictam propoſitionem, non ut dogma fictitium proſcripſit, ſed ut opinionem, quæ a quibuſdam Catholicæ communionis Doctoribus, non ſecus ac aliæ eodem Decreto reprobatæ, tenebatur: atqui, quidquid dicant Serrius, & Juenin in ſua Sacramentorum Theoria, nullus *in Belgio* aut alibi profeſretur illius temporis Scriptor, qui eo uſque *male feriatus* fuerit, ut Lutheri de jocoſæ intentionis ſufficientia errorem renovaret; ergo.

Nec nocet id quod addit Serrius de facta ſibi a quibuſdam Romanis Conſultoribus declaratione: tum quia major publicis monumentis debet haberi fides, quam privatis hujuſmodi declarationibus, quarum aliæ aliis non raro adverſantur; tum quia fieri poteſt ut Conſultores illi aliam Catharino affinxerint opinionem, quam quæ ejus revera ſit, prout Tournelyo contigit, quem Catharini mentem male reddidiſſe probat Lambertus Gaud, p. 17. edit. 2.

Quod addit idem Serrius, externæ intentionis ſufficientiam perſæpe Roma-

Gaud. p. 172. Romanis in theſibus defendi, falſum eſt, prout teſtatur idem Gaud, qui contrarium didicit a probatiſſimis teſtibus, quorum alter annos 15. alter an. 30. Romæ exegerat; quique rebus, quo potuere ſtudio, inquiſitis, neminem repererunt, qui eamdem ſententiam poſt Alexandri VIII. Decretum in Urbe defenderit, aut defendere auſit. Et vero ſi tanta eſſet Romæ alterutram opinionem tuendi libertas, haud redarguiſſent Romani Cenſores hanc Nat. Alexandri theſim: *Ad validitatem Sacramenti ſufficit intentio interna Miniſtri;* & eam tamen bis redarguerunt, ut conſtat ex ejuſdem Nat. Alexandri ſcholio 2. ad calcem Diſſertationis 14. in XIII. & XIV. ſæculum, &c.

Quod ad Genettum & *Summæ Alexandrinæ* auctorem ſpectat, negat idem Scriptor eos vel minimum Catharino conſentire. Ei quidem conſenſit Jueninus; ſed quid tum? an delatus eſt Liber ejus ad Sedem Apoſtolicam? an approbat Roma, quidquid non tangit? an Romæ probaretur, quod ait idem Auctor, *judicia a Romana inquiſitione* in hujuſmodi materiis *lata, per ſe, etiam quoad forum interius, Gallos non obligare?* Quid quod Romæ non proſcribuntur Opera varia, quæ Catharini opinionem ab Alexandro VIII. reprobatam eſſe contendunt? & ea tamen proſcribi congrueret, ſi habendum foret pro certo intactam manſiſſe Theologi hujus ſententiam; cum in Apoſtolicam Sedem haud leviter delinquat, qui veritatem aliquam ab ea reprobatam eſſe contendit.

Reponit 3. idem Serrius, damnatam propoſitionem loqui de Miniſtro, qui intra ſe diceret, *Non intendo facere quod facit Eccleſia:* atqui, ait, in ſyſtemate noſtro Miniſter id dicere non poteſt. Scilicet enim in noſtro ſyſtemate ſupponimus Miniſtrum ſerio & libere facientem quidquid Eccleſia facit: atqui implicat ut Miniſter ſerio & libere faciens quod facit Eccleſia, intus intra ſe dicat, *Non intendo facere quod facit Eccleſia.* Quomodo enim ſerio & libere faceret, niſi facere intenderet? eſſet ſane proteſtatio hæc facto contraria; ergo.

Refellitur reſponſio hæc, quam quiſque primo intuitu merum ſophiſma eſſe ſentit; & cui tamen tota innititur Catharinei ædificii moles: unde ad 1. & 2. neg. min. etſi enim qui ritum exteriorem libere ponit, nec intra ſe nec extra dicere poteſt, Nolo ritum exteriorem ponere; poteſt tamen ut extra, ſic & intra ſe dicere, Nolo ritum hunc ponendo, intendere quod intendit Eccleſia; vel, Nolo ritum hunc facere ut ſacrum in Eccleſia, ſed ut mere naturalem: porro qui id dicit, caret intentione interna; & ita caret, ut juxta adverſarios ipſos, invalide baptizet, ſi privatim & non rogatus baptizet. Certe enim ubicumque valide baptizat, qui interius facere vult quod facit Eccleſia.

Prob. 6. ex S. Thoma pluribus in locis: ſic ille 3. p. q. 64. art. 10. *Intentio Miniſtri poteſt perverti dupliciter; uno modo reſpectu ipſius Sacramenti, puta cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſorie aliquid agere; & talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem exterius manifeſtat;* ergo ſive manifeſta ſit, ſive occulta Miniſtri intentionem ſuam pervertentis deriſio, tollitur veritas Sacramenti. Vox enim *præcipue*, qua ſæpenumero utitur S. Thomas, nunquam apud eum niſi comparate ſumitur: unde ſicut qui dicit, nihil faciendum eſſe in templo quod immodeſtiam redoleat, *præcipue* cum expoſitum eſt altaris

Sacra-

Sacramentum, non negat, ſed aſſerit potius, nuſquam fas eſſe in templo recedere a gravitatis legibus; ſic in propoſito, qui dicit intentionem perverti *præcipue* per deriſionem apertam, ſupponit eam occulta etiam deriſione perverti. *Vid. Gaud. pag.* 175.

2. idem S. Doctor ibid. q. 66. art. 8. hanc ſibi n. 3. objectionem proponit: *Si trina immerſio non ſit de neceſſitate Baptiſmi, ergo ad primam immerſionem conſequitur aliquis Baptiſmi Sacramentum; ſi ergo addatur ſecunda vel tertia*, immerſio cum totali forma, uti ſupponit S. Thomas, *videtur quod ſecundo vel tertio baptizatur, quod eſt inconveniens*. Sic vero nodum hunc ſolvit: *Dicendum, quod ſicut ſupra dictum eſt, intentio requiritur ad Baptiſmum; & ideo ex intentione Miniſtri Eccleſiæ, qui intendit unum Baptiſmum dare trina immerſione, efficitur unum Baptiſma.∴ ſi vero intenderet ad unamquamque immerſionem unum Baptiſma dare, ad ſingulas immerſiones repetens verba formæ, peccaret; quantum in ſe eſt, pluries baptizans*. Unde ſic: Si ad valorem Sacramenti ſufficeret ſeria & libera formæ ſupra materiam applicatio, quiſquis per trinam immerſionem baptizando, proferret formam ad ſingulas immerſiones, Sacramentum conficeret in prima immerſione, quantumvis illud nonniſi in tertia immerſione conferendum decerneret: atqui tamen id falſum eſt ex citato Doctoris Angelici textu; ergo.

Reſpondet Serrius D. Thomam loqui de Miniſtro qui palam declaret, ſe nonniſi in fine tertiæ immerſionis Baptiſmum conferre velle; prout facit ille qui nunc Baptiſmum in Eccleſia Græca celebrat.

Verum reſponſio hæc cavillandi animum indicat, non cupidinem aſſequendæ veritatis. In eo ſiquidem S. Thomæ loco, ne una quidem vocula eſt, unde conjici queat illum loqui de Miniſtro, qui intentionem ſuam exterius declaret. Quod attinet ad exemplum Græcæ Eccleſiæ, eſt illud prorſus extra rem; cum Græci nonniſi unius perſonæ nomen ad unamquamque immerſionem exprimant; ergo quod ſuſpendatur effectus Sacramenti in hypotheſi S. Thomæ, totum eſt ab intentione Miniſtri.

3. S. Doctor in 4. diſt. 5. q. 2. art. 3. expendens an dæmon in forma hominis apparens baptizare poſſit, reſpondet negative; & poſtea ſubjungit, *quod ſi baptizare ſe fingeret, ſemper eſſet timendum, quod non faceret intentione baptizandi, quæ ad Sacramentum exigitur, ſed intentione decipiendi: quoniam non eſſet probabile, quod tantum bonum homini procuraret, ſicut eſt ſpiritualis regeneratio*: atqui ſi exterior intentio ad veritatem Baptiſmi ſufficeret, haud ita timendum eſſet, ne diabolus careret intentione ad baptizandum neceſſaria. Siquidem pateret ad oculum, an is ageret mimice an ſerio, an in debitis circumſtantiis, an extra; ergo intentio interior, eſt ea ſola qua ne careret, merito timeretur, & hæc proinde juxta Sanctum Thomam eſt neceſſaria.

Reſpondet Serrius prædictum Baptiſma dubium fore, quia dubium eſſet an non oculos & aures ludificaret dæmon, ut id facere videretur, quod ludrica tantum faſcinatione factitaret.

Bene quidem & optime; ſed extra hypotheſim S. Doctoris, qui de ſola intentione ſollicitus eſt eo loci, & de ludicra circa materiam aut formam faſcinatione nihil loquitur.

Ceterum intentio ſpiritualiter regenerandi, etſi in ſe neceſſaria non eſt,

eſt, neceſſario tamen occurreret in dæmone Baptiſmum prout eſt Eccleſiæ ritus intendente: quia cum dæmon certo ſciat ritum baptiſmalem debite peractum, eſſe ex inſtitutione ſua neceſſario productivum gratiæ, non poteſt eum prout Eccleſiæ ritum intendere, quin ſpiritualiter regenerare intendat. Aliunde eſt de pagano aut mago, quod ritum hunc non habet ut cauſam gratiæ, aut ſaltem credit ſe illius effectum impedire poſſe.

4. idem S. Thomas 3. p. q. 64. art. 8. ſic loquitur: *Ea quæ in Sacramentis aguntur, poſſunt diverſimode agi, ſicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptiſmo, poteſt ordinari & ad munditiam corporalem, & ad ſanitatem corporalem, & ad multa alia .:. & ideo oportet quod determinetur ad unum, ideſt ſacramentalem effectum, per intentionem abluentis*: atqui ſi ſufficeret intentio externa, jam ablutio baptiſmalis per nullam aliam abluentis intentionem indigeret determinari ad effectum ſacramentalem. Statim enim ac eadem ablutio rite fieret, eo ipſo non maneret indifferens ad ſanitatem aut munditiam corporis, ſed per ſe totam & neceſſario determinaretur ad eſſe ſacramentale: porro res non ita ſe habent in ſententia S. Thomæ; ergo non credidit S. Doctor ſufficere intentionem externam.

Reſpondent pro more recentiores, ablutionem baptiſmalem ad eſſe ſacramentale determinari per circumſtantias ſeu loci in quo peragitur, ſeu poſtulationis, qua quis ad conferendum Baptiſma invitatur.

Refelluntur 1. quia, ut dictum eſt ſupra, quælibet intentionis determinatio ſupponit mutationem ejus intentionis: atqui implicat in terminis, quod circumſtantiæ qua tales voluntatem mutent. Quod enim interius mutat, agit & modificat interius: atqui extrinſecum ut extrinſecum, non poteſt agere interius; neque revera agit, cum intus ſupponitur eadem perſeverare mentis determinatio; ergo.

Et vero qui ad baptizandum invitatur, per invitationem hanc non mutatur quoad intentionem, niſi mutari velit; quomodo igitur fiet, ut rogatus baptizet valide, qui non rogatus invalide baptizare ſupponitur?

Refelluntur 2. quia ſi S. Thomas indifferentiam intentionis per exteriores circumſtantias ad eſſe ſacramentale determinari crediidiſſet, id ſaltem aliquando expreſſiſſet, noſque grande hoc edocuiſſet miraculum, vi cujus mulier quæ intuitu ſanitatis ſolius duos baptizat infantes, valide baptizet ſecundum, quia baptizare rogata eſt, primum vero invalide, quia nondum rogata erat.

Refelluntur 3. quia ibid. S. Thomas eam in Miniſtro requirit intentionem, *qua is ſe ſubjiciat principali agenti, ut ſcilicet intendat facere, quod facit Chriſtus & Eccleſia*. Quis porro concipiat, hominem diabolo ſoli penes intentionem ſubjectum extra limen templi, ſtatim ut templum ingreſſus eſt, ſubdere ſe Deo tanquam principali agenti; adeoque jam invitum intendere quod facit Chriſtus & Eccleſia. Imo, inquis, intendit volens. Sed quare igitur extra templum erat nolens? & qui fit ut in templo volens ſit, qui in templo nihil plus intrinſece vult, quam volebat extra templum.

Prob. 7. ratione multiplici. Prima ſic proponi poteſt: Non valent Sacramenta quæ iterari poſſunt, ut Extrema-Unctio; ſi ob dubium an valide collata fuerint, denuo ſub conditione etiam tacita conferantur ei, qui ea jam valide ſuſceperat: atqui ſolus intentionis internæ defectus, cauſa eſt cur hæc & ſic collata Sacramenta non valeant. Hic enim

tota

tota quanta eſſe poteſt, occurrit intentio externa, cum & ſerio applicetur forma materiæ; & ſubjectum ſit abſolute capax Sacramenti; & non habeat *Sacramentum extremæ unctionis aliquem effectum, qui ſemper ex oratione Miniſtri conſequatur; omnibus, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti, etiam rite peractis*, ſaltem in ſententia S. Thomæ q. 29. Supplem. art. 8. ergo.

Reſpondet Serrius Sacramentum non poſſe ob dubium conferri ſub conditione, niſi hæc expreſſe & aperte declarata ſit, prout, inquit, ſancitum eſt cap. 2. *De Baptiſmo & ejus effectu*.

Refellitur ex uſu & praxi: unde Henricus a S. Ignatio tom. 3. lib. 5. n. 2658. *Neceſſe non eſt conditionem voce exprimere; ſed ſufficit exprimere mente, ut communis eſt ſenſus & uſus*. Adde quod etſi conditio in collatione Baptiſmi, de quo ſolo loquitur Alexander III. cit. cap. eſſet exterius declaranda, non continuo idem de aliis Sacramentis ſanciendum eſſet. Adde rurſus, quod etſi eadem declaratio in Baptiſmi conditionalis adminiſtratione requiſita foret, haud ſtatim requiſita foret ut prorſus neceſſaria.

Secunda ratio ſic paucis urgeri poteſt. Ideo juxta Adverſarios valet Sacramentum ab interiore mimo collatum, quia is dum ſerio agit, *gerit ſe exterius tanquam Eccleſiæ Miniſtrum*, prout ait Juenin; q. 5. art. 3. §. 1. vel quia non tantum exterius apparet, ſed & revera eſt Eccleſiæ Miniſter, prout loquitur Serrius: atqui nec ſufficit ut quis exterius gerat ſe tanquam Eccleſiæ Miniſtrum; nec qui intus mimice agit, poteſt reipſa eſſe Eccleſiæ Miniſter. Et quidem 1. non ſufficit ut quis dumtaxat ſe gerat ut Eccleſiæ Miniſtrum, prout agnovit Serrius. Qui enim dumtaxat gerit ſe ut Eccleſiæ Miniſtrum, vult ſolum exterius apparere Eccleſiæ Miniſter: porro non conficit Sacramentum, niſi qui vere eſt Miniſter Eccleſiæ, aut ſaltem Chriſti.

2. Nec reipſa Eccleſiæ Miniſter eſſe poteſt, qui intus deriſorie agit, aut externum ritum frequentat ut profanum vel mere naturalem. Nam 1. ut quis reapſe ſit, non autem exterius tantum appareat Eccleſiæ Miniſter, neceſſe eſt ut ſubdat ſe Chriſto tanquam principali agenti, & id facere velit, quod fecit Chriſtus: porro qui unum id ambit, ut Chriſti ritum derideat, aut qui in ejus exercitio nihil niſi naturale commodum intendit, is utique non ſubjicit ſe Chriſto tanquam principali agenti, &c. 2. nemo Eccleſiæ Miniſter eſſe poteſt, niſi ſit & Chriſti Miniſter: ſed qui vult tantum jocari & fingere exterius, &c. nullo modo eſt Miniſter Chriſti, nec ab eo habetur ut talis, talis licet hominibus appareat: unde ſicut Eccleſia non haberet ut Miniſtrum, quem omnia per jocum agere conſpiceret, ſic nec Chriſtus, cui patent omnia, eum pro ſui Miniſtro habere poteſt, quem plene novit per jocum interiorem, externum ritum peragere; 3. quia nemo Chriſti Miniſter eſſe poteſt, niſi poteſtate ſibi a Chriſto conceſſa uti velit: ſed qui ritum exteriorem vel ludendo, vel ut rem mere profanam exercere vult, data ſibi a Chriſto poteſtate uti non vult, ut per ſe patet: nec enim Chriſtus dedit hominibus poteſtatem lavandi naturaliter, aut ſerio verba baptiſmalia proferendi; cum hanc quiſque poteſtatem habeat independenter a Chriſto; ergo.

Reſpondet Serrius equidem hominem hunc non velle voluntate privata, uti poteſtate ſibi conceſſa a Chriſto, ſed id velle voluntate miniſteriali, quam neceſſario habet, quiſquis ſponte ac libere ritum a Chriſto inſtitutum debitis in circumſtantiis exercet: unde ſimilis eſt Judi-

ci, qui pro tribunali ſedens, auditis antea partibus, gravi voce, vultu, habituque Senatorio, ſententiam his dicit verbis: *Titium innocentem pronuntio;* quæ quidem ſententia valet, quantumcumque renitatur intus, qui eam exterius profert.

Refellitur, 1. quia reſponſio hæc mirum in modum favet Lutheranis: hi enim eadem, qua Serrius, facilitate reponent, mimum exteriorem, etſi voluntate privata rem ſacram perficere nolit, velle id tamen miniſteriali voluntate, eo ipſo quo libere materiam applicat ad formam: præſertim cum in ipſo theatro quandoque vere fiant, quæ fiunt ad ludum; ut in iis patet, qui convivium repræſentaturi, vina, dapeſque afferri curant, quibus dubio procul non in ſpeciem, ſed reapſe veſcuntur? 2. quia eadem reſponſio, ut pene omnes Adverſariorum, ſupponit id quod in quæſtione eſt. Nimirum ambigitur inter nos, an in Miniſtro totis viribus renitente, occurrat ea voluntatis ſpecies, quæ Chriſti Miniſtris neceſſaria ſit, & per quam id intendant, quod Eccleſia: porro id quidem ſic eſſe ſupponit Serrius, ſed non probat.

Nec nocet exemplum Judicis, qui, etſi contra mentem, abſolvit, dum ſedet pro tribunali, &c. quia in rebus adeo diſparatis, nulla eſt ab una ad aliam conſecutio. Alioqui enim ſicut invalide abſolvit Judex, qui cum interiori etiam animo extra debitas circumſtantias ſententiam profert, ſic invalide baptizaret, qui privatim & non rogatus ablueret infantem cum vera ejuſdem baptizandi intentione; quod tamen nemo huc uſque dixit. Inſuper ſicut valeret ſententia Judicis, tametſi illius formam eſſentialiter, ſed nullo advertente vitiaſſet, ſic valeret Sacramentum, quamvis forma eſſentialiter, ſed ſecreto immutata fuiſſet. Denique quia falſum eſt Judicis ſententiam in caſu propoſito valere ex parte Judicis; reipſa enim nulla eſt in ſe; & quidquid habet roboris, deſumit ab extrinſeco, nimirum ab implicito Reipublicæ conſenſu, cujus auctoritate firmantur ea etiam quæ in ſe ipſis non valent, quoties exterius ſervatæ videntur formalitates legibus præſcriptæ: id autem de Sacramentis dici non poteſt; cum Eccleſia Sacramentum quod de ſe nullum eſt, ſuo conſenſu ratum facere nequeat. Adde quod Judex, ut pote qui certo ſciat, ſe valorem ſententiæ, quam ſerio exterius protulerit, impedire non poſſe, non poſſit, niſi inſaniat, efficaci voluntate velle ſerio ferre ſententiam, quæ nullius apud populos ſit momenti: contra vero impius Sacramentorum Miniſter, cui perſuaſum eſt eadem Sacramenta poſſe per internam intentionem caſſa fieri, velle poſſit expreſſa intentione eadem facere irrita; ergo celebre Judicis exemplum, vel nihil, vel contra Adverſarios probat.

Tertiam rationem ſuppeditat Lugo diſp. 8. n. 28. his pene verbis: Miniſter debet operari in Sacramentis ut miniſter Chriſti: atqui non poteſt quis operari ut Miniſter alterius, niſi habeat animum operandi nomine illius. Si enim meam & Pauli pecuniam in eleemoſynas paratam gerens, largiar mendico ſtipem nomine Pauli, intus tamen nonniſi nomine meo eam largiri velim, tunc donum donatario cedet nomine meo, non autem nomine Pauli, quantumcumque exterius appareat oppoſitum; unde & erogandæ ſtipis voto, ſi quod emiſerim ſatisfaciam; & Paulo, ſi quo de caſu rem ſuam repetat, totam tenebor refundere; ergo a pari in Sacramentis non agam Chriſti nomine, ſi in alio quocumque agere velim.

Ex-

Expenduntur alterius partis momenta.

Objic. 1. Præcipuum intentionis internæ fundamentum deſumitur ex Conciliis Florentino, & Tridentino: atqui Concilia hæc nihil reapſe in gratiam internæ intentionis ſanxerunt. Ea enim Concilia nihil de facto definierunt, poſt quæ non minus quam antea liberum fuit unicuique quod vellet opinari: atqui poſt prædicta Concilia ∴ Prob. min. quia S. Antoninus qui poſt Florentinam Synodum ſcripſit, expreſſe dicit utramque ſententiam *ſuſtineri poſſe*. Ultra progreſſi ſunt, qui Tridentino interfuerant Conventui Catharinus & Salmeron; cum ambo pro intentione externa pugnaverint. Et vero nihil niſi contra Lutheranos hac in re definitum fuiſſe ſcribunt ex æquo Suavis, & Palavicinus Lib. *6.* Hiſtor. c.*6.*

Reſp. 1. neg. maj. ſublato enim utroque Concilio opinio noſtra non deſineret & *communior* eſſe *& tutior*, prout erat temporibus Petri Paludani, qui diu ante Florentinam Synodum ſcripſit; eſſet quoque conſentanea magis principiis S. Thomæ; demum variis inniteretur momentis, quorum aliquot protulimus: atqui in negotio ad Sacramenta ſpectante opinio iis donata characteribus, de ſe habet quod alii cuicumque præponatur; ergo.

Reſp. 2. diſt. min. Concilia hæc nihil definierunt explicite, C. implicite, N. Itaque Synodus Tridentina, quæ, ut loquitur Palavicinus Lib.4. Hiſtor. c. 10. *collecta fuerat non ad decidendas opiniones, ſed ad errores recidendos*, nihil expreſſe ſtatuit contra intentionem externam; unde ſalva fide quæſtio hæc utramque in partem diſputari perrexit. Fatendum tamen ejuſdem Synodi principia nobis multo plus quam adverſariis favere: atque id non obſcure indicavit Eccleſia Romana, cum per Alexandrum VIII damnavit hanc Propoſitionem: *Valet Baptiſmus*, &c. *Supra p.*
Idem hinc patet quod e Romanis Scholis exulet nunc externa intentio, 92.
prout diximus ſupra.

Inſt. 1. ex prædictis Conciliis, ad Sacramenti valorem ſufficit intentio faciendi quod facit Eccleſia: ſed qui externum ritum ſerio celebrare intendit, intendit facere quod facit Eccleſia. Eccleſia enim nihil aliud facit quam ritum illum, qui in debita formæ ſupra materiam applicatione poſitus eſt; ergo.

Reſp. ad 1. diſt. min. qui externum ritum, ut quid minime profanum, ſeu ut cæremoniam ſacram celebrare intendit, intendit facere quod facit Eccleſia, C. qui externum ritum quocumque modo celebrare intendit, N. Itaque quod ad Sacramenti valorem non ſufficiat præciſe ritus exterior etiam ſerio peractus, ipſi hodie confitentur adverſarii, qui contra, vel præter Catharini mentem, ritum hunc inefficacem eſſe cenſent, niſi in debitis circumſtantiis fiat. Paulo ultra progredimur nos; & quia non concipimus quo fieri poſſit, ut circumſtantiæ exteriores per ſe ſolas, & independenter a quocumque voluntatis actu ritum e profano ſacrum efficiant, exigimus ut ritus idem fiat cum intentione interna faciendi quod facit Eccleſia: atqui nec minus tutum eſt id quod exigimus, nec id a nobis perperam exigi probant adverſariorum cavillæ; ergo.

Ad 2. diſt. pariter: Eccleſia nihil facit quam ritum exteriorem, ut diſtin-

diſtinctum a profano, C. nihil facit quam ritum exteriorem ſecundum ſe præciſe & materialiter ſumptum, N. Certe enim aliud intendit Eccleſia, quam intendat mulier quæ ſanitatis cauſa puerum abluit in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis: atqui tamen conſtat 1. mulierem hanc invalide baptizare, ſi nec rogata, nec in templo baptizet. Conſtat 2. probari efficaciter non poſſe, quod eadem mulier valide baptizet, ſi vel rogata, vel in templo faciat id, quod privatim inutiliter faciebat; ergo cum Eccleſia certo & efficaciter baptizare velit, conſequens eſt eam per ritum exteriorem aliquid ab ipſo ritu præciſe ſumpto diverſum intendere: iſtud vero nihil aliud eſſe poteſt, quam ratio ritus ut ſacri.

Inſt. 2. Ea Eccleſia ſolam ritus externi poſitionem exigit, quæ nihil exigit aliud quam ritum exteriori & aperto joco oppoſitum: atqui Eccleſia ad Sacramenti valorem nihil aliud exigit ∴ Prob. min. ex tribus Concilii Tridentini locis, quorum in primo, nimirum Seſs. 7. Can. 11. decernit Sacra Synodus *in Miniſtro requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia*. In ſecundo, nempe Seſs. 14. de Pœnit. c. 6. ait intentionem hanc deeſse, *ſi Sacerdoti deſit animus ſerio agendi, & vere abſolvendi*. In tertio, ibidem ſcilicet, manifeſte oſtendit, intentionem hanc ei ſolum deeſſe, qui jocularitèr & per ludum abſolvit: unde his concludit verbis, quæ profecto internæ intentionis defenſoribus haud ſufficerent: *Nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem joco ſe abſolventem cognoſceret; & non alium ſerio agentem requireret;* quibus *ex verbis*, ait Palavicinus Lib. 12. Hiſt. c. 10. *conjicere poteſt quiſquis ea legerit, non eſſe rejectam ſententiam Catharini, aliorumque Theologorum, opinionem ∴ valori Sacramentorum dumtaxat obeſſe jocum, quem ipſe Sacramentum ſuſcipiens cognoſcere poſſit*: ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. neg. ant. pro tertia parte: Aliud enim eſt dicere cum Tridentino, negligentiſſimum fore ſalutis, qui per exteriorem dumtaxat jocum abſolutus, non quæreret abſolvi ſerio; aliud dicere cum omnem qui exterius ſerio abſolvitur, ſemper valide abſolvi. Primum dixit & merito dixit Synodus Tridentina; at de ſecundo ne ſomniavit quidem; imo illud implicite rejecit, cum ad veram abſolutionem requiſivit animum *vere abſolvendi;* non enim vere vult abſolvere, qui vere & interius vult non abſolvere. Stet igitur, quantum Adverſarii volent, Catharini opinio; at nunquam ſtabit eam Tridentinis verbis magis congruere quam oppoſitam. Et vero non eo uſque ſibi blandiatur intentionis externæ defenſores, ut Tridentini Concilii ſenſum, ſibi quam Eccleſiæ Romanæ notiorem eſſe confidant: atqui tamen ſupra probavimus Romanam Eccleſiam multo magis in noſtram, quam in Catharini opinionem propendere; ergo.
Supra p. 93.

Inſt. 3. Concilia Ebroicenſe an. 1576. Rothomagenſe an. 1581. Turonenſe an. 1583. quæ paulo poſt Synodum Tridentinam habita fuere, ejuſdem Synodi mentem ignorare non potuerunt: atqui tamen Concilia hæc aperte ſuppoſuerunt externam intentionem ad valorem Baptiſmatis ſufficere. Quæ enim Baptiſma a Calvinianis collatum etiam ſub conditione iterari vetant, eo quod conſtet *Calviniſtas in publico cœtu baptizare, in forma verborum & materia a Chriſto inſtituta*, ea ſupponunt valere Baptiſma publice collatum, ſeu Miniſtro adfuerit, ſeu abfuerit intentio

retentio externa : atqui prædicta Concilia Baptiſmum a Calvinianis collatum iterari vetant, &c.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. ſtatim enim ac conſtabat Calvinianos in forma & materia debitis baptizare, moraliter conſtabat eos habere internam intentionem ritum exercendi ut a Chriſto inſtitutum: quia hæc intentio tam familiaris eſt Chriſtianis omnibus, iis præſertim, qui Baptiſmum habent pro Sacramento, ut vix eorum quempiam uno ſæculo reperire ſit, cui ejuſdem retentio jure imputari queat. Et vero qui Baptiſma a Calvinianis datum iterari debere cenſebant, nihil patiebantur dubii circa primam hanc de qua loquimur intentionem: ſed ultra progreſſi, arbitrabantur inſuper neceſſariam eſſe *intentionem baptizandi in remiſſionem peccatorum* : & id quidem, nec immerito a prædictis Conciliis rejectum eſt. *Synod. Ebroic. Gaud p. 222.*

Objic. 2. Ea opinio admitti non debet, quæ conſtanti Eccleſiæ praxi adverſatur: atqui opinio noſtra talis eſt. Ut enim opinio noſtra conſtanti Eccleſiæ praxi adverſetur, duo ſufficiunt, 1. ut Eccleſia ſedulo ſemper iterari curaverit Sacramenta, quæ ſibi dubia vel ſuſpecta videbantur: 2. ut nunquam ſollicita fuerit de Sacramentis rite quoad formam & materiam confectis, etſi multas de interna Miniſtrorum intentione dubitandi rationes habere poſſet: atqui primum conſtat: ſecundum vero non minus evidens eſt. Certe enim e tot impiorum Miniſtrorum myriadibus, qui variis temporum intervallis Baptiſmum contulerunt, plurimi fuere de quibus merito dubitari poſſet, an internam haberent rite baptizandi voluntatem: atqui tamen nullum omni retro ætate apparet veſtigium, unde conjici queat Eccleſiam, cui ſane cordi eſt infantium ſuorum ſalus, quidquam hic anxietatis perpeſſam fuiſſe; ergo.

Confirm. quia Ludovicus Gaufredi, qui an. 1611. Aquis-Sextiis vivus combuſtus eſt, extremis vitæ metis admotus, confeſſus eſt, ſe quotquot toto & amplius biennio, in Maſſilienſi Parochia ſanctæ Mariæ ab aquis fluentibus, vulgo *les Accoules*, infantes luſtraverat, uni diabolo devoviſſe. Sic quoque Philibertus Emmanuel de Beaumnior de Lavardin, Cenomanenſis Epiſcopus, jam moriturus declaravit, ſe eorum quos plures ordinaverat, nullum ſacris Ordinibus initiare voluiſſe. Idem, quod Gaufredus reſeravit, ſacrilegus quidam Eccleſiæ S. Ægidii Pariſienſis Curio; is enim tandem factus Apoſtata, publice faſſus eſt, ſe toto Paſtoralis officii tempore ritum exteriorem perfeciſſe ſerio & diligenter; at quicquid ageretur forinſecus, totum intus retractaſſe: atqui tamen nec Lavardini ordinationes, nec Gaufredi, Ægidianive Parochi baptiſmos iterari juſſit Eccleſia, Unde una omnium inventa eſt illuſtris femina, quæ Pariſiis abluta, denuo tingi voluerit; ceteri vero omnes ſtetere, alii in Ordinibus receptis, alii in priori Baptiſmo; ergo, &c.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. 1. retorqueo argumentum. Interna intentio ad valorem Sacramenti, juxta Serrium & plures alios, neceſſaria eſt, quando Miniſter vel extra templum, vel domi non poſtulatus baptizat: atqui tamen nullibi legitur Eccleſiam inquiſiiſſe, num magis in eo caſu quam in alio quocumque, Miniſter interna intentione donatus fuiſſet: ſed id unum quandoque quæſitum eſt, an exterior ritus legitime peractus eſſet; ergo.

2. neg. min. & dico Miniſtrorum impietatem, quæ in eo ut plurimum

ſita eſt, quod avaritiæ, gulæ aut veneri ſerviant, non eſſe cauſa dubitandi an legitima caruerint intentione: cum experimento compertum ſit e multis depravatorum Sacerdotum millibus, nec unum eſſe, qui de retinenda intentione cogitet. Et vero ſi quis eo furoris deveniret, ut nollet infantem baptizare, is profecto non internæ ſolum intentioni renuntiaret, quam gravibus Theologis ſciret haud videri neceſſariam, ſed, quod facile eſt factu, formam vitiaret, dicendo v. g. *Ego te bapt zo in nomine matris*. Deinde ad quid inquiſitio illa Eccleſiæ, quam commemorat Serrius; an qui ſatis improbus eſt ut intentionem retineat, haud ſatis improbus erit, ut eam a ſe retentam fuiſſe neget? an non periculum eſt ne corrupto viro cogitationem ingeneres, quam is alias nuſquam concepiſſet animos? &c.

Nec dicas, ſaltem præcepturam fuiſſe Eccleſiam, ut nemo niſi cum intentione interiori Sacramenta conferret, ſi hanc neceſsariam exiſtimaſſet: nam 1. neque etiam definiit Eccleſia neceſsariam eſse intentionem, cum quis privatim baptizat, & non poſtulatus: atqui tamen eam tunc temporis neceſsariam eſse fatetur poſt Jueninum Serrius; 2. id ſolum definit Eccleſia, de quo aliquid movetur controverſiæ: porro nihil apud antiquos Doctores dubii fuiſse videtur circa internæ intentionis neceſſitatem: cum altum ſit apud illos ea de lite ſilentium; 3. non conſuevit Eccleſia quæſtiones, quæ Catholicos inter ſuboriuntur, definire, niſi eliquatæ ſint; 4. ubi tamen iis de rebus interrogari cœpit Apoſtolica Sedes, jam & ſtatim in opinionem externæ intentioni adverſam manifeſte propendit. Sic præcepit Gregorius III. in Epiſt. ad Bonifacium, ut rebaptizarentur, qui a malo Presbytero, *Jovi mactante, & immolatitias carnes veſcente*, baptizati erant; nec, rebus bene penſatis, id alia de cauſa præcepit, quam quia perverſi hominis intentionem revocabat in dubium. Sic Concilia Florentinum & Tridentinum, cum requiſiere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, aliquid requirere viſa ſunt diverſum ab intentione ſimulandi quod facit Eccleſia. Sic Innocentius XI. hanc perſtringendo Propoſitionem: *Non eſt illicitum in Sacramentis conficiendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore*, lethalem Catharini opinioni ictum impegit, ut quæ & minus tuta ſit, & probabilitatis metas non excedat. Sic cum Sacra Congregatio Tridentini Concilii interpres, juſſit iterari ſub conditione ordinationem Clerici, infra legitimam ætatem conſecrati ab Epiſcopo, qui ad terrorem proteſtari ſolebat, ſe non aliis, quam qui debitam ætatem attigiſsent, Ordines conferre velle; judicavit utique dubiam eſse hanc ordinationem, ob dubium internæ intentionis defectum: conſtabat enim materiam & formam eidem Clero, ſicut & ceteris, rite applicatas fuiſse. Sic demum eo tendit cenſura ab Alexandro VIII. huic inuſta propoſitioni: *Valet Baptiſmus*, &c.

V. Gaud p. 153.

V. Fagnan in cap. Tue Litteræ, De Cleric. per ſalt. prom.

Supra p. 167.

Quod ſpectat ad facta Gaufredi, Lavardini, &c. quæ infida prorſus narratione a Serrio relata ſunt, dico 1. a veritate alienum eſse, quod Gaufredus inſtante morte declaraverit, ſe, quos abluerat infantes, abſque intentione mentali, & in nomine dæmonis baptizaſse. Increbuit quidem is de eo rumor poſt mortem illius, hinc forte quod Magdalena Paludana, jam rite baptizata in nomine Trinitatis, pluries aſseruerit ſe a Gaufredo in ſagarum conventu baptizatam fuiſse in nomine diaboli;

boli; quod ipſe demum confeſſus eſt Gaufredus: verum id ſcelus homini nefario perperam attributum fuiſſe patet, tum quia nihil de eo tradidit Auctor Tragicarum Hiſtoriarum, qui ſecundo poſt ſupplicium Gaufredi anno Opus ſuum edidit, & tamen immania quæque de eodem impio Sacerdote mandavit poſteris; tum quia Gaufredus idem, etſi de ſcelestis quibuſcumque ſub tortoris manu interrogatus fuerit, nuſquam tamen de retenta in Sacramentis intentione poſtulatus eſt, ut conſtat ex inſtrumentis ad ejuſdem cauſam ſpectantibus, quæ diligenter a teſtibus fide digniſſimis luſtrata fuere. Gaud. p. 234.

Idem de Lavardini ordinationibus dicendum: etſi enim is coram Parocho S. Sulpitii, qui Pariſiis morienti Viaticum adminiſtraturus erat, declaravit, ſe dolere quamplurimum, quod ſæpius ſine cauſa abſuiſſet a ſua Diœceſi; ne una tamen vocula indicavit fictitiam illam in collatis Ordinibus retentionem intentionis: unde ſparſus ea de re rumor, mera eſt calumnia, prout declaravit tum Sambovius tom. 3. caſ. 17. tum Nicolaus l'Herminier in Eccleſia Cenomanenſi Archidiaconus de Paſſajo, qui rem totam ab iis qui cum Lavardino vixerant, edoctus erat; tum R. Dominus Joannes Couty Miſſionis Gallicanæ Præpoſitus Generalis, qui & ipſe rei veritatem Cenomani didicerat a viris gravibus Lavardini coætaneis.

Dico 2. falſum eſſe quod ſive a Gaufredo baptizati, ſeu præcipue ordinati a Lavardino, tranquilli ſteterint hi in Ordinibus, illi in Baptiſmo. Conſtat enim ſeu Regularium, ſeu Sæcularium plures, qui ab eodem Epiſcopo inaugurati fuerant, falſo rumore deceptos, Ordines denuo recepiſſe. Fertur quoque eorum quos baptizaverat Gaufredus, plures denuo fuiſse baptizatos.

Haud inficiamur quidem multos extitiſſe, qui vel Baptiſmo priori vel Ordinibus primo ſuſceptis inhæſerint conſtanter. At ſi id a quibuſdam factum eſt ob exiſtimatam externæ intentionis ſufficientiam, pro qua certabat Sambovius, vir magni in moralibus nominis; a multo pluribus fieri potuit, ſeu quia noverant mendacem eſſe famam quæ ſpargeretur; ſeu quia explorati juris eſt, non eſſe credendum turpitudinem ſuam alleganti, niſi dicti ſui veritatem ſolide probet. Et certe quæ fides Gaufredo, homini ſcilicet, qui etſi utcumque peccata confeſſus eſt, priuſquam flammis traderetur; voluntare tamen obſirmata in peccato egit animam, quam aereis Poteſtatibus aggregatum iri ſtulte & impie confidebat? Quæ fides Fuſyo illi, quem alii S. Ægidii, alii S. Bartholomæi Paſtorem faciunt; quique turpis Apoſtata Genevam confugiſſe fertur, ubi vel hæreticorum probris dignus ſit, qui pueros in nomine diaboli baptizet? Utique locus eſt dubitandi, an viri ſcelesti, qui jam Eccleſiæ nocere non poſſunt, nolint quietem ejus turbare, eamque novis implicare ambagibus, aſſerendo ſe male baptizaſſe, quos rite baptizaverint.

Dico 3. Eccleſia, ſi confecta ab iis qui intentionem ſuam retinuerant, aut retinuiſſe fingebantur, Sacramenta non juſserit iterari; at nec etiam prohibuiſset ne iterarentur; prout tamen in oppoſito ſyſtemate prohibere debuerat, ob certam, ut adverſarii volunt, ſecundi Sacramenti nullitatem.

Objic. 3. cum Contenſonio & aliis: Valet Baptiſma ab infidelibus, Judæis, v. g. Paganis, imo & Atheis collatum: atqui infideles illi

G 4 nec

nec habent nec habere poſſunt veram & internam intentionem faciendi id quod facit Eccleſia. Major & minor ſeorſim probandæ ſunt.

Prob. itaque major, 1. ex Nicolao I. in Reſponſo ad Conſulta Bulgarorum cap. 104. apud Gratian. diſt. 4. *De conſecrat.* c. 24. ubi ſic legitur: *A quodam Judæo*, (*) *neſcitis utrum Chriſtiano an Pagano*, *multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis*, *& quid de iis ſit agendum conſulitis. Hi profecto ſi in nomine Sanctæ Trinitatis* ∴ *baptizati ſunt* ∴ *conſtat eos non eſſe denuo baptizandos*; 2. ex cap. *Si quis per ignorantiam* 59. 1. q. 1. ubi dicitur *Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi*, *licet Paganus ſit qui baptizat*; 3. ex Innocentio IV. qui in cap. *Si quis puerum*, *De Baptiſmo*, Baptiſma a Saraceno notorio collatum valere declarat, etiamſi Paganus ille totum id quod agit, *truffam & deceptionem reputet*; 4. ex S. Thoma 2. 2. q. 39. art. 4. ad 1. & alibi ſæpius. Unde.

Prob. min. Illi ſeriam habere non poſſunt intentionem faciendi id quod facit Eccleſia, qui ſerio velle non poſſunt intentionem ſuam intentioni Chriſti conformare, ſeque gerere ut Eccleſiæ Miniſtros: atqui prædicti infideles id ſerio velle non poſſunt. Qui enim Chriſtum habent pro ſeductore, a quo nulla Sacramenta inſtitui potuerint; qui Eccleſiam cenſent nihil aliud eſse quam congregationem vel impiorum vel amentium; qui cęremonias ejus mera impoſtoris animi commenta eſse exiſtimant; illi dubio procul nec ſuam intentionem Chriſti intentioni conformare, nec ſe ut Eccleſiæ Miniſtros ſerio gerere velle poſſunt: atqui citati infideles Chriſtum habent pro ſeductore, &c.

Confirm. Intentio mentalis eſt ſerius & efficax voluntatis actus, ex amore finis in mediorum electionem prorumpens: atqui ſerio & efficaciter Sacramentum intendere non poteſt, qui ritum aliquem non ut Sacramentum habet, ſed ut deceptionem & impoſturam. Voluntas enim, ut pote facultas cæca, ſicut incognita velle nequit, ſic nec ea, quæ ut profana percipit intellectus, ſancta & ſacra judicare poteſt; non magis ergo poteſt Judæus ritus Chriſtianos perficere ut ſacros, quam poſſit Chriſtianus ritum circumciſionis ut ſacrum peragere, quandiu eum Religioni & Evangelio, cujus fidem evacuat, contrarium eſse credit.

Reſp. 1. palmare hoc adverſæ partis argumentum, in eos a quibus proponitur, militare: ſcilicet enim ad Sacramenti validitatem requiritur ad minus intentio externa: atqui poſito adverſariorum diſcurſu, deeſt ea intentionis ſpecies ſaltem Judæis & Paganis notoriis. Qui enim publice & manifeſte Eccleſiæ ritus peragunt ut profanos, & abominabiles, illi ne externam quidem intentionem habent: atqui in hypotheſi adverſariorum Judæi & Pagani notorii, Eccleſiæ ritus nonniſi ut profanos & abominabiles peragunt & peragere cognoſcuntur; ii enim non aliter peragunt, quam peragere poſſint: atqui ex adverſariis Judæi nonniſi ut profanos peragere poſſunt Chriſtianorum ritus; idque nemini dubium eſse poteſt, ſi ſtet adverſariorum objectis; ergo non magis ſerio baptizant, quam ſi ante Baptiſmi celebrationem declaraſsent, ſe nec velle, nec poſse ſerio baptizare.

Reſp. 2.

(*) De hoc textu conſule Antonium Auguſtinum de emendatione Gratiani Lib. 2. Dialogo 18. p. 199. edit. Baluz. ubi pro *A quodam Judæo*, vult legi, *a quodam viro*, prout habetur *in Libro Cæſarauguſtano*.

Reſp. 2. ad 1. & 2. neg. min. quamvis enim Judęi & Pagani non poſſint Eccleſiæ ritus peragere ut in ſe ſacros, poſſunt tamen eos peragere velle ut ritus qui in Chriſtianorum ſocietate habentur pro religioſis & ſacris: atqui eo ipſo, velint, nolint, conformant ſe intentioni Chriſti, ſeque gerunt ut Eccleſiæ Miniſtros; cum ex omnium hodie, præſertim vero adverſariorum confeſſo, neceſſe non ſit ad rationem Miniſtrorum Eccleſiæ, ut ejuſdem ritus intendant tanquam gratiæ productivos, vel ut ſacramentales; ergo.

Ad confirmationem, nego ſuppoſitum minoris, & dico non requiri ut Miniſter Sacramentum conficere intendat, ſed ſatis eſſe ut intendat peragere ritum, quem a Chriſtianis haberi ſcit pro religioſo: in hac enim intentione implicite continetur intentio producendi Sacramenti effectum, & Sacramentum ipſum conficiendi.

Nec obeſt, ſed potius favet exemplum circumciſionis, quod ſponte objiciunt adverſarii. Quamvis enim Chriſtianus, qui circumciſionis ritum jam habet pro abrogato, eum prout rem in ſe ſacram exercere velle non poſſit; velle tamen poteſt eum perficere ut cæremoniam Judæis ipſis ſacram, & non ut ritum apud omnes nunc profanum: in hac autem hypotheſi circumciſio, ſi per impoſſibile abrogata non eſſet, eoſdem operaretur effectus, quos pariebat ſub antiqua Lege.

Ceterum ſi Judæi, ut & alii quicumque, ſine interna intentione valide baptizarent, nihil eſſet cauſæ cur Romani Pontifices ſolliciti fuiſſent de Baptiſmate ab iis ſub legitima materia & forma collato; quia formæ ad materiam applicatio ſerio facta indubie ſufficeret: atqui tamen conſtat Nicolaum I. de hujuſmodi Baptiſmo anxium & ſollicitum fuiſſe. Prob. min. ex ipſo, quem objiciunt adverſarii textu. Sic enim ibid. loquitur Nicolaus I. *A quodam Judæo, neſcitis utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis*, &c. *ſed primum, utrum Chriſtianus, an Paganus ipſe Judæus extiterit, vel ſi poſtmodum factus fuerit Chriſtianus, inveſtigandum eſt*. Unde duo colligere eſt, 1. male textum hunc adduci ab adverſariis, ut probent valere Baptiſmum a Judæo collatum; hic enim non agitur de viro religione, ſed patria & regione Judæo; cum de viro religione Judæo dubitari non poſſit an Chriſtianus ſit, an Paganus; 2. Baptiſma a Pagano collatum pro ſuſpecto habitum fuiſſe ab eodem Pontifice; cum inquiri voluerit an baptizator ille, Paganus foret, an Chriſtianus. Cur porro ſuſpectum fuit illud Baptiſma, niſi quia prudens erat ratio dubitandi an Paganus qui Baptiſtæ officium affectabat, internam habuiſſet intentionem faciendi id quod facit Eccleſia? atque hinc rurſus ſequitur quod ſicut juxta Gamachæum q. 64. c. 4. ſub finem, & Grandinum pag. 43. clam & ſub conditione denuo baptizandi ſunt qui prius in Atheiſmo & Judaiſmo baptizati ſunt, cum ii vere & ſerio deinceps convertuntur; quia licet fieri poſſit, ut iidem in caſu particulari habeant intentionem Chriſti & Eccleſiæ, id tamen in praxi rarum eſt & difficile; ſic & non improbabiliter dici poſſit iterandum ſub conditione Baptiſma quod ab Atheis, Judæiſve, ſectæ ſuæ ſpecialiter addictis collatum eſſet: quanquam fatendum multo difficilius haberi intentionem ſubjiciendi ſe ritui, qui & contemnitur, & grave Chriſtianiſmi onus inducit, quam eumdem conferendum prout a Chriſtianis conferri ſolet.

Inſt. Innocentius IV. in citatum caput, *Si quis puerum*, *De Baptiſmo*, hæc ſcribit: *Non eſt neceſſe quod baptizans ſciat quid ſit Eccleſia, neque quod gerat in mente facere quod facit Eccleſia; imo ſi contrarium gereret in mente, ſcilicet non facere quod facit Eccleſia, ſed tamen facit, quia formam ſervat, nihilominus baptizatus eſt* Catechumenus. *Unde ſi quis in caſu neceſſitatis, vel etiam ſine neceſſitate vadat ad Saracenum, & dicat, Baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizet, non credens per immerſionem aliquid fieri niſi madefactionem, & non intendens eum baptizare, vel etiam madefacere ſecundum intentionem petentis Baptiſmum .·. vere baptizatus eſt*. Unde ſic: Paganus qui baptizat non intendens facere id quod facit Eccleſia, ſed *contrarium* expreſſe intendens, baptizat cum ſola intentione externa: atqui tamen Paganus ille, ſtatim ut *formam ſervat*, baptizat valide, ex Innocentio IV. ergo ad validitatem Baptiſmi ſufficit intentio externa.

P. 341. Reſpondet Tournelyus, iſtud Innocentii, *Si contrarium gereret in mente*, exponi debere de effectu, quem intendit Eccleſia, & quem ut Miniſter intendat, ad Sacramenti valorem neceſse non eſt. Verum reſponſio hæc etſi commoda, prædictis Innocentii verbis applicari non poteſt. Is ſiquidem Pontifex jam ſuperius rejecerat intentionem producendi effectum Sacramenti; unde aliam in objectis verbis excludere cenſendus eſt. En Innocentii verba unde res tota pateat: *Non videtur neceſſe quoad effectum Baptiſmi, quod* baptizans *ſciat quid ſit Baptiſmus, ſcilicet quod ibi infundatur gratia, vel quod ſit Sacramentum: nec etiam oportet quod credat*, adeoque quod intendat *hoc ipſum; imo etſi contrarium credit, & totum reputat truffam & deceptionem, tamen Baptiſmus ſuum habet effectum. Item non eſt neceſſe quod baptizans ſciat quid ſit Eccleſia*, &c. ut in objectione. Ubi non obſcurum eſt Innocentium duos ſibi proponere caſus, quorum prior in eo ſit, an ad Sacramenti validitatem neceſſaria ſit intentio producendi effectum Sacramenti; poſterior conſequenter de alio quopiam intelligi debeat.

Reſpondent 2. alii Commentarios in Decretales quos edidit Innocentius IV. etſi magno apud omnes in pretio ſint ob ſummam auctoris eruditionem, qui *Maximus Legiſta*, *Pater & organum veritatis*, *Dominus Canoniſtarum* nuncupatus eſt, non aliam habere auctoritatem, quam quæ privato juris interpreti competat. Unde ut ab aliis quandoque diſceſſit Innocentius, ſic & ab Innocentio quandoque ceteri diſcedunt commentatores. Et vero quis eamdem Innocentii prædeceſſorum ſuorum Decretales explicantis, ac Innocentii novas Decretales concedentis rationem habeat? vera quidem eſt iſthæc reſponſio, ſed nobis haud neceſſaria: unde

Reſp. diſt. maj. Paganus qui baptizat, non intendens facere id quod facit Eccleſia, non intendens, inquam, in actu ſignato, vel in actu exercito, ſolam habet intentionem externam, C. non intendens in actu ſignato, intendens autem in actu exercito, N. Itaque intentio dupliciter haberi poteſt, nimirum in actu ſignato, & in actu exercito. Intentio in actu ſignato, ea eſt qua quis apud ſe aliquo ex his modis expreſse reſolvit: *Volo facere quod facit Eccleſia*, *Volo talem ritum peragere ut ſacrum*, *Volo Sacramentum conficere*, *Volo conferre Sacramenti effectum*. Intentio in actu

exer-

exercito ſpectata, ea eſt qua quis attendens ad ritum quemdam, puta baptiſmalem, quem ſcit a Chriſtianis exerceri ſaltem ut ſacrum, vult eumdem ritum peragere prout Chriſtianis proprium, eorumque more baptizare. Fateor quod Paganus de quo apud Innocentium IV. ſermo eſt, non habeat primam intentionis ſpeciem; ſed contendo ei ineſse poſſe ſecundam, & juxta Innocentium ineſse debere. Quod eam habere poſſit, conſtat; quia ad id ſatis eſt ut id facere intendat, quod bene vel male intendit Chriſtiana ſocietas, cum talem ritum exercet. Quod autem eadem intentio ſit ipſi juxta Innocentium neceſsaria,

Prob. 1. quia Innocentius ad Baptiſmi validitatem requirit, ut *baptizans non intendat tantum balneare, vel carnes lavare*: utique enim juxta Catharinum, qui tantum vult balneare vel carnes lavare, valide baptizat, modo ſerio agat; 2. quia poſt objecta hæc verba, *Imo ſi contrarium gereret in mente .·. quia formam ſervat, nihilominus baptizatus eſt*, hæc addit Innocentius, *dummodo baptizare intendat*: atqui ſi crediciſset Innocentius externam intentionem ſufficere, perperam in eo qui abluendo formam ſervat, requiſiiſset intentionem baptizandi; cum ubicumque ſervatur forma ab eo qui ſerio abluit, ibi juxta Catharinum reperiatur intentio externa; 3. quia deciſionem ſuam his concludit verbis Innocentius: *Unde ſi quis .·. dicat* Saraceno, *Baptiza me, & doceat eum formam, & ille Saracenus baptizet, non credens per immerſionem aliquid fieri niſi madefactionem, & non intendat eum baptizare, vel etiam madefacere ſecundum intentionem petentis Baptiſmum, id eſt ut Baptiſmus operetur quidquid operari poteſt; & ipſe baptizans tanquam Miniſter conferat, quod alii baptizantes conferunt; licet non credat ipſum poſſe operari aliquid, vere baptizatus eſt; ſed ſi hoc non intenderet, non baptizaret*: atqui poſtrema hæc verba intentionis externæ ſufficientiam penitus convellunt; cum hujus defenſores pro valido agnoſcant & agnoſcere debeant Baptiſmum a Saraceno rogato collatum, etſi is nihil intendat eorum quæ intendunt *alii baptizantes*; ergo.

Objic. 4. Intentio de qua Patres ſilent, imo quam excludunt pro neceſsaria haberi nequit: atqui Patres de intentione interna altum ſilent, imo eam excludunt; ergo.

Reſp. neg. maj. pro prima parte. Ideo enim Patres de intentione interna ſilent, quia de ejus neceſſitate apud omnes conveniebat. Et vero Patres de intentionis cujuſcumque etiam exterioris neceſſitate ſilent; & tamen hæc ex omnium confeſso neceſsaria eſt. Ceterum ne unus quidem eſt Patrum qui intentionem internam excludat: unde neg. min. pro ſecunda parte.

Inſt. 1. Qui docent malitiam Miniſtri nocere non poſse ei qui Sacramentum recipit, neceſsario excludunt intentionem internam: atqui Patres id docent. Minor liquet ex iis S. Chryſoſtomi verbis Homil. 85. in Joan. *Sacerdos linguam & manus præbet: neque enim juſtum eſt propter alterius malitiam ad ſalutem accedentes offendi*. Prob. itaque maj. quia ſi neceſsaria foret intentio interior, Miniſtri malitia multum nocere poſset, & de facto noceret, quoties Miniſter internam hanc intentionem comprimeret; ergo.

Reſp. diſt. min. Patres docent Miniſtri malitiam non nocere, modo tamen is Sacramentum rite conficiat, ac proinde cum vera intentione faciendi id quod facit Eccleſia, C. non nocere quocumque in caſu, N. Itaque docent Patres malitiam ex improbitate morum petitam, de qua

ſola

ſola loquitur Chryſoſtomus, non nocere ei qui accedit ad Sacramenta: ſed nullibi docent fieri non poſſe per malitiam Miniſtri ut Sacramentum ſuo quandoque fruſtretur effectu. Imo nec id docere potuerunt; alioqui enim valere credidiſſent Baptiſma collatum a Miniſtro, qui vel mimice ablueret, vel corrumperet verba formæ, vel debita materia non uteretur. Haud tamen neceſſe fuit caſus iſtos tangi a Patribus, quia rariſſimi ſunt: decuit econtra moneri fideles nihil Sacramentorum valori obeſſe malitiam morum; quia hæc & frequens eſt, & in dies creſcit.

Inſt. 2. Si Patres internam in Miniſtro intentionem ſupponerent, ſupponerent ſimul eum non ſolum linguam & manus, ſed & mentem præbere: atqui tamen iidem Patres expreſſe docent Miniſtrum *linguam* ſolam, ſolaſque *manus* præbere; ergo.

Reſp. neg. min. ſupponunt enim Patres Miniſtrum prębere manus & linguam, prout præbere debent Miniſtri Chriſti, ejuſque myſteriorum diſpenſatores, ac proinde non ſimpliciter & mechanice; ſed cum intentione mentali. Et vero Sacerdos mimice agens, linguam pręberet & manus; nec tamen valide conficeret Sacramentum.

Inſt. 3. Qui definierunt valere Baptiſma collatum a Miniſtro intendente baptizare in nomine Creatoris & creaturæ, illi dubio procul non exegerunt a Miniſtro intentionem mentalem, ſed linguam ſolam, ſolaſque manus: atqui Patres definierunt .·.· Prob. min. definierunt Patres valere Baptiſma collatum ab Arianis, ut patet ex Can. 8. Concilii I. Arelatenſis ſupra citato: atqui conſtat Arianos ſolum habuiſſe intentionem baptizandi in nomine Creatoris & creaturæ; ergo.

Supra p. 44.

Reſp. 1. ut prius, hinc ſequi ne requiri quidem intentionem externam ad validitatem Sacramenti. Notum ſiquidem omnibus erat eos qui Arianiſmum profitebantur, cum in nomine Filii tingebant, in creaturæ ſolius nomine tingere voluiſſe: atqui, ſi valeat objectio, qui palam tingere volebant in nomine creaturæ, palam carebant intentione faciendi quod facit Eccleſia; ergo his deerat intentio etiam exterior.

Reſp. 2. neg. maj ut enim cuipiam adſit non externa ſolum, ſed & interna baptizandi intentio, ſatis eſt quod interius velit non jocari aut fingere, remve profanam aut naturalem peragere, ſed ritum in Eccleſia ſacrum: id autem velle poteſt is etiam qui circa Trinitatem errando, per Filium meram intelligit creaturam. Et vero ſi id interius non velit, neque etiam volet exterius, quoties hæreſim aperte profitebitur, ut modo dixi. Haud tamen valide baptizaret, qui etiam ex inadvertentia *creaturæ* nomen pro *Filii* nomine uſurparet; quantumcumque id facere vellet, quod facit Eccleſia: quia non valet Baptiſmus, cum pervertitur forma a Chriſto inſtituta.

Objic. 5. difficilem S. Auguſtini textum, quem, ut plenius capiatur mens S. Doctoris, pene totum referre juvat. Sic ille Lib. 7. de Bapt. cap. 53. *Solet etiam quæri, utrum approbandum ſit Baptiſma, quod ab eo qui non accepit, accipitur* .·.· *& utrum nihil interſit, quo animo accipiat ille cui datur, cum ſimulatione an ſine ſimulatione: ſi cum ſimulatione, utrum fallens, ſicut in Eccleſia, vel in ea quæ putatur Eccleſia; an jocans ſicut in mimo: & quid ſit ſceleratius, in Eccleſia fallaciter accipere, an in hæreſi vel ſchiſmate ſine fallacia, id eſt animo non ſimulato; & utrum in hæreſi fallaciter, an in*

T. 9. p. 20.

mimo cum fide, ſi quiſquam inter agendum repentina pietate moveatur. Quamquam talem ſi etiam illi conferamus qui in ipſa Catholica fallaciter accipit; mirum ſi dubitatur quis cui præferendus ſit: quid enim proſit animus veraciter dantis fallaciter accipienti non video: ſed arbitremur aliquem etiam fallaciter dantem, cum & tradens & accipiens fallaciter agant in ipſa unitate Catholica, utrum hoc magis Baptiſma ſit acceptandum; an illud quod in mimo datur, ſi quis exiſtat qui fideliter ſubito commotus accipiat: an quantum ad ipſos quidem attinet homines, plurimum diſtet inter credentem in mimo, & irridentem in Eccleſia; ad ipſius autem Sacramenti integritatem nihil interſit. Si enim nihil intereſt ad integritatem Sacramenti in ipſa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant, cur extra interſit non video, quando ille qui accipit, non ſimulatione palliatus, ſed Religione mutatus eſt. An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quam ad fruſtrandum illi fallaces a quibus agitur, & in quibus agitur? & tamen ſi poſtea prodatur, nemo repetit, ſed aut excommunicando punitur illa ſimulatio, aut pœnitendo ſanatur.

Sed nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententia, quæ nullo in Catholico Regionali Concilio cœpta, nullo plenario terminata ſunt: id autem fiducia ſecuræ vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti, univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. Verumtamen ſi quis forte me in eo Concilio conſtitutum, ubi talium rerum quæſtio verſaretur, non præcedentibus talibus, quorum ſententias ſequi mallem, urgeret ut dicerem quod ipſe ſentirem: ſi eo modo affectus eſſem, quo eram cum iſta dictarem, nequaquam dubitarem habere eos Baptiſmum, qui ubicumque & a quibuſcumque illud verbis Evangelicis conſecratum, ſine ſua ſimulatione, & cum aliqua fide accepiſſent; quanquam eis ad ſalutem ſpiritualem non prodeſſet, ſi charitate caruiſſent, qua Catholicæ insererentur Eccleſiæ . . . . Sicut jam præteritis Majorum Statutis non dubito, etiam illos habere Baptiſmum, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia ab eis in quorum ſocietate id accipitur . . . . ubi autem neque ſocietas ulla eſſet ita credentium, neque ille qui ibi acciperet, ita crederet, ſed totum ludicre, & mimice & joculariter ageretur, utrum approbandus eſſet Baptiſmus qui ſic daretur, divinum judicium per alicujus revelationis oraculum, concordi oratione & impenſis ſupplici devotione gemitibus implorandum eſſe cenſerem, &c.

Unde ſic: Ut ex eo Auguſtini loco certum ſit retentionem intentionis nihil nocere Sacramentorum integritati, duo ſufficiunt, 1. ut Auguſtinus per eos qui Sacramenta fallaciter conferunt, eos intelligat, qui ſerio quidem baptizant exterius, ſed interius & apud ſe ipſos dicant ſe nolle baptizare; 2. ut S. Doctor Sacramenta ſic collata, valida eſſe non dubitanter, ſed certo pronuntiet: atqui utrumque conſtat.

Primum quidem patet. Auguſtinus enim per eos de quibus loquitur *fallaces*, non potuit intelligere, niſi aut Miniſtros etiam exterius ſimulantes, ut in mimo, aut homines peccato lethali infectos, quos Theologi *fictos* vocant, non quidem fictione intentionis, ſed præparationis; aut eos qui carerent fide, vel recte de Sacramento ejuſque effectu non ſentirent; aut demum ſerio quidem agentes exterius, ſed interius ſimulantes: atqui nullum ex tribus prioribus intellexit S. Doctor. Non 1. quia fallaces

illos

illos quos vere baptizare aſſerit, opponit baptizantibus in mimo; & aliunde de iſtorum, non de aliorum Baptiſmi valore dubitat. Non 2. quia ſi ſanctus Pater per fallaces eos intelligeret, qui lethali peccato ſordent, per veraces a contrario ſenſu eos intelligeret, qui a lethali culpa liberi ſunt: id autem falſum eſſe hinc liquet, quod Auguſtinus veraces de quibus loquitur, tam extra quam intra Eccleſiam agnoſcat: porro extra Eccleſiam nemo eſt qui immunis ſit a lethali culpa, hæreſeos ſaltem aut ſchiſmatis. Non 3. propter rationem oppoſitam: fallaces enim de quibus Auguſtinus loquitur, reperiuntur etiam in Eccleſia Catholica: porro nemo eſt in Eccleſia Catholica, qui careat fide circa Sacramenta; ergo ſupereſt ut S. Doctor per fallaces intellexerit eos, qui ſerio agunt exterius, intus autem intentionem ſuam retinent.

Secundum non minus evidens eſt, quidquid reclamet Bellarminus: hæc enim quæ dubium indicant S. Auguſtini verba: *Sed nobis tutum eſt in ea non progredi aliqua temeritate ſententiæ*, &c. referuntur ad particularem caſum de mimo repente converſo, in cujus Baptiſmi validitatem propendebat S. Doctor: non vero ad principium quo utebatur ipſe ut caſum hunc ſolveret. Hinc eſt quod principium nihil hæſitans proponit ut aliquid generaliter receptum, cum ait: *Si nihil intereſt ad integritatem Sacramenti in ipſa Catholica, utrum id aliqui fallaciter, an veraciter agant*, &c. conſequentiam vero quam legitimam exiſtimabat, cum tamen non eſſet, ut aliquid ſibi proprium proponit: *Non video cur extra Eccleſiam interſit*, &c. en Auguſtini dubium, quod Eccleſia aliter ſolvit ac ſolviſset Auguſtinus; quia quod joculariter tantum & mimice agitur, non agitur reipſa, ſed fingitur, ut notant hunc in locum Lovanienſes.

Confirmatur 1. ex his Auguſtini verbis: *An plus valeant ad confirmandum Sacramentum illi veraces, inter quos agitur, quam ad fruſtrandum illi fallaces a quibus agitur, & in quibus agitur? & tamen ſi poſtea prodatur*, ſeu detegatur fallacia dantis aut accipientis, *nemo repetit*; ergo Auguſtini tempore, teſte Auguſtino ipſo, conſtans erat in Eccleſia Baptiſmum ſimulato dantis aut accipientis animo peractum, iterari non debere: atqui iterari debuiſſet tantæ neceſſitatis Sacramentum, ſi de validitate ejus ob retentam aut corruptam Miniſtri intentionem dubitatum fuiſſet.

Confirm. 2. ex aliis hiſce ejuſdem S. Doctoris verbis: *Sicut jam præteritis Majorum Statutis* NON DUBITO *etiam illos habere Baptiſmum, qui quamvis id fallaciter accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt*: ubi Auguſtinus & ſine dubio, & conformiter ad Majorum Statuta Baptiſmum fallaciter collatum valere definit.

Reſp. ad 1. & 2. neg. min. pro tertia parte, & dico Auguſtinum per fallaces Baptiſmi Miniſtros, eos intelligere, non qui intentione interna carent, ſed qui male ſentiunt de Baptiſmi neceſſitate & utilitate; & tamen veram circa utrumque fidem ſimulant exterius, eo ipſo quo Sacramentum illud ſponte & ſerio tradunt vel recipiunt. Unde ſolum docet ſanctus Pater, eum qui abſque legitima fide de veritate aut utilitate Baptiſmi, eumdem confert, verum conferre Sacramentum; quia nimirum cum hoc fidei defectu conſiſtere poteſt generalis intentio faciendi quod facit Eccleſia. Hanc porro eſſe S. Doctoris mentem, patet 1. quia opponit Baptiſmum in Eccleſia vel hæreſi fallaciter receptum, Baptiſmo mimice rece-

Digitized by Google

recepto cum fide: quærit enim *an plurimum diſtet inter credentem in mimo, & irridentem in Eccleſia;* ergo ut ſtet oppoſitio, non ſupponit in fallaci fidem, quam ſupponit in mimo repente converſo; 2. quia opponit fallaces a quibus Sacramentum in Eccleſia confertur, veracibus ejuſdem ſocietatis, in qua hoc Sacramentum confertur: quærit enim *an plus valeant ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur, quam illi fallaces a quibus agitur:* atqui per veraces, eos intelligit Auguſtinus, qui ſaltem de Baptiſmo ſentiunt ut par eſt; hos enim veraces ſic exprimit: *Ubi autem nulla ſocietas ita* CREDENTIUM; ergo a contrario per fallaces intelligit eos, qui non ut debent, ſentiunt de Baptiſmo; 3. addit Auguſtinus Baptiſmum fallaciter datum, detecta fallacia non iterari, idque ſecundum Majorum Statuta ſeu Leges: atqui nulla unquam fuit Eccleſiæ lex, quæ vetuerit ne iteraretur Baptiſma ſine intentione collatum; 4. loquitur Auguſtinus de Baptiſmo fallaciter dato tanquam de re in Eccleſia ſuo tempore ſatis communi: porro adeo ſemper in Eccleſia ratum fuit Baptiſma ſine mentali intentione collatum, ut vix unum, alterumve in tota retro hiſtoria ejus exemplum occurrat; 5. idem indicat ſcopus S. Auguſtini: agit enim contra Donatiſtas, qui Baptiſmum ſine fide collatum pro irrito habebant, nullam vero movebant quæſtionem de Baptiſmo ſine intentione collato; ergo non loquitur S. Doctor de abſentia intentionis, ſed ſolum de abſentia fidei. Ita Lugo, Tournely, &c.

Inſt. 1. ut ſupra. Supponit S. Doctor fallaciam de qua loquitur, reperiri in quibuſdam Eccleſiæ Catholicæ membris, & non reperiri in omnibus membris ſocietatis hæreticæ: *Non dubito*, inquit, *illos habere Baptiſmum, qui quamvis illum fallaciter accipiant, in Eccleſia tamen accipiunt, vel ubi putatur eſſe Eccleſia;* & ſupra: *An plus valent ad confirmandum Sacramentum illi veraces inter quos agitur*, &c. atqui falſa eſſet utraque ſuppoſitio in hypotheſi noſtra. In Eccleſia enim nemini deficit fides; extra Eccleſiam nulli competit; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 1. diſt. 1. part. in Eccleſia nemini deficit fides, nemini veraci, C. nemini fallaci, N. Itaque etſi ii ſoli plene & perfecte ad Eccleſiam pertinent, qui integram ſervant Eccleſiæ fidem; haud tamen illico extra Eccleſiam ſunt omnes qui a fide excidunt. Nam excidunt a fide hæretici occulti, & ii tamen in Eccleſia manent; unde valide baptizant, valide abſolvunt, prout fuſius dicetur in Tractatu de Eccleſia.

Ad 2. part. diſt. extra Eccleſiam nulli competit fides, ideſt aſſenſus fundatus ut par eſt in revelatione Dei, & Eccleſiæ declaratione; uno verbo, extra Eccleſiam nemini competit fides Theologica & ſupernaturalis, C. nemini competit fides quædam humana, qua id totum de Sacramentis credatur, quod Catholici credunt, N. Sicut enim idem cum Romanis de Trinitate ſentiunt Calviniani, ita idem de Sacramentis tenere poſſent: adeoque & apud eos reperiri poſſent fallaces, qui exterius ſimularent id a ſe credi, quod intus revera non crederent.

Inſt. 2. Si Auguſtinus non loqueretur de fallacia intentionis, adeoque ſi intentionem internam requireret in Miniſtro, jam pro certo haberet non valere Baptiſma mimice collatum; utpote cui certiſſime deſit intentio interna: atqui Auguſtinus Baptiſmi mimice collati nullitatem non habet pro certa; ſed dubitat, *utrum approbandus eſſet Baptiſmus qui ſic daretur;* ergo.

Reſp. diſt.

Reſp. diſt. maj. ſi Auguſtinus internam intentionem requireret, pro certo haberet non valere Baptiſma mimice collatum, ſi ſimul haberet pro certo Baptiſma mimice collatum ſemper conferri ſine intentione interna, C. ſecus, N. Porro dubitavit Auguſtinus an non in mimo occurrere poſſet vera & mentalis intentio faciendi quod facit Eccleſia. Id autem eo facilius dubii materia eſſe potuit, quod poſſit quis intus ſerio velle, id quod per jocum agit, prout ſentiunt plures de Athanaſio per ludum baptizante.

Et certe non minor requiritur intentio in Miniſtris Sacramentorum, quam in iis qui Sacramenta recipiunt: atqui juxta S. Auguſtinum eo uſque requiritur intentio interna in iis qui Sacramenta ſuſcipiunt, ut dubitet ille, an approbandum ſit Baptiſma receptum a mimo, qui initio quidem jocans, poſtea repentina pietate commotus, illud fideliter, idcoque non ſine aliqua intentione recipit. *An*, inquit, *illud* acceptandum eſt Baptiſma, *quod in mimo datur, ſi quis exiſtat, qui fideliter ſubito commotus accipiat?* ergo ex hoc Auguſtini loco, tam obſcuro, tam parum efficaci nihil colligi poteſt pro opinione, quæ utpote minus tuta in negotio ſalutis, tandiu rejici debet, donec geometricis pene rationibus demonſtretur.

Inſt. 3. Ille Baptiſma citra quamcumque mentalem intentionem collatum valere cenſuit, qui non curat qua mente operetur Miniſter, qua laboret intentione: atqui S. Auguſtinus Lib. 3. contra Creſconium cap. 8. *Qua*, inquit, *mente operetur* Miniſter, *qua laboret intentione non curet;* ergo.

Reſp. diſt. maj. qui non curat qua intentione eſſentiali laboret Miniſter, C. qua intentione accidentali, N. Sic diſt. min. neg. conſeq. intentio eſſentialis ea eſt quæ circa Sacramenti confectionem verſatur; intentio accidentalis ea eſt quam ſibi pro libito proponit operans ut implendam occaſione Sacramenti ſeu confecti ſeu conficiendi. Fateor quidem quod poſtremam hanc intentionem non curet Auguſtinus; ſicut non curavit S. Thomas, juxta quem *ſi Sacerdos intendat aliquam feminam baptizare, ut abutatur ea; vel ſi intendat conficere Corpus Chriſti, ut eo ad veneficia utatur*, ſtat nihilominus veritas Sacramenti. Sed nego non curaſſe Auguſtinum eam intentionis ſpeciem, quæ ipſam Sacramenti confectionem attingit, & quæ idcirco eſſentialis dici poteſt; tum quia alioqui non curaſſet an Miniſter mimica tantum intentione donaretur; tum quia evidens eſt ex objecto textu eum loqui dumtaxat de malis finibus quos proponere quis ſibi poteſt, dum vere Sacramenta conficit. *Non curent*, inquit, an Miniſter *Dominum agri fideliter diligat, an ſua non illius lucra conquirat*.

3 p. q. 64. art. 10.

Inſt. 4. Ille nullam vel operis vel operantis, eſſentialem vel accidentalem intentionem curat, cujus principia internæ cujuſcumque intentionis neceſſitatem convellunt: atqui principia, quæ contra Donatiſtas ſanctitatem in Sacramentorum Miniſtris requirentes poſuit Auguſtinus, internæ cujuſcumque intentionis neceſſitatem convellunt. Prob. min. Auguſtinus Donatiſtarum ſyſtema his convellit principiis, 1. quod ſanctitas Miniſtrorum occulta ſit; 2. quod incerta, &c. atqui principia hæc non minus intentionis internæ, quam ſanctitatis neceſſitatem impetunt. Ut enim ſanctitas, ſic & intentio interior, occulta eſt, incerta, &c. ergo.

Reſp. ad 1. & 2. neg. min. & dico hæc Auguſtini principia, valida fuiſſe con-

contra Donatiſtas; quia hi Sacramentorum vim ſuſpendebant a ſanctitatis conditione, quæ non modo ſecreta erat, & occulta, ſed plerumque dubia & pluſquam dubia; cum ſemper ſint Miniſtri impendio plures, quorum innocentia ad minus ſuſpecta eſſe poſſit; quique vitiis adeo immerſi ſunt, ut hinc ſine gravi lucta emergere nequeant: unde pauci admodum apud Donatiſtas erant, qui ſeſe Sacramentis valide initiatos confidere poſſent. Quæro autem coram Deo an incommoda hæc intentionis internæ neceſſitatem conſequantur? an e centum Miniſtrorum millibus vel unus ſit qui moraliter præſumi queat tam obvio, tamque facili officio deeſſe? an invalidi Sacramenti metum, ſi quis forte irrepat, coercere poſſit ſufficientia intentionis externæ; præſertim cum ex Sacramentorum formis nulla ſit, quæ vitiari facile non poſſit, imo & quandoque tota omitti, ut patet potiſſimum in abſolutione, quæ ſubmiſſa voce profertur? Certe ſi quidquid variis in locis contra Donatiſtas urget Auguſtinus, ad quæſtionem a nobis verſatam trahatur, jam ſicut ratum fuit Baptiſma a Miniſtro manifeſte improbo collatum, ſic validum judicabitur illud quod contulerit is etiam qui manifeſte caruit intentione interna: quod tamen non concedent adverſarii. De his fuſe diſcurrentem adi Lamb. Gaud p. 267. & ſeq.

Objic. 6. S. Thomas adeo aperte externam intentionem tuetur, ut cæcutire oporteat, qui cum aliter ſentire crediderit. Sic enim in 4. Sent. diſt. 6. q. 1. art. 2. quæſt. 1. ad 2. poſt ſtabilitam alicujus intentionis neceſſitatem, objicit ſibi hinc ſequi neminem certum fore quod Sacramentum ſuſceperit, quia nemo de alterius intentione eſſe poſſit. Huic argumento geminam affert ſolutionem S. Doctor, quarum prima eorum eſt, qui fatebantur haud quidem valere Sacramentum, cum Miniſter debita caruerat intentione; ſed ſimul contendebant recipientes nihil inde mali perpeti, quia intentionis hujus defectum ſuppleret in adultis pietas, in pueris vero Chriſtus ipſe. Hac autem rejecta ſolutione, quæ reipſa non congruit Scripturæ dicenti: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. aliam affert reſponſionem Doctor Angelicus his verbis: *Non requiritur mentalis intentio, ſed ſufficit expreſſio intentionis per verba ab Eccleſia inſtituta, & ideo ſi forma ſervatur, nec aliquid exterius dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, Baptizatus eſt Catechumenus:* quibus verbis totum Catharini ſyſtema diſerte continetur. *To. 10. Edit. Nicolai.*

Reſp. neg. ant. & dico S. Thomam his verbis non ex propria, ſed tantum ex aliorum ſententia loqui, prout aliis Patribus, præſertim autem S. Hieronymo pluries contigit. Id autem confirmari poteſt, 1. quia reſponſio objecta ſupponit verba formæ Baptiſmatis *ab Eccleſia inſtituta* fuiſſe, quod expreſſe repugnat D. Thomæ ibid. diſt. 3. q. 1. art. 2. 2. quia ex S. Thoma eadem requiritur intentio ad omnia prorſus Sacramenta: atqui tamen objecta verba contrarium ſupponunt. Supponunt enim intentionem quæ ſufficit ad Sacramenta quæ in forma habent actum exercitum, non ſufficere ad alia, puta ad Euchariſtiam. En verba integra S. Thomæ; *Alii dicunt, quod in Baptiſmo & aliis Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum, non requiritur mentalis intentio*, &c. ut in objectione.

Ergo, inquies, adhæſit S. Thomas primæ reſponſioni juxta quam Chriſtus in pueris ſupplet id quod deeſt ex parte intentionis Miniſtri.

Digitized by Google

Reſp. nihil mirum quod ita ſenſerit S. Thomas, qui junior Sententiarum Libros interpretatus eſt. Eum autem ita de facto ſenſiſſe probant hæc ejuſdem verba ibid. diſt. 3. q. 1. art. 2. q. 3. ad 4. *Quando una* Trinitatis *perſona nominata puer vel Sacerdos moreretur, creditur quod inviſibilis Sacerdos ſuppleret effectum.*

Inſt. S. Thomas ex omnium confeſſo, in Summa Operum ſuorum poſtremo, non ex aliorum mente ſed ex mente propria locutus eſt: atqui in Summa expreſſiſſime docet mentalem intentionem non eſſe Miniſtro neceſſariam. Prob. ex 3. p. q. 64. art. 8. ubi eamdem difficultatem eadem ſolutione diluit. Sic ille: *Dicendum quod circa hoc eſt duplex opinio. Quidam enim dicunt, quod requiritur mentalis intentio in Miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum: ſed hunc defectum in pueris, qui non habent intentionem accedendi ad Sacramentum ſupplet Chriſtus, qui interius baptizat: in adultis autem qui intendunt Sacramentum ſuſcipere, ſupplet illum defectum fides & devotio. Sed hoc ſatis poſſet dici quantum ad ultimum effectum, qui eſt juſtificatio a peccatis; ſed quantum ad effectum, qui eſt res & Sacramentum, ſcilicet quantum ad characterem, non videtur quod per devotionem accedentis poſſit ſuppleri, quia character nunquam imprimitur niſi per Sacramentum. Et ideo alii melius dicunt, quod Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus eſt Miniſter: in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte Miniſtri vel recipientis Sacramentum.*

Unde ſic: Juxta eum ſufficit intentio exterior, qui improbat eorum ſententiam a quibus requiritur in Miniſtro *intentio mentalis, quæ ſi deſit non perficitur Sacramentum;* quique expreſſe docet ad Sacramenti validitatem ſatis eſſe ut ritus ſacramentalis ſerio peragatur: atqui S. Thomas & improbat opinionem eorum a quibus requiritur intentio mentalis; & expreſſe docet ad valorem Sacramenti ſatis eſſe ut ritus ſerio peragatur. Ubi enim ſine intentione mentali proferuntur verba quibus Eccleſiæ intentio exprimitur, ibi nihil aliud occurrit præter externum ritum ſerio peractum: atqui ex S. Thoma ſatis eſt ad perfectionem Sacramenti ut proferantur verba, quibus Eccleſiæ intentio exprimitur. *Quidam*, inquit, *dicunt quod requiritur mentalis intentio in Miniſtro, quæ ſi deſit, non perficitur Sacramentum. Sed alii melius dicunt*, &c. ut ſtatim.

Reſp. ad 1. & 2. neg. min. falſum quippe eſt quod S. Thomas e duabus quas affert reſponſionibus id omne rejiciat quod aſſeritur in prima, ac ſubinde quod internæ intentionis neceſſitatem excludat. Cum enim procederet objectio de incertitudine cui ſalus obnoxia videretur, ſi Miniſtri intentio neceſſaria foret, duas affert S. Doctor reſponſiones, quarum utraque internam in Miniſtro intentionem ſupponit. Ait namque imprimis, quod licet mentalis intentio Miniſtro neceſſaria ſit, haud tamen nos de ſalute anxios eſſe oporteat; quia, juxta aliquos, ſupplet Deus, ſi forte Miniſtrum intentione mentali carere contingat. Hac autem ſolutione, prout Deum omnino ſupplere dicit, rejecta, aſſerit tanquam verius & probabilius, quod in verbis quæ a Miniſtro proferuntur, *exprimatur intentio Eccleſiæ*, ſeu intentio etiam mentalis faciendi quod facit Eccleſia, quæ ad Sacramenti perfectionem ſufficit, ubi contrarium non exprimitur ex parte Miniſtri, vel recipientis Sacramentum.

Jam

Digitized by Google

Jam vero quod per has voces: *In verbis quæ profert Miniſter, exprimitur intentio Eccleſiæ*, non intelligatur intentio quæ in Eccleſia ſola exiſtat, ſed vera & mentalis intentio quæ Miniſtro inexiſtat faciendi id quod facit Eccleſia, patet 1. quia intentio Eccleſiæ, & intentio faciendi quod facit Eccleſia, ſunt voces ſynonymæ apud Albertum Magnum S. Thomę Magiſtrum; 2. quia S. Thomas in eadem q. 64. art. 10. hæc expreſſe habet: *Cum aliquis non intendit Sacramentum conferre, ſed deriſorie aliquid agere, talis perverſitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando ſuam intentionem exterius manifeſtat*. An autem S. Doctor rejeciſſet art. 8. neceſſitatem intentionis, quam adeo perſpicue art. 10. commendat? 3. quia idem Scholæ Angelus q. 68. art. 7. ad 2. expreſſe docet, quod *ſi in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus*: atqui ex * eodem Sancto, non minor eſt neceſſitas intentionis in Miniſtro, quam in ſuſcipiente: imo minor in ſuſcipiente requiritur, quam in Miniſtro; cum in priori ſufficere poſſit habitualis aut interpretativa, non in poſteriori; 4. denique quia idem S. Doctor q. 64. art. 9. expendens an Miniſtri fides ſit de neceſſitate Sacramenti, ſic objicit ſibi: *Videtur quod fides ſit de neceſſitate Sacramenti. Sicut enim dictum eſt, intentio Miniſtri eſt neceſſaria ad Sacramenti perfectionem: ſed fides intentionem dirigit; ergo ſi deſit vera fides in Miniſtro non perficitur Sacramentum*. Sic porro nodum hunc ſolvit: *Si patiatur quis fidei defectum circa ipſum Sacramentum quod exhibet, licet credat per id quod agitur exterius, nullum ſequi interiorem effectum, non tamen ignorat quod Eccleſia Catholica intendit per hujuſmodi quæ exterius aguntur, præbere Sacramentum ∴ non obſtante infidelitate poteſt intendere facere id quod facit Eccleſia, licet exiſtimet id nihil eſſe; & talis intentio ſufficit ad Sacramentum; quia, ut ſupra dictum eſt* art. 8. *Miniſter Sacramenti agit in perſona totius Eccleſiæ, cujus fide ſuppletur id quod deeſt fidei Miniſtri*. Unde ſic: Intentio de qua hic diſſerit S. Thomas, eſt *neceſſaria ad* ſubſtantiam ſeu *perfectionem Sacramenti*, prout liquet ex art. 8. ad quem remittit S. Doctor: atqui intentio de qua hic diſſerit idem S. Thomas, eſt vere interior. Siquidem intentio de qua diſſerit, ea eſt quæ nonniſi difficile videtur conciliari poſſe cum defectu fidei; & ideo de qua dubium eſt, an non tollatur per infidelitatem: atqui intentio quæ nonniſi ægre conciliari poſſe videtur cum defectu fidei, eſt intentio vere interior, non exterior. Hæc enim ſeparari non poteſt ab opere externo, quod ſerio peragatur; unde nunquam dubitari poteſt an ei defuerit, qui egit ſerio; ergo intentio quæ juxta D. Thomam neceſſaria eſt ad confectionem Sacramenti, eſt intentio interior.

Albertus Mag. in 4. d. 6. ar. 11.

* *In 4. diſt. 27. q. 1. a. 2. q. 4.*

Confirm. & ſuppoſito quod S. Thomas de eo ſolum loquatur Miniſtro, qui exterius ſerio agit, prout ex ſola textus inſpectione patet, ſic diſputo: De ea intentione loquitur S. Doctor, quam infidelis *non obſtante infidelitate poteſt* habere, & quam proinde poteſt etiam non habere: atqui ſola intentio interior, ea ſola eſt quam infidelis ſerio agens poſſit habere, vel non habere pro nutu; ergo.

Inſt. 1. Ex S. Thoma, *intentio quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, exprimitur in verbis quæ profert Miniſter*: atqui intentio quæ exprimitur in verbis quæ profert Miniſter, eſt ſolum externa; aut ſaltem poteſt non eſſe interna; ergo.

 Reſp. neg.

Reſp. neg. maj. non enim dixit S. Thomas, *intentio, quæ ſufficit*, &c. ſed, *intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit:* porro probavimus 1. per intentionem Eccleſiæ, intelligi intentionem faciendi quod facit Eccleſia; 2. intentionem faciendi quod facit Eccleſia, eſſe mentalem in ſententia S. Thomæ.

Inſt. 2. Mens D. Thomæ eſt ut tollat anxietatem quam habere poſſint fideles ob ſuſceptum ab infideli Baptiſma: atqui perſpicuum eſt ſubſiſtere anxietatem hanc totam, ſi S. Doctor internam intentionem requirat; ergo.

Reſp. neg. min. eo enim ipſo quo docet & vere docet Sanctus Thomas, intentionem faciendi id quod facit Eccleſia, in verbis a Miniſtro prolatis contineri, tollit anxietatem, quantum tolli poteſt; imo plus tollit, quam tollant intentionis externæ vindices. Quod tollat, quantum tollit poteſt, patet: quia moraliter certum eſt eum qui ſerio verba quædam profert, eadem in obvio & naturali ſenſu proferre, non autem in ſenſu plane alieno: porro ad tollendam anxietatem non requiritur omnimoda, ſed ſufficit moralis certitudo, ut quæ ſola his in materiis adeſſe poſſit. Sic abſque idololatriæ periculo adorat quis hoſtiam, & citra anxietatem credit pœnitens impertitam ſibi fuiſſe abſolutionem; etſi fieri abſolute potuit, ut Miniſter conſecrans vel abſolvens, formam, quæ alta voce non profertur, integram non expreſſerit: & tamen facilius quis formam quæ ſecreto profertur, vitiaverit, quam verbis ſerio prolatis alienum in ſenſum utatur. Unde vix ullum in orbe toto reperiri poteſt hujus perverſionis exemplum.

Jam vero quod melius tollat S. Thomas anxietatem admiſſa, quam rejecta intentione mentali, non minus evidens eſt: 1. quia cum S. Doctor, non ſibi ſed aliis ſcriberet, ſentire debuit innumeros fore omnium ordinum homines, qui ſerio dubitarent an ſufficiat intentio externa, quæ a tot magni nominis Doctoribus graves ob cauſas exploditur, adeoque qui magis ac magis anxii forent circa valorem Baptiſmatis ab infidelibus citra intentionem internam collati; 2. quia ſi ſemel conſtet, prout adverſarii volunt, infidelem veræ intentionis incapacem eſſe, jam conſtabit eum nequidem capacem eſſe intentionis externæ: cum hæc in iis ſolum occurrere valeat, qui credi poſſunt id intendere quod intendit Eccleſia, prout ſupra diximus.

Objic. 7. Potiora quædam rationis argumenta, quæ internæ intentionis neceſſitatem perſuadant. Primum ſic proponi poteſt: Chriſtus eo Sacramenta in Republica Chriſtiana inſtituit modo, qui Rempublicam humanam decet; adeoque valent Chriſtiana miniſteria, eo exercita modo, quo miniſteria in Reſpublicis exerceri valide ſolent: nempe vero Chriſtianiſmus non Angelorum ſocietas eſt, ſed hominum: atqui valent acta a publicæ rei Miniſtris, modo ii Reipublicæ nomine exterius ſerio egerint cum formulis uſurpari ſolitis; tametſi eadem actu non valeant, ſi fiant jocullariter. Sic legatus valide in alium transfert dominium civitatis alicujus, cum exterius ſerio agit Regis nomine, quamvis huic tranſlationis interius reluctetur. Sic valet lata a Judice ſententia, ſi ſolitos juris ritus ſervet, quæ utique pocula inter & menſæ cachinnos pro-

lata

lata non valeret: idem eſt de contractu, a Notariis diſſentientibus ſcripto. Sic quoque Mardochæum vere honoravit Aman per humile quod ei præſtitit obſequium, etſi hunc odio proſequeretur capitali, & honorare non intenderet: ergo a pari licet qui jocculariter peragit Sacramenta, Miniſtrum Eccleſiæ non agat, ſed mimum, adeoque nihil efficiat; dum tamen ſerio operatur quæ inſtituit Chriſtus, agit ut Eccleſiæ Miniſter, & integrum conficit Sacramentum.

Et vero in iis omnibus de quibus hic verba facimus, præcipue autem in Sacramentorum Miniſtro, duplex occurrit voluntas; abſoluta una, eaque efficax, qua ſciens & volens exteriorem Sacramenti ritum ſerio celebrat; inefficax altera, qua ritum hunc nonniſi profanum eſſe vellet: atqui quoties duæ occurrunt voluntates ſibi mutuo adverſæ, ea effectum obtinet, quæ vera voluntas eſt, non quæ mera eſt velleitas. Sic nauta ut ab irato Neptuno ſervet ſe incolumem, ſuas in mare merces projicit, quas tamen ſervare enixe vellet, ſi id quidem poſſet tuto. Sic medicus, qui ſalutiferam ægro medicinam porrigit, eumdem ſanat, etſi hunc occidere vellit, quia ejus inhiat hæreditatem. Sic demum qui pyrio pulveri ignem admovet, flammam repentinam excitat, quantumcumque nolit; ergo.

Reſp. ad 1. diſt. maj. Chriſtus eo Sactamenta in Eccleſia inſtituit modo, qui Rempublicam humanam decet, ita ut tamen quaſdam in hujus ſuæ Reipublicæ Miniſtris exegerit conditiones, quæ in Reipublicæ politicæ Miniſtris non requiruntur abſolute, C. itaut nec ratum, nec irritum eſſe voluerit in Eccleſia, niſi quod in Republica politica ratum eſt aut irritum, N. Itaque fateor quod in multis conveniant regimen civile & Eccleſiaſticum: utrobique ſcilicet eſt ſocietas hominum, qui ſuas habent leges, Magiſtratus ſuos, ſuas in actis publicis ſolemnitates, quarum ex defectu aliquando fiat ut eadem acta nunc illicite, nunc etiam invalide celebrentur. Sed nego, quod ita in omnibus conveniat utrumque regimen, ut vel quæ uni ſufficiunt, ſemper ſufficiant alteri, vel quæ in uno requiruntur, ſemper in alio neceſſaria ſint. Atque id ex brevi exemplorum quæ objecta ſunt conſideratione eluceſcet.

1. enim quod ſpectat ad Reipublicæ politicæ legatos, poſſunt ii non eſſe niſi meri nuntii, Reipublicæ voluntatem deferentes, tuncque nihil mirum, ſi quidquid intus ſentiant, transferantur dominia; quia hanc ipſi tranſlationem non faciunt, ſed a dominis ſuis factam declarant; prout olim in Ægypto declaraſſent columbæ regiarum litterarum latrices. At vero Sacramentorum Miniſtri habent ſe ut eorumdem diſpenſatores, qui principalis agentis intentioni intentionem ſuam conformare debeant; idque quantum ad aliquid velle, quod voluit Chriſtus, ac proinde internam intentionem habere. Quod ſi Principis legatus, ſimul & procurator conſtitutus eſſet, ut propria voluntate & arbitrio tractaret negotium, tunc eo diſſentiente, res ab uno in alium non transferretur, licet crederetur transferri; quia donatio ſine donandi voluntate, nulla eſt quoad ſe, quamvis in exteriori foro valida præſumatur. Unde in forma diſt. legatus etiam diſſentiens, valide transfert dominium, ſi merus ſit nuntius, qui Reipublicæ mandata deferat, C. ſi ſit procurator nomine ſuo acturus, etſi cum dependentia ab alio, N. Quod autem Sacramentorum diſpenſatores, in hoc poſtremo ordine ſint, ſeu quod vo-

luerit Chriſtus ut Sacramenta dependenter ab intentione Miniſtri conferantur, indicant hæc Chriſti verba Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt:* ubi nonniſi accedente hominis conſenſu ſolvuntur & ligantur peccata; ut bene advertit Sairus Lib. 2. cap. 4. n. 9.

2. nec plus valet paritas ab exemplo Judicis petita: 1. quia nulla eſt ejuſdem Judicis ſententia cum intentione etiam mentali pronuntiata, ſi jocoſe feratur, aut extra debitas loci temporiſque circumſtantias; & tamen valet Sacramentum cum mentali intentione collatum, quocumque conferatur modo, atque etiamſi conferatur a ludente, qui non Sacramentum ipſum, ſed aſtantes ſolos ludere velit; 2. vel Judex ex plurali aliorum, qui ſibi aſſident, Judicum ſuffragio, vel per ſe ſolum ſententiam fert. Si 1. firma eſt ejus ſententia, quidquid decernat animo, quia non tam abſolvit ipſe, quam juridice abſolutum declaret. Si 2. ſententia ejus nulla eſt ſecundum ſe; unde quidquid virium habet, habet ab implicito Reipublicæ vel Principis conſenſu, qui de internis judicare nequit, ſed auctoritate ſua firmat, quidquid exterius ſecundum leges peractum fuit: id autem de Sacramentis dici non poteſt, utpote quæ cum ſemel irrita ſunt, non poſſint ab Eccleſia firmari. Unde hic in forma diſt. valet ſententia a Judice diſſentiente prolata, ſi ſit declaratio ſuffragii aliorum Judicum, C. ſecus, ſubdiſt. valet, quia firmatur a Principe, C. valet per ſe ſolam, N.

3. valet contractus a Notario diſſentiente exceptus, quia non eſt contractus cauſa efficiens, ſed ſcriba.

4. valuit honos ab Aman impenſus Mardochæo, quia Aman nonniſi regiæ voluntatis nuntius fuit; nec proinde neceſſaria fuit interior ejuſdem intentio. Præterea cæremoniæ ab Aman exhibitæ non erant de ſe indifferentes ad honorem, aut aliquid aliud: unde neceſſe non erat ut ab intentione determinarentur: at vero ablutio utpote ad multa indifferens, indiget ad eſſe ſacrum determinari. Ceterum ſi ſtricte & perſonaliter loqui velis, non magis honoravit Aman Mardochæum, quam honoravit eum phaleratus equus, cui inſidebat. Fuit enim uterque, equus & Aman, exterius duntaxat ſignum honoris quo Aſſuerus Mardochæum proſequebatur.

Ad confirmat. neg. ant. in Miniſtro enim qui ritum Eccleſiæ peragere vult ut profanum, non una ſolum, ſed duplex reperitur voluntas plane abſoluta; alia quidem faciendi ſerio ritum exteriorem ſecundum ſe ſumptum; altera vero eum non faciendi ut in Eccleſia ſacrum, ſed tantum fingendi ac ſimulandi: unde ſicuti per primam dicit improbus Miniſter, *Volo facere talem ritum;* ſic per ſecundam abſolute dicit, *Sed nolo facere eum ut ſacrum*. Contendunt quidem adverſarii eum qui primam habet intentionem, non poſſe habere ſecundam: verum id mera eſt petitio principii; nec petitio tantum principii, ſed & contradictio; cum hodie communiter fateantur eum qui extra debitas circumſtantias baptizat, ſecundam intentionem habere tam abſolute, tamque efficaciter, ut reipſa non baptizet.

Nec nocent objectæ comparationes; tum quia, ut recte monet Gamachæus in 3. p. S. Thomæ q. 64. c. 3. in moralibus, quæ ex ſola Chriſti volun-

luntate pendent, non eſt argumentandum a ſimili, ſed perpetuo ad inſtitutionem Chriſti recurrendum; tum quia allatæ paritates nullam reapſe cum materia præſenti affinitatem habent. Non prima quæ deſumitur a nauclero merces ſuas in mare projiciente: is enim non aliam reipſa & actu habet voluntatem, quam merces in mare projiciendi: vellet quidem aliud velle, ſed id unum vult de facto. Non ſecunda quæ a medico petitur. Siquidem potio jam confecta de ſe ſalutifera eſt, unde ſeu jocando detur, ſeu ſerio, æque prodeſt; nec minus prodeſſet oblata a ſimio, quam ab homine. Probat igitur tantum prædicta comparatio Sacramenta jam confecta, puta Euchariſtiam, independenter ab intentione Miniſtri operari: ſed nihil inde contra nos, qui intentionem requirimus ad Sacramenta *in fieri*, non *in facto eſſe* ſpectata. Non tertia aut ſimiles aliæ, quæ ex rebus phyſicis petuntur: alioqui ſicut pulvis pyrius a fatuo vel a jocante accenſus, exilit in flammam, ſic & Sacramenta quocumque collata modo ſuum parerent effectum, quod Lutheranum eſt. Dicent equidem adverſarii ſe illas ſuas comparationes non urgere quoad omnia. Fateor id ſponte; ſed una contendo eas urgeri non poſſe qua parte controverſiam noſtram tangunt, niſi ſupponendo, nuſquam autem probando id quod in quæſtione eſt.

Secundum rationis argumentum ſic efformatur a Salmerone. Ea opinio admitti non debet, qua poſita jam demonſtrari nequit perpetua Eccleſiæ viſibilitas: atqui poſita intentionis internæ neceſſitate jam demonſtrari nequit .·.· Prob. min. Eccleſia viſibilis eſt ſocietas hominum, qui legitima imprimis habent Sacramenta: atqui poſita intentionis internæ neceſſitate demonſtrari nequit hujuſce ſocietatis exiſtentia. Hæc enim ut demonſtretur, probandum eſt certo exiſtere Miniſtros, qui legitime ordinent, abſolvant, &c. atqui id in ſyſtemate noſtro probari certo non poteſt. In ſyſtemate enim noſtro ſupponi facile poteſt, quempiam Baptiſmi Miniſtrum, ſuam inter baptizandum intentionem retinuiſſe; ex iis vero quos ſic, & quidem, juxta nos, nulliter baptizavit, plures ad Epiſcopatum aſſumptos fuiſſe, & ampliſſimis præpoſitos Diœceſibus, quarum Clericos omnes ordinaverint: atqui ex ordinationes, & quæ ipſas conſecutæ fuerint Euchariſtiæ conſecrationes, abſolutiones, &c. nullæ erunt; ergo nulla hic erunt Sacramenta; nulla proinde Eccleſia niſi forte imaginaria: quod autem de una aut altera Diœceſi dictum eſt, de aliis pluribus ſupponi poteſt.

Reſp. ad 1. 2. & 3. neg. min. ad 4. retorqueo argumentum. In ſyſtemate adverſariorum ſupponi poteſt, aliquem a Miniſtro, qui vel naturali aqua uſus non fuerit, vel voculam formæ eſſentialem prætermiſerit induſtrie, baptizatum, poſtea promotum fuiſſe ad ampliſſimæ Diœceſis regimen. Idem pro toto regno, imo & pro tota Eccleſia ſupponere lubebit; ergo.

Quod huic ſuppoſitioni reponet Salmeron, id ego ſuppoſitioni ejus reponam. Dicet forte hypotheſin meam eſſe paulo difficiliorem. Sed præterquam id falſum eſt; inde ſequetur tantum quod paulo difficilius futurum ſit, ut nulli ſint veri Sacerdotes in tota Diœceſi, in ampliſſimo regno. Dicet hypotheſim meam eſſe moraliter impoſſibilem. Eſto; ergo moraliter tantum impoſſibile erit univerſam Eccleſiam deficere,

quod falſum eſt, imo & hæreticum. Dicet, quod ſupereſt, hypotheſim meam incompatibilem eſſe cum hypotheſi ſingularis illius providentiæ, qua Chriſtus Eccleſiæ ſuæ invigilat, & uſque ad ſæculi finem invigilaturus eſt. Recte quidem: ſed quo jure id de ſua, hoc ego eodem jure de hypotheſi mea pronuntiabo. Unde

Reſp. 2. ad 4. & præcipue 5. neg. maj. & dico Chriſtum ſuę ſemper ita proviſurum Eccleſię, ut Epiſcopi & Sacerdotes in ea, ſi non omnes ad unum, ſaltem ex parte longe maxima, futuri ſint veri Epiſcopi, & veri Sacerdotes. Imo, ait S. Thomas in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. q. 3. *Pie credi poteſt, quod* ſi quis non baptizatus in Epiſcopum promoveatur, *ſummus Sacerdos non permitteret, hoc ita latere, quod periculum Eccleſiæ* particulari *imminere poſſet*.

Ergo, inquies, recurrimus ad miraculum: id autem gratis fieri non debet.

Reſp. 1. an igitur blaſphemum eſt ad miraculum recurrere, cum agitur de conſervanda ea Chriſti ſponſa, quę nata eſt miraculis, per miracula adolevit, nec niſi miraculi non unius ſed multiplicis ope, ad conſummationem uſque ſęculi perſeverabit. Deinde ſi ad miraculum recurrimus quoad intentionem, ad miraculum recurrunt adverſarii quoad materiam & formam.

Reſp. 2. non recurrere nos ad miraculum, ſed ad ſpecialem providentiam, qua Chriſtus Eccleſiam ſuam regit & fovet. Quod autem ad eam non gratis recurramus, patet 1. quia recurrimus ob expreſſa Chriſti promiſſa, Matth. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Et ibid. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*; 2. quia recurrimus in gratiam opinionis, cujus oppoſita Conciliis Florentino & Tridentino, ſummis Pontificis deciſioni, communiſſimę & tutiſſimę Doctorum Catholicorum ſententię, rationibuſque Theologicis nec paucis nec levibus contradicit.

Tertium rationis argumentum ſic proponunt. Si interna intentio neceſſaria foret, jam quę ad ſubſtantiam Sacramenti pertinent, non eſſent certa; neque enim certum eſt quod Miniſter ea intentione donetur: atqui ea quę ad Sacramenti ſubſtantiam pertinent, certa eſſe oportet. Prob. min. ex S. Thoma in 4. diſt. 5. q. 2. art. 2. q. 1. ubi ſic: *Bonitas Miniſtri non eſt de ſubſtantia Sacramenti, quia non omino certa eſt, ſed quandoquem ignorata: ea autem quæ ſunt de ſubſtantia Sacramenti, oportet eſſe certa*; ergo.

Reſp. 1. objectionem hanc nimis probare, nimirum internam intentionem nunquam neceſſariam eſſe, utpote quę juxta adverſarios nunquam certa eſſe poſſit: & tamen fatentur ii internam intentionem eſſe neceſſariam, quoties Miniſter non publice ſed privatim, non rogatus ſed ſponte ſua, & extra debitas circumſtantias agit.

Reſp. 2. diſt. min. quę ad ſubſtantiam Sacramenti pertinent, debent eſſe certa moraliter, C. phyſice aut metaphyſice, N. Omiſſis harumce certitudinum definitionibus, quas attuli in Tract. de Conſcientia cap. 4. Dico paucis 1. in Sacramentis ſufficere certitudinem moralem; 2. certitudinis hujus exiſtentiam cum noſtra circa internę intentionis neceſſitatem opinione cohęrere. Quod ſufficiat certitudo moralis fatetur cum aliis Serrius, & a Calvinianis ipſis fatendum convincit. *Ecquis*, inquit, *ſpondere ſibi certo poteſt certitudine utique phyſica, veram propriamque ſuſcepiſ*

Sacra-

Sacramenti fuiſſe materiam, veram etiam propriamve formam, nullumque in iis adhibendis fraudem fuiſſe a Miniſtris admiſſam. Quod autem ea certitudo in noſtra quoque opinione occurrat, patet, quia tam legitime præſumitur, eum qui ſerio ſe gerit ut Eccleſiæ Miniſtrum, haud peccare contra intentionem, quam præſumatur eum non peccare circa materiam & formam: unde hic, ut alibicumque viget id S. Thomæ *: De quolibet præſumendum eſt bonum, niſi probetur contrarium*. Et vero ſi conſulerentur adverſarii circa pueros mille a perſonis minime ſuſpectis privatim baptizatos, nemo eorum circa hæc Baptiſmata anxius eſſet: & ii tamen fatentur Baptiſmata hæc non valere ſine intentione mentali. *Supplement. q. 45. a. 4*

Ut quid ergo, inquies, negat S. Thomas, Miniſtri bonitatem ad ſubſtantiam Sacramentorum requiri: cum de ea ut & Miniſtri intentione moraliter conſtare poſſit.

Reſp. poſſe equidem aliquando moraliter conſtare de probitate Miniſtri, ſed multo difficilius quam de intentione ejus. Hæc nimirum res eſt nullius aleæ & mere naturalis: illa nec ſolis naturæ viribus habetur, nec ſine acri vigilantia cuſtoditur, nec uno tantum, ſed innumeris modis labefactari poteſt.

Saltem, inquies, requireretur juxta nos aliqua in Miniſtro probitas; quod tamen S. Thomas ibid. indiſtincte negat, prout & indiſtincte contra Donatiſtas negat Eccleſia.

Reſp. a nobis requiri in Miniſtro illud probitatis genus, quod impediat ne ritum ſacrum facere velit ut profanum; quæ probitas vix cuiquam niſi dæmone pejori deeſſe poteſt: non requiri vero eam probitatem quæ in ſanctis caſtiſque moribus conſiſtit. De hac autem ſola actum eſt Eccleſiam inter & Donatiſtas.

Quartam, quam pro Achillea habet, rationem ſic proponit Serrius. Non minor, imo major in adultis Sacramentum ſuſcipientibus requiritur intentio *recipiendi*, quam in Miniſtris intentio *faciendi*, quod facit Eccleſia: atqui in ſubjecto Sacramenta recipiente ſufficit intentio externa. Qui enim ſolo ſupplicii metu Baptiſmum recipit, ſolam habet intentionem externam: atqui is tamen baptizatur valide. Major patet: prob. min. 1. ex Adriano I. qui Epiſt. 8. decernit Saxones tormentorum metu ad Baptiſmum adactos, eumdem valide recepiſſe, *etſi*, ait Pontifex, *foris tantum, non intus conſenſiſſent*; 2. ex Innocentio III. c. 3. *De Baptiſmo*, ubi ſic: *Is qui terroribus atque ſuppliciis violenter attrahitur, & ne detrimentum capiat, Baptiſmi ſuſcipit Sacramentum; talis, ſicut & is qui ficte accedit ad Sacramentum, characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum; & ipſe tanquam conditionaliter volens, licet abſolute non velit, cogendus eſt ad obſervantiam fidei Chriſtianæ*. Idem docent Concilium Toletanum IV. & D. Thomas in 4. diſt. 6. q. 1. art. 2. q. 3.

Reſp. 1. neg. maj. ſiquidem intentio interpretativa quandoque ſufficit ad ſuſcipiendum Extremæ-Unctionis Sacramentum. Sufficit etiam intentio habitualis, quæ ſola in dormientibus & amentibus remanet, ad ſuſceptionem Baptiſmi: atqui tamen neutra illa intentio unquam ſufficit ad collationem Sacramentorum, ergo. His adde quod juxta Serrium non valeret Baptiſma collatum a Sacerdote, qui diſtricto gladio ad proferenda formæ verba compelleretur; & tamen valeret ſic ſuſceptum, prout fert objectio.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. 2. neg. min. cum S. Thoma 3. p. q. 68. art. 7. ubi hæc habet S. Doctor: *Ex parte baptizati requiritur voluntas, ſive intentio ſuſcipiendi Sacramentum*, & ad 2. *Si in adulto deeſſet intentio ſuſcipiendi Sacramentum, eſſet rebaptizandus: ſi tamen hoc non conſtaret, eſſet dicendum, Si non es baptizatus, ego te baptizo*, & in Supplem. q. 45. art. 5. *Sicut ſe habet ablutio exterior ad Baptiſmum, ita ſe habet expreſſio verborum ad matrimonium; unde ſicut ſi aliquis ablutionem externam reciperet, non intendens accipere Sacramentum, ſed ludum & dolum facere, non eſſet baptizatus; ita expreſſio verborum ſine interiori conſenſu matrimonium non facit*: ubi qui interius *ludum & dolum facere* vellet, non magis eſset baptizatus, quam qui *ſine interiori conſenſu matrimonium* contraheret, eſset vero matrimonio conjunctus.

Reſp. 2. neg. maj. etſi enim qui ob ſolum ſupplicii metum baptizatur, ante intentatas minas nolit baptizari, vult tamen poſt minas baptizari, aut ſaltem contrariam habuiſse voluntatem non præſumitur; unde Eccleſia quæ de internis non judicat, haud ei permittit ut ad profanos mores revertatur; quia perſuaſum habet ea quæ ex metu fiunt, etſi ſecundum quid involuntaria ſint, eſse tamen ſimpliciter voluntaria. Neque hæc agendi ratio ſolius Eccleſiæ propria eſt, ſed & apud politicos Judices locum habet: ſi quis enim ex metu mortis ſibi juſte incuſso Titiam ducat, non audietur, ſi reclamare deinceps velit, & illatam ſibi vim conqueri, niſi manifeſte probet ſe interius diſsenſiſse.

Ad 3. diſt. Saxones foris tantum conſenſerant, non autem conſenſerant intus conſenſu abſoluto, C. conſenſu conditionali, N. Solutio deſumpta eſt ex ipſo qui objicitur Innocentii textu. Itaque qui ex pœnæ metu ad Baptiſmum adiguntur, abſolutam Sacramenti recipiendi voluntatem non habent, quia abſolute non vellent baptizari, ſi abeſset tormentorum metus: ſed tamen habere poſsunt conditionatam, eamque efficacem Baptiſmi ſuſcipiendi voluntatem; quia ex hypotheſi quod vel ſuſcipiendum ſic Baptiſma, vel ſubeundi cruciatus, malunt Baptiſmum, quam tormenta: unde valere poteſt eorum Baptiſma, ſicut valere poteſt conjugium illius qui Titiam ducit, ne patibulum ducat.

Et vero ſi Pontifices ſenſiſsent valere Baptiſmum ſecluſo quocumque cordis conſenſu, non erat cur improbarent id Gloſsæ in cap. *Solet* 31. *De conſecrat.* diſt. 4. & in cap. *Majores* 3. *De Baptiſmo*: *Valet Baptiſmi Sacramentum, ab eo ſuſceptum qui corde diſſentit; modo dicat ore ſe conſentire*: atqui tamen Gloſsam hanc reprobavit & expungi juſſit Gregorius XIII. ergo.

Inſt. ex Auguſtino Tract. 26. in Joan. *Intrare quiſque Eccleſiam poteſt nolens: accedere ad altare poteſt nolens, accipere Sacramentum poteſt nolens: credere non poteſt niſi volens*; ergo ut quis Sacramentum recipiat, non requiritur intentio.

Reſp. diſt. conſeq. non requiritur intentio, ut quis recipiat Sacramentum Euchariſtiæ, de quo hic loquitur Auguſtinus, C. ut alia recipiat Sacramenta, N. cum enim Euchariſtia habeat eſse permanens, poteſt a neſciente, & ab eo qui etiam exterius invitus ſit, quamquam ſine fructu recipi. Aliud eſt de ceteris Sacramentis, quæ in actione tranſeunte conſiſtunt: quamquam & hæc recipi poſsunt non quidem ab invito prorſus, ſed a nolente ſecundum quid. De his rurſus Cap. ſeq. Art. 2.

Quin-

Digitized by Google

Quinta adverſariorum ratio deſumitur a multiplici paritate. Scilicet, inquiunt, non minus valet Sacramentum ſine interna intentione collatum, quam matrimonium ſine interiori conſenſu; votumve aut juramentum ſine animo vovendi, aut jurandi: atqui hæc valent; ergo.

Reſp. diſt. min. hæc valent in foro exteriori, C. in foro Dei, N. Itaque contractus initi iis cum formalitatibus, quibuſcum iniri ſolent, pro validis habentur in exteriori foro; idque merito conſtitutum eſt, ut occurreretur fraudibus eorum, qui ut a ſtatu ſibi inviſo recederent, quotidie allegaſsent præſtiti a ſe conſenſus defectum. At ii tamen actus reipſa nulli ſunt in ſe, niſi ſeria acceſserit voluntatis conſenſio. Hinc conſultus Clemens VIII. a nobili femina, quæ cuipiam nupſerat diſsentiente animo, decernit novum conſenſum, admonito prius de matrimonii nullitate marito, eſse neceſsario adhibendum; prout refert Pontius Lib. 4. c. 24. n. 4. Hinc Nicolaus I. 27. q. 2. cap. 2. *Conſenſus ſi in nuptiis ſolus forte defuerit, cetera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur:* quod & docet Innocentius III. c. 26. *De ſponſalib.* unde Serrii objectio nobis vertitur in probationem.

Idem eſt de voto & juramento; neutrum quippe veri voti aut juramenti rationem habet ſine implicita ſaltem vovendi aut jurandi intentione, qualis in iis eſse poteſt, qui etſi forte interius vellent non ligari, ſerio tamen & ex animo volunt id facere, quod faciunt qui vere vovent aut jurant. Quod autem voto vere non ligentur, qui nullatenus vovere intendunt, manifeſtum eſt ex iis quæ cum agmine Theologorum diximus Tom. 2. in Tract. de Religione. Nec aliud unquam, ſed idipſum expreſſe docet S. Thomas, ut patet ex his ejus verbis in 4. d. 38. q. 1. a. 1. q. 1. ad 2. *Promiſſio quandoque fit ore & non corde, & talis quoad Deum non eſt votum.*

Inſt. Si juramentum abſque interna jurandi voluntate emiſsum, non ſit reipſa juramentum, non erit perjurus qui ipſum violaverit, etſi forſitan aliunde peccet; cum perjurus ſit nemo, niſi qui juramentum violat: atqui tamen perjurus eſt qui juramentum ſine jurandi intentione emiſsum tranſgreditur. Prob. min. ex Cenſura huic a Clero Gallicano Propoſitioni inuſta an. 1700. *Qui jurandi intentionem non habet, licet falſum juret, non pejerat, etſi alio crimine tenetur, puta mendacii alicujus.* Præiverat Innocentius XI. hac proſcripta theſi n. 26. *Si quis juret . . . ſe non feciſſe aliquid quod revera fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud quod non fecit; vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.*

Reſp. neg maj. ejuſque probationem: eſt enim perjurus non is modo qui verum juramentum violat, ſed & is etiam qui per ſacrilegam divini nominis obteſtationem, aliis perſuadet ſe jurare, cum tamen interius non jurat; adeoque & qui ſic jurata non implet, prout tenetur implere ob reverentiam divini teſtimonii exterius aſsumpti. Imo, ut notat Dominicus Viva in prædictam Propoſitionem 26. omne juramentum illicitum ex SS. Hieronymo & Thoma eſt perjurium. Eſto perjuria hæc non ſint ejuſdem omnino inter ſe rationis; quid inde, modo iis ex conſtanti uſu inditum ſit perjurii nomen? Hinc Nat. Alexander Lib. 4. Theolog. moral. c. 4. art. 3. Reg. XI. *Lethalis*, inquit, *perjurii reus eſt, quicumque doloſe jurat, jusjurandi verba proferens abſque animo jurandi;* quia nimirum

ex

ex Auguſtino Epiſt. 126. alias 225. *Expectationem eorum quibus juratur, quiſquis deceperit*, ut decipit qui ficte jurat, *non poteſt eſſe non perjurus*. Idem, ut ceteros omittam docet Fagnan in 1. part. Lib. 5. Decretal. cap. *Falſidicus*, *De crimine falſi*, nu. 102. ubi ſic: *Qui apparenter jurat, ſed intentionem habet aut non jurandi, aut ſe juramento non obligandi*, &c. *perjurus eſt: quia exterius juramentum applicatur mendacio, quod eſt materia omnino contraria juramento tam interiori, quam exteriori*. Quapropter tota Theologorum hac de re doctrina paucis his Henrici a S. Ignatio verbis conclu-
Tom. 2. lib.10.p. di poteſt: *Certum* eſt, *quod juramentum ſine animo jurandi in foro externo obli-*
2. c.4. *gat; in foro vero interno licet non obliget in quantum juramentum, quia reve-*
n.24. *ra non eſt juramentum internum* (ſed perjurium, ait Beſombius) *videtur*
Tom. 3. Tr.1. c. *tamen obligare vi juramenti externi, ob reverentiam divini teſtimonii exterius aſ-*
2. ar.6. *ſumpti, quod non ſolum in vanum aſſumitur, dum ficte aſſumitur, ſed etiam dum res juramento promiſſa non ſervatur*.

Sexta ratio ſic paucis proponitur: Tam ſacramentaliter operatur, qui externum ponit Sacramenti ritum, licet hunc non intendat, quam magice operetur, qui ſignum pro magico cognitum ponit, licet magiam non intendat, ſed deteſtetur: atqui, &c.

Reſp. neg. min. ſi quis enim ſignum magicum recuſata dæmonis ope ponat, ut illud ſuperſtitioſum eſſe probet, nihil quod magicum ſit, operabitur: unde hæc objectio concluſionem noſtram firmat. Et vero ſi magiam exercere cenſeatur, qui præciſe ritum magicum exercet, is etiam magiæ ſectator cenſebitur, qui eumdem ritum clam exercebit: unde a contrario ſequetur verum ab eo Baptiſmum conferri, qui privatim & non rogatus baptizat: quod tamen præfracte negant juniores adverſarii.

Septima ratio hæc eſt: Valet ordinatio excommunicatis collata ab Epiſcopo, qui ante ipſam monuit, nolle ſe cuipiam excommunicato Ordines conferre: atqui tamen Epiſcopus ille ſine interna intentione ordinavit; ergo.

Reſp. diſt. maj. valet ∴ ſi Epiſcopus ille voluntatem mutet, ut ſolet quoties nemo deprehenditur qui excommunicatus ſit, C. ſecus, N. nam
Supra p. 185. in pari caſu ob dubium ordinationem iterari voluit Sacra Congregatio, ut diximus ſupra.

Octava ratio ſic urgetur: Ut valeant Sacramenta ſine intentione Miniſtri, ſufficit ut eorum forma, per ſe & independenter a quacumque intentione operativa ſit: atqui Sacramentorum forma ∴ Quod enim operatur ex opere operato, operatur independenter a quacumque Miniſtri intentione: atqui forma Sacramentorum operatur ex opere operato. Minor patet: prob. maj. Quod operatur ex opere operato, operatur vi ſolius inſtitutionis Chriſti: ſed quod operatur vi ſolius inſtitutionis Chriſti, operatur independenter a quacumque hominis intentione; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. forma enim non operatur niſi ſit ſacramentalis: atqui ut ſit ſacramentalis neceſſe eſt ut ipſa per intentionem Miniſtri ad eſſe ſacrum determinetur: ſicut & materiam, ut ſacramentalis ſit, per formam determinari neceſſum eſt; ergo.

Ad 2. diſt. maj. quod operatur ex opere operato, operatur independenter ab intentione Miniſtri, ſi intentio Miniſtri non ſit pars hujus operi operati, aut ſaltem conditio ad ipſum prærequiſita ex inſtitutione

Chri-

Digitized by Google

Chriſti, C. ſecus, N. porro contendimus voluiſſe Chriſtum, ut ſecluſa Miniſtri intentione nihil ſit in materia & forma ſacramentale, nihil proinde operativum: id autem gratis a nobis non contendi probant quæ hactenus adduximus argumenta.

Ad 3. eadem eſt adhibenda diſtinctio.

Inſt. Illud ſolum ad operis operati conſtitutionem concurrit, quod concurrit ad conſtitutionem ſigni ſenſibilis, adeoque quod ratione ſui ſenſibile eſt: atqui intentio non eſt quid ratione ſui ſenſibile; ergo.

Reſp. neg. maj. etſi enim Sacramentum ſine ſigno ſenſibili non conſiſtit, haud tamen neceſſum eſt, ut id omne quod ad ejus conſtitutionem concurrit, ſit ratione ſui ſenſibile. Sic contritio, licet de ſe inſenſibilis, partialem Sacramenti Pœnitentiæ materiam ingreditur; quanto igitur magis neceſſarium non erit ut ſenſibilis ſit intentio, quæ non ut pars intrinſeca, ſed ſolum ut conditio ad Sacramentum requiſita haberi poteſt.

Nona ratio ſic habet: Ad confectionem Sacramenti ſufficit forma quatenus practica: atqui forma Sacramentorum, ut practica ſit, non indiget intentione Miniſtri; nempe vero forma eſt practica quatenus imperat & jubet: atqui forma ut imperet & jubeat non indiget intentione Miniſtri; nam Miniſter quatenus formam pronuntiando jubet & imperat, habet ſe ut inſtrumentum Chriſti, non ut agens præcipuum: atqui inſtrumentum Chriſti, ejuſque nomine imperans, non indiget intentione; ſed ei ſufficit ſola Chriſti, ideſt agentis præcipui intentio; ergo.

Reſp. ad 1. & 2. neg. min. quod enim non imperat, niſi ad imperandum determinetur, indiget intentione ut ad determinetur: atqui forma Sacramentorum non imperat, niſi ad imperandum determinetur, cum de ſe indifferens ſit ad imperium ſacramentale, vel aliquid plane diverſum; ut liquet in his verbis, *Ego te baptizo*, quibus mulieres duæ ad fines prorſus diverſos uti poſſunt; ergo.

Ad 3. diſt. Miniſter ∴ habet ſe ut inſtrumentum animatum, & quod inſtrumento præcipuo quoad voluntatem ſubjicere ſe debet ex S. Thoma, C. habet ſe ut inſtrumentum inanime, N. ſic diſtincta min. neg. conſeq. Solutio ſaltem ex parte admittenda eſt ab adverſariis; cum non eo uſque Miniſtrum habeant pro inſtrumento per ſe efficaci, ut aſſerere auſint, eum, ſi ſine interna intentione privatim & non rogatus baptizet, valide baptizare. Sed de his pene omnibus jam ſupra.

Solvuntur quædam dubia.

Quæres 1. an ſi forte caruerit Miniſter intentione debita, ſuppleatur defectus ille ſeu a Deo in infantibus, ſeu per devotionis ſenſum in adultis.

Reſp. 1. quidquid ſenſerint veteres non pauci, quorum ab opinione non abhorruit aliquandiu S. Thomas, nec intentionis, nec formæ aut materiæ, quæ ex Miniſtri malitia vel ignorantia vitiatæ ſint, defectum a Deo ſuppleri in infantibus extra caſum Martyrii. Ratio eſt, quia a generali hac Chriſti regula: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, nemo ex communi Eccleſiæ ſenſu excipitur, niſi qui Martyrium paſſus ſit. Unde generatim S. Auguſtinus *Joan. 3.*

Lib. de nat. & grat. c. 8. *Ego dico parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Chriſti Baptiſmum ſubveniri, morte præventum, ideirco talem fuiſſe, id eſt ſine lavacro regenerationis exiſſe, quia aliud eſſe non potuit. Abſolvat ergo eum Pelagius, & aperiat ei contra ſententiam Domini regnum Cœlorum; ſed eum non abſolvit Apoſtolus*, & S. Thomas non minus indefinite quodl. 6. art. 4. *Non poſſunt*, inquit, *ſalvari* parvuli, *niſi per Baptiſmum aquæ, vel per Baptiſmum ſanguinis*. Concinnunt hodierni Theologi pene omnes, ita ut oppoſitam opinionem Vaſquez erroneam, Sotus hæreticam, alii temerariam exiſtiment. Unde cum Cajetanus, etſi timide, excogitaſſet, parvulis in utero materno periclitantibus ſuccurri poſſe per datam ipſis a parentibus benedictionem in nomine Trinitatis, hanc ejus propoſitionem expungi juſſit Pius V. prout refert Henricus a S. Ignat. Tom. 3. Lib. 1. num. 119. An autem & qua conditione ſuppleatur Sacramenti defectus in adultis, intra vel extra caſum Martyrii expendemus in decurſu.

Quæres 2. quam graviter peccet, qui ſine intentione interna ſacramentalem formam applicat materiæ.

Reſp. eum graviſſimi ſacrilegii conſcium eſſe: ut enim docet S. Thomas 2. 2. q. 99. art. 3. *Peccatum ſacrilegii in hoc conſiſtit, quod aliquis irreverenter ſe habet ad rem ſacram; tantoque ſacrilegium eſt gravius, quanto res ſacra in quam peccatur, majorem obtinet ſanctitatem*: ſed qui retenta intentione formam materiæ applicat, adeoque Sacramentum profanat, & irritum facit, irreverenter ſe habet erga rem ſacram, & maxime ſacram; quandoquidem res inter ſacras *ſummum locum obtinent Sacramenta, quibus homo ſanctificatur*. Idem, diſpari licet de cauſa, admittent externæ intentionis aſſeclæ: nempe, inquiunt, Miniſter intentionem ſuam retinens, Sacramentum, quantum eſt de ſe, irritum facere conatur: atqui conatus ille pugnat & contra Religionem, ſeu reverentiam rei ſacræ debitam, & contra charitatem debitam proximo, quem impius Miniſter Sacramento fraudare vellet; &, ſi de Paſtore agitur, contra juſtitiam, qua ſolita ſalutis remedia ſubditis ſuis velle & conferre tenetur.

S. Th. ibid.

Quæres 3. an is quoque peccet, qui non habet explicitam intentionem, aut ſacramentalem effectum producendi, aut conficiendi Sacramentum, aut celebrandi rem in ſe revera & abſolute ſacram.

Reſp. peccare Miniſtrum hunc, ſi oppoſitam gerat intentionem; tum quia ad intentionem Eccleſiæ in re magni momenti ſeſe conformare abnuit; tum quia, quantum in ſe eſt, gratia & charactere, ſeu etiam Sacramento proximum fraudare nititur; quod certe abſque gravi piaculo fieri nequit. Haud tamen peccat Sacramenti Miniſter, ſi Sacramentorum effectus vel ignorans omnino, vel minime perpendens, aut etiam de Sacramento nihil cogitans, nihil aliud explicite intendat, quam id facere quod facit Eccleſia: nec enim Concilia Florentinum & Tridentinum aliam exigere videntur intentionem, ut dictis ſaltem in caſibus Sacramentum, cum valide, tum & licite conficiatur. Ita citatus pluries Theologus Avenionenſis.

Gaud. p. 370.

Quæres 4. an qui retenta intentione Sacramentum ad ſalutem neceſſarium, puta Baptiſma, irritum fecit, ſe ipſum etiam cum vitæ periculo prodere teneatur.

Reſp.

Reſp. teneri, niſi aliter damnum hoc reſarciri queat. Ratio eſt, quia quiſque æternam proximi, a ſe per ſummum ſcelus decepti, ſalutem, propriæ vitæ præferre debet, juxta id Auguſtini Lib. de Mendacio c.6. *Temporalem plane vitam pro æterna vita proximi, non dubitabit Chriſtianus amittere.* Si tamen Miniſter iis quorum intereſt, puta Epiſcopo, vel Magiſtratui, crimen ſuum ſub confeſſionis ſigillo detexerit; iique male tinctos denuo tingi curent, jam poterit reus ad oras remotiores confugere, & ſic vitæ ſuæ conſulere.

Ex his inferes eum qui a Miniſtro legitima intentione deſtituto Sacramentum, ſeu potius ſimulacrum Sacramenti recepit, teneri ad alium Sacerdotem recurrere, ſi agatur de Sacramento, cujus ſuſceptio ſub præceptum cadat. Ratio eſt, quia implendum remanet præceptum, quod per ſuſceptionem de ſe invalidam minime impletum eſt. Unde qui in Paſchate hoſtiam ex defectu intentionis minime conſecratam ſumpſerit, ſacram ſynaxim adire tenetur, ut Eccleſiæ obtemperet. Ex iis tamen quæ antea dicta ſunt colligere eſt non eſſe facile credendum Miniſtro, debitam intentionem ſibi defuiſſe conteſtanti; tum quia difficile prorſus ac rarum eſt, ut interna intentio ab exteriori ritu ſerio peracto ſejungatur; tum quia ſi penitius interrogetur conſcientia Miniſtri, qui ſe nullam conficiendi aut conferendi Sacramenti intentionem habuiſſe declaret; apparebit liquido non aliam ei defuiſſe intentionem, quam vel producendi effectum Sacramenti, vel exteriorem ritum, quatenus formaliter Sacramentum eſt peragendi: quæ quidem intentio neque neceſſaria eſt in Miniſtro infideli, neque etiam in fideli; niſi is, ut ſupra notavimus, exiſtimet non poſſe intendi ritum Eccleſiæ, quin intendatur ut Sacramentum, vel res in ſe & abſolute ſacra.

Si tamen certo conſtet, imo ſi rebus ſerio penſatis dubium ſit an Miniſter nequam legitima caruerit intentione baptizando, tunc baptiſma vel abſolute, vel ſub conditione denuo conferendum erit. Quod ſi id citra ſcandalum ob rebaptizandorum multitudinem fieri nequit, ut res moram patitur, recurrendum erit ad Epiſcopum; imo & juxta aliquos, ab Epiſcopo ad Rom. Pontificem, ad quem *majores Eccleſiæ cauſas, & difficiliores quæſtiones* referendas eſſe tradit Innocentius III. cap. 3. *De Baptiſmo*, &c.

Quæres 5. an intentio errans poſſit eſſe interna; proindeque an baptizet quis valide filium Petri, ratus eum eſſe filium Joannis; vel marem ratus eſſe feminam?

Reſp. ad valorem cujuſcumque præter matrimonium Sacramenti ſufficere ut perſona ſit confuſe determinata: unde qui baptizat, ſive circa perſonam erret, ſive non, valide baptizat, quia præſentem, quiſquis ille ſit, baptizare intendit. Si tamen exiſtimans ſe marem baptizare, excluderet feminam; non ſtaret Baptiſma; ſicut non ſtaret ordinatio, ſi veritus Præſul ne filius Regis ſeſe ordinandis immiſcuiſſet, ſuam circa eum intentionem expreſſe retineret.

Sicut autem in perſonam præſentem; ſic & in præſentem materiam abſque limitatione ferri debet intentio, niſi ſubſit cauſa. Ratio eſt, quia Miniſtri intentio conformis eſſe debet formarum verbis: atqui formarum verba nihil circa materiam præſentem limitant: non enim dicit forma, *Abſolvo te a peccatis iſtis, non ab illis*; ergo.

Hinc

Hinc imprudenter ſe geret celebrans, ſi ad unam hoſtiam limitet intentionem ſuam; quia fieri poteſt ut propter adhæſionem duplex ſit, quæ credebatur unica; ſicque vel neutra conſecrata ſit, vel dubitari poſſit utra ſit conſecrata: cum e contra certo conſecratæ ſint ambæ, imo centum, quæ in pixide erant, ubi decem tantum eſſe credebantur, ſi Miniſter intentionem ſuam non reſtrinxerit. Si tamen Sacriſta, non conſumptis quæ in Ciborio remanſerant particulis, hoſtias conſecrandas ſuperpoſuerit imprudens, tunc intentio in eam ſolum materiam ferri debet, quæ non ante fuerit conſecrata.

Quæres 6. an intentione legitima prædictus cenſeri poſſit, qui cogente mortis metu Sacramentum confert.

Reſp. affirmat. contra Serrium: quia ad valorem Sacramenti ſufficit vera intentio, faciendi quod facit Eccleſia: atqui intentionem hanc poteſt quis ex metu ſeu juſte ſeu injuſte incuſſo efformare: unde qui premente naufragii metu puerum baptizaret, quem quia ſibi inviſum baptizare noluerat, valide baptizaret; ergo & valide baptizare poterit, etſi baptizet ob metum inique incuſſum, puta ab iis qui puerum domi contra Eccleſiæ leges baptizari volent. Ratio ulterior eſt, quod metus, is etiam qui in conſtantes cadit, niſi rationem obruat, non tollit voluntarium *ſimpliciter*, ſed ſolum *ſecundum quid*, prout diximus ubi de actibus humanis.

Non nego matrimonium, vota, Beneficii reſignationem, conceſſionem aut prorogationem juriſdictionis, & ſimilia, in caſu metus gravis invalida eſſe jure poſitivo: verum invaliditas hæc nullibi quoad Baptiſmum v. g. conſtituta eſt; imo nec conſtitui potuit, quia Baptiſma ſub nullo prorſus reſpectu diſpoſitioni Eccleſiæ ſubjacet; ſecus de matrimonio ut contractu.

Quæres 7. an valeat Sacramentum ſi Miniſter intentiones habeat oppoſitas, puta ſi id facere velit quod facit vera Eccleſia, nolit autem id facere quod facit Eccleſia Romana.

Reſp. valere Sacramentum quoties poſterior intentio priorem non deſtruit: unde valet, prout jam diximus, Baptiſma a Genevenſi Prædicante collatum; quia Romanæ Eccleſiæ excluſio, quæ a ſpeculativo intellectus errore proficiſcitur, totalem & abſolutam relinquit intentionem
Gaud p. 126. faciendi id quod fecit Chriſtus. Si quis vero, ait Lamb. Gaud, non ignorans rationem Sacramenti, a matrimonio ſejungi poſſe, hac una ſolum intentione contrahere velit, ut Sacramentum non faciat, reipſa non conficiet Sacramentum; quia poſterior intentio priorem deſtruere cenſetur. Sed de his alibi.

§. II. *An neceſſaria ſit intentio actualis.*

Quam fuſe præcedentem quæſtionem expendi, tam breviter ei, quæ nunc diſcutienda venit, immorabor. Obſcura quidem eſt & perplexa difficultas, in quo ſita ſit intentionis virtualis natura: ſeu quæ eſſe poſſit virtus primæ illius intentionis, quæ cum jam in ſe nihil ſit, in mediorum tamen applicatione perſeverat: unde hic duas præcipue in partes dividuntur Magiſtri. Alii ſiquidem exiſtimant cum Suare, ad intentionem virtualem non requiri ut actu perſeveret aliqua voluntatis intentio ſive circa finem, ſive circa media; quia poſtquam voluntas ſemel imperavit inſe-

inferiori potentiæ, hæc in ſua actione naturaliter continuat; ut docet experientia de eo, qui per horam ambulans, de ambulatione non ſemper cogitat, ideoque nec illam vult continuo. Alii ad actiones, quæ ex virtuali intentione fieri dicuntur, tenuem aliquam remiſſamque attentionem concurrere putant: quia hac ſecluſa non credunt explicari poſſe, quomodo fieri queat ordinata illa actionum ſeries, quæ ſæpe ab arte intellectuali dependent, ut in cantu Miſſæ, vel recitatione carminum. Ars enim eſt habitus acquiſitus, qui vocem dirigere non poteſt niſi mediis actibus elicitis; ergo ſemper influit medio aliquo actu, quo dictat vocem tali vel tali modo inflectendam eſſe hic & nunc. Nec obſtat, inquiunt, quod ſi animus ad ea quæ peracta ſunt, reflectere velit, nihil omnino percipiat: hæc enim imperceptibilitas partim oritur ab exilitate actus, partim ex gravi intellectus ad objecta per imaginationem propoſita converſione. Verum his, quæ juris philoſophici ſunt, neglectis, & de quibus conſuli poſſunt Martinon tom. 4. pag. 518. Lugo diſp. 8. n. 75. & ſeq. id unice definiemus in præſenti, quod a Theologorum vulgo expendi ſolet. Sit igitur.

Conclusio I. Ad validam Sacramenti confectionem non ſufficit intentio habitualis, vel interpretativa.

Prob. 1. pars: Intentio ad Sacramenti confectionem ſufficiens, influere debet in actionem ſacramentalem; cum illam ut pote de ſe indifferentem determinare debeat ad eſſe Sacramenti: atqui intentio mere habitualis, nec influit nec influere poteſt in actionem ſacramentalem. Quod enim nec in ſe nec in virtute remanet, in nullam actionem moralem influere poteſt; atqui intentio habitualis, ut ex ejus definitione notum eſt, nec in ſe nec in virtute remanet; ſed ſolum in habitu ex præteritorum actuum repetitione comparato; ergo.

Et vero intentio habitualis ſubſiſtit in homine ebrio vel dormiente; atqui tamen neuter capax eſt Sacramenti validè conficiendi; cum Sacramenti valide conficiendi, ii ſolum ex inſtitutione divina capaces ſint, qui humano modo, ac proin deliberate agere poſſunt; ergo.

Prob. 2. pars; quia ad validitatem actionis requiritur in agente vera eamdem ponendi intentio; unde ubique terrarum, aliud eſt *conſenſiſſem*, aliud *conſenſi*: atqui intentio interpretativa, non eſt vera intentio, ſed ſolum diſpoſitio ad concipiendam intentionem; unde de eo qui interpretative ſolum aliquid intenderit, non dicetur, *Voluit*; ſed ſolum, *Voluiſſet*; ergo.

Confirm. Actio ſacramentalis, ut pote humana & moralis in genere meritorio, debet libere & advertenter poni.: atqui non ponitur libere & advertenter, id quod ponitur ſine ullo voluntatis actu; & ſine ullo voluntatis actu ponitur id quod nec vis, nec voluiſti, ſed ſolum voluiſſes, ſi ſciviſſes eſſe volendum; ergo.

Objic. 1. contra 1. partem, auctoritatem S. Thomæ, qui 3. p. q. 64. art. 8. hæc habet: *Licet ille qui aliud cogitat, non habeat intentionem actualem, habet tamen intentionem habitualem, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti*; ergo.

Reſp. 1. neg. ant. vox enim *habitualis*, pro voce *virtualis*, ſeu propter abbreviatos characteres, ſeu ex Scribarum oſcitantia irrepſit in tex-

Digitized by Google

tum S. Doctoris; ut conſtat tum quia exemplaria quædam anni 1540. *virtualem* habent pro habituali; tum quia D. Thomas virtuales ab habituali accurate diſtinguit, præſertim q. *de charitate*, inter diſputatas, ubi art. 11. ad 3. ſic ſcribit: *Aliud eſt habitualiter referre in Deum; & aliud virtualiter.*

Reſp 2. admiſſa communi textus lectione S. Thomam per habituale id intelligere, quod hodierni Theologi per virtuale intelligunt, ut vel ex ipſa textus lectione manifeſtum eſt.

Objic. 2. Valet Baptiſma collatum a Parocho, qui poſt habitam actualem pueri baptizandi voluntatem, domo egreditur, & ingreditur Eccleſiam ut eumdem baptizet, ſed interim alio vocatus, puta ut moribundi confeſſionem excipiat, non redit ad Eccleſiam niſi poſt quatuor aut quinque horas, tuncque ſine novo voluntatis actu infantem baptizat: atqui tamen nulla alia ineſt Parocho huic intentio, quam habitualis. Ubi enim tanta eſt interruptio, ibi deſiit motus quem intentio prima potentiis exterioribus impreſſerat: atqui deſinente hoc motu una deſiit intentio quæcumque virtualis; cum ea ſolum intentio dicatur virtualis, quæ ſaltem in motu potentiis impreſſo perſeverat; ergo.

Reſp. 1. vix ac ne vix quidem fieri poſſe ut ille Parochus poſt quatuor aut quinque horas Eccleſiam pueri baptizandi cauſa regrediatur, ſine novo quodam ſaltem confuſo voluntatis actu. Quare enim qui moribundi confeſſionem excipiendo, infantis oblitus erat, non redit domum, ſed recta tendit ad Eccleſiam, niſi quia revocat ſibi in memoriam ſupereſſe infantem quem abluere debeat, & quem idcirco vult baptizare. Itaque major pro ultima parte negari poteſt tanquam de falſo ſupponente. Certe Theologi ut difficultates fingant, fingunt & hypotheſes, quas eorum nemo proprio ſenſu, propriaque experientia munire poſſit.

Reſp. 2. neg. min. ejuſque probationis maj. ſi enim motus quem exterioribus potentiis mane impreſſit viator, tota die perſeverare queat, etſi interim vacet meditationi, officium recitet, cum itineris ſocio confabuletur, oculos agrorum vel ædium intuitu paſcat: quidni & in præſenti caſu perſeverare cenſeatur motus potentiis per primam intentionem impreſſus?

His duo adde, 1. intentionis primitivæ *virtutem* a pluribus aliter explicari, quam per perſeverantiam motus potentiis exterioribus impreſſi, de quo ſupra; 2. S. Thomam non videri requirere ad intentionem virtualem, quod actualis voluntas non fuerit interrupta, ſed ſolum quod revocata non fuerit. Sic enim loquitur in 4. diſt. 6. q. 2. art. 2. ad 4. *Quia cogitatio eſt valde labilis, etiamſi tunc non adſit actualis intentio, quando Miniſter verba profert, dummodo prius intenderit, & contraria intentio non intervenerit, Sacramentum non impeditur; quia operatur tunc in vi præcedentis intentionis.*

Quoniam vero non deſunt plures Theologi, qui intentionem ſi per aliquod impedimentum interrupta ſit, nec actu nec virtute remanere contendant, idcirco curandum eſt iis qui ſic interrupti fuere, ut intentionem ſuam renovent; ne Sacramentum dubio ſaltem nullitatis periculo
Paul. to. exponatur: unde, ait Paulus a Lugduno, nulla foret abſolutio Sacerdo-
5. p. 66. tis, qui intentione non iterata abſolveret, poſtquam negotio alicui per
** Pag. 41. col. 2.* ſemihoram aut quadrantem vacaſſet. Idem indiſtincte docet Grandin * non

de

de eo ſolum qui in ebrietatem, ſed & qui in amentiam utique tranſitotiam vel ſomnum incidiſſet; quique, ut debet ſupponi, emergens e ſomno, rem ſacram inadvertenter & quaſi mechanice perageret; qui enim, ut moris eſt, advertenter regreditur ad altare, intentionem ſatis renovat. Ceterum tunc maxime intentionem renovari decet, cum eam per peccatum interrumpi contigit: ſacræ enim intentioni nihil adverſum magis, quam intentio peccandi.

Objic. 3. Intentio habitualis ſufficit, ut Miſſæ omnes per totum menſis, imo & anni ſpatium celebrandæ alicui applicentur; ergo & ſufficit ut toto eo menſe conficiatur Sacramentum.

Reſpondent aliqui cum Vaſque diſp. 38. c. 6. n. 74. neg. ant. 1. quia applicare alicui Sacrificii fructum, eſt pro illo Sacrificium offerre: atqui ad oblationem Sacrificii, non ſufficit intentio habitualis, & dudum præterita. Sacrificium enim eſt opus morale, de cujus proinde natura eſt ut nonniſi voluntate formaliter aut virtualiter præſenti offeratur; 2. quia Sacerdos non poteſt applicare fructum Sacrificii, niſi ut Chriſti Miniſter: atqui non eſt Miniſter Chriſti, niſi dum offert Sacrificium; ergo nonniſi dum offert Sacrificium, fructum ejuſdem applicare poteſt.

Haud tamen placet hæc opinio, tum quia, ut bene notat Lugo ibid. n. 93. *omnium praxi* repugnat, qui etſi nec ante Miſſam, nec in *Memento*, de quopiam cogitent, perſuaſum tamen habent iis prodeſſe Miſſam, quibus diu ante deſtinata eſt; tum quia a ſanioribus Theologis rejicitur; tum quia ratio cui innititur, neutra vim habet. Non 1. quia applicatio fructus Sacrificii ipſam ſacrificandi actionem præcedere poteſt, ſicut applicatio jejunii jejunium præcedit. Utraque nimirum applicatio habet ſe per modum donationis: porro donare quis actu poteſt, non modo rem quæ actu ſua ſit, ſed & quæ ſua futura ſit, puta quidquid piſcium toto menſe apprehenderit. Non 2. tum quia dici poteſt quod Sacerdos ſit Chriſti Miniſter, non modo dum actu ſacrificat, ſed etiam dum fructum Sacrificii futuri diſpenſat cui voluerit; quia & hujus applicationis faciendæ poteſtatem accepit a Chriſto. Adde quod etſi voluntas Miniſtri non poſſit efficaciter applicare fructum Sacrificii ſine poteſtate a Chriſto accepta, poſſit tamen de fructu hoc, ex hypotheſi quod aliquando extiturus ſit, diſponere per ſe ſolum, & independenter a poteſtate Miniſterii. Unde ſi quis cras futurus Sacerdos, primæ quam faciet Miſſæ fructum applicet Patri ſuo, hæc voluntas licet ex poteſtate a Chriſto accepta non procedat, cras tamen effectum habebit, niſi retractetur. Aliud tamen eſset ſi voluntas cujuſpiam ad aliquid volendum incapax reddita fuiſset per leges: unde non valeret conſenſus craſtino matrimonio præſtitus hodie ab eo, qui necdum dirimentis quo ligatur impedimenti diſpenſationem recepiſset; adeoque hic novo conſenſu opus foret. Vide eumdem Lugo n. 98.

Reſp. itaque neg. conſeq. ratio diſparitatis eſt, quod intentio, qua Sacerdos applicare vult fructum ſeu Miſsæ, ſeu cujuſcumque boni operis a ſe per menſem eliciendi, non ſit merum hujus applicationis deinceps faciendæ propoſitum, ſed ipſamet realis & actualis ejuſdem fructus applicatio: at vero intentio qua quis toto menſe celebrare vult, non eſt actualis confectio Sacramenti, ſed nudum ejus conficiendi propoſitum:

unde ad confectionem illius nova toties requiritur intentio, quoties præcedens, nec in ſe nec in virtute remanet; quia hæc, ut pote omnino præterita in actionem ſacram influere non poteſt.

Objic. 4. contra ſecundam concluſionis partem: Sufficit intentio interpretativa, ut adultus valide recipiat Sacramentum Extremæ Unctionis, de quo nunquam ante cogitaverat; ergo eadem intentio ſufficit, ut quis idem vel aliud Sacramentum rite conferat.

Reſp. neg. conſeq. diſparitas eſt quia qui Sacramentum recipit, habet ſe per modum ſubjecti & patientis; poteſt autem quis ſolum interpretative volens, vel etiam non volens, Sacramenta quædam recipere, ut patet in infantibus, qui valide baptizantur: at vero qui Sacramenta conficit, habet ſe per modum agentis, cui opus eſt ut rem de ſe ad plura indeterminatam determinet ad eſſe ſacrum: porro actio hæc & determinatio, quæ liberum Miniſtri influxum requirunt, veram quoque requirunt intentionem, quæ ſaltem virtualiter ſubſiſtat; ergo.

Objic. 5. Intentio interpretativa ſufficit ad peccatum & peccati pœnas, ut patet in eo qui inebriat ſe, prævidens ſe in ebrietate quempiam eſse occiſurum; ergo eadem intentio ad Sacramentum ſufficit.

Reſp. 1. neg. ant. ad ſenſum concluſionis: ſiquidem in concluſione intentio interpretativa non ea eſt qua quis vult effectum in cauſa; ſed ea qua quis rem voluiſset, ſi animadvertiſset eam fieri poſse vel debere: hæc autem intentio, vel potius ad intentionem diſpoſitio, etſi habitualiter mala, non ſufficit ad peccatum actuale: unde qui hoſtem occidiſset, ſi cognoviſset, ſed nec occidit, nec voluit occidere, quia non cognovit, non eſt actualis homicidii reus, nec cenſuris contra homicidas latis ſubjacet.

Ceterum, & id ut pote quod extra rem ſit, obiter annotaverim, non conſtat inter Theologos, an qui peccati cauſam voluntarie ponit, canonicas ejuſdem pœnas ſemper contrahat. Id quidem concedit Lugo ead. diſp. 8. n. 110. de peccatis quibuſdam, qualia ſunt inprimis ea quæ juſtitiæ adverſantur, ut homicidium, combuſtio alienæ domus, &c. quia, inquit, juſtitia non modo prohibet ne fureris, ſed & ne quid facias unde ſecuturum noveris proximi damnum: quapropter ſi in iniquis ejuſmodi facinoribus annexæ ſint cenſuræ, eaſdem contrahes, etiamſi, dum ea perpetras, non ſis jam rationis compos. Verum una docet idem Theologus aliud eſse de blaſphemia v.g. & perjurio; quia hæc a religione non prohibentur niſi ut ſunt humana, eaque vel injurioſa vel mendax contra Deum locutio; qualia non ſunt dum ab ebrio aut dormiente proferuntur: quod quidem ego de perjurio facilius admitterem, quam de blaſphemia; prout etiam docet Sanchez in Decalog. Lib. 16. c. 16. num. 44.

Reſp. 2. neg. conſeq. quia cum malum ſit ex quocumque defectu, bonum vero ex integra cauſa, quod ad prius ſufficit, non ideo ad poſterius ſatis eſt, præſertim cum alia eſt ſupremi Domini voluntas, prout in præſenti eſse conſtat ex unanimi Eccleſiæ ſenſu. Quare ſi Sacerdos, qui ſciat ſolitum ſe cum dormit, conſecratoria verba pronuntiare in panem, eo fine dedat ſe ſomno ut eadem verba pronuntiet, eaque ex tunc ad conſecrationem valida eſse velit, haud tamen conſecrabit de facto. Et vero unde ſciet, quantum ad Sacramenti certitudinem neceſse eſt,

ſe

Digitized by Google

ſe ideo prædicta verba pronuntiaſſe, quia hæc ante ſomnum pronuntiare voluit? Adde quod in homine vigilante, licet diſtracto, ſemper reperitur aliquid, quod confuſe libertatem, expeditaſque ac minime ligatas facultates denotet; nihil vero eſt in homine dormiente niſi ligatum?

Confirm. Actio Miniſtri eſt actio diſpenſatoris, quæ proinde ratione ſui humana & libera eſſe debet: atqui ad peccatum non requiritur actio ratione ſui libera, ſed ſufficit ut eadem ſit libera in cauſa, prout diximus in Tract. de Peccatis; ergo quod ſufficit ad peccatum, non ſufficit ad actionem Miniſtri.

Conclusio II. Ad valorem Sacramenti non requiritur intentio actualis, ſed ſufficit virtualis. Ita Rituale Romanum poſt S. Thomam 3. p. q. 63. art. 8.

Prob. quia intentio ad Sacramenti valorem ſufficiens, debet quocumque in caſu Miniſtro ſui compoti eſſe poſſibilis; alioqui & Miniſter & ſuſcipiens innumeris obnoxii eſſent ſcrupulis, ſemperque anxii, an hic & nunc adfuiſſet ea intentio, quæ non ſemper adeſſe poſſet: atqui, ait ibid. S. Thomas, habere intentionem actualem, *non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate; quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, ſecundum illud Pſalmi: Cor meum dereliquit me;* ergo.

Eſt tamen plurimum commendanda actualis intentio; cum tanta ſit Sacramentorum dignitas, ut ſicut cum magna mentis attentione, ſic & cum actuali voluntatis intentione ea peragi maxime deceat. Quare omittenda eſt alia quævis intentio, quantumvis pia, quæ actualem in Sacramentorum confectione intentionem expellere valeat. Hac utcumque de cauſa Pontaſius v. *Prière*, caſ. 2. juniores eos Sacerdotes redarguit, qui inconſulta devotione, varias Miſſæ Canoni preces, etiam in actibus fidei, ſpei, & amoris poſitas interſerunt. Hi nimirum *cereorum conſumptores*, ut loquitur Guillelmus Pariſ. & adſtantium corda ſua prolixitate areſaciunt; & ſpiritum ſuum Eccleſiæ ſpiritui ſubſtituere periclitantur. Ceterum ut pia & expreſſa formaretur intentio a Sacerdotibus proxime celebraturis, conceſſit Gregorius XIII. indulgentias recitantibus formulam, quæ incipit, *Ego volo celebrare Miſſam*: quæ oratio utinam & ſæpius & ſanctius a multis perſolvatur! *Gand. p. 40.*

Prob. 2. pars, quia ad Sacramenti confectionem aliqua requiritur intentio: atqui nec requiritur intentio actualis, nec ſufficit habitualis vel interpretativa; ergo ſupereſt ut requiratur & ſufficiat virtualis. Et vero illa intentio ſatis eſt, ex qua Miniſter eo modo agit, qui ſibi moraliter poſſibilis eſt: atqui ex intentione virtuali agit homo, &c. ergo.

Objic. Si quis per procuratorem matrimonium contrahere velit, valide contrahet, etiamſi tunc forte ebrius ſit, imo in inſaniam verſus: atqui tamen nulla hic eſt intentio actualis aut virtualis.

Reſp. 1. matrimonium juxta plures non valere, ſi mandans inſanierit, aut furere cœperit, priuſquam illud contraheretur; quia ut morte, ſic & amentia mandantis extinguitur mandatum, juxta id Leg. 47. ff. *De acquir. vel omitt. hæred. Furioſi voluntas nulla eſt*. De quo contra Sanchez Lib. 2. de Matrim. diſp. 11. n. 12. vide Molinam tom. 2. de Juſtitia diſp. 552. in fine, & Pontium Lib. 2. c. 15. n. 14.

Reſp. 2. neg. min. hic enim intereſt conſenſus & actualis in procura-

tore, qui agit nomine mandantis, & virtualis in mandante, qui, quem mandatario impreſſit motum, continuare cenſetur, donec eum de jure vel de facto revocaverit. Et vero procurator unam cum mandante perſonam efficit; ergo cum profert verba formaliter & practice ſignificantia, mandans ea proferre cenſetur; quod ad validitatem matrimonii ſufficit juxta leges; nec tamen ad alia Sacramenta ſufficeret.

Ex his colliges 1. ſaltem venialiter peccare eos, qui voluntarie diſtrahuntur in conficiendis Sacramentis. Quin & culpam hanc ſatius fuerit habere pro gravi ad minus dubia. Ecquis Chriſti corpus tam familiariter tractari ferat, ut ab eo, quo inſtanti ſiſtet ſe præſens, quaſi ab objecto momenti pene nullius avertantur mentis oculi?

Colliges 2. eum qui formam ſine intentione inceptam cum intentione proſequitur, nihil efficere; quia neceſſum eſt ut intentio in formam totam influat. Sic quoque nihil operatur, qui abſolutionis formam quam attente incepit, non perficit niſi ſomno oppreſſus; quia dormiens humano modo non agit. Idem eſt ſi forma perficiatur revocata intentione. Ceterum hic loquimur de forma ſecundum id quod eſſentiale habet ſpectata. Si quis enim vocem hanc *Ego*, in forma Baptiſmi ſine intentione proferat, & illico facti pœnitens, cum intentione dicat, *Te baptizo*, ſtabit Sacramentum, quia vox *Ego*, non eſt eſſentialis. Aliud eſt de pronomine *hoc* in forma Euchariſtiæ, ut bene Sair Lib. 2. cap. 4. q. 5.

Colliges 3. valide conſecrari hoſtias, quas quis conſecraturus in pixide ſuper corporale repoſuerit; etſi earum oblitus, ne quidem pixidem aperuerit in decurſu actionis: quia hic influit primæva intentio. Idem eſt, ut docet Lugo nu. 118. ſi hoſtiæ quam Sacerdos paraverat, alia eodem inſcio ſubſtituatur: quia non ſic ſuam hoſtiæ primæ intentionem alligavit, ut hanc ſolam, non vero æquivalentem conſecrare voluerit: ſed de his plenius ubi de Euchariſtia.

Colliges 4. quid ſentiendum ſit de ordinatione eorum, qui cum irregulares ſint, cenſura ligati, dimiſsoriiſve aut legitimo titulo deſtituti, manuum impoſitionem recipiunt ab Epiſcopo, qui per ſe vel Miniſtros ſuos declaravit, talium ordinationem a ſe non intendi. Si enim declaratio hæc ſit ſolum comminatoria & ad terrorem, ſubſiſtet utique ordinatio. Sin vero abſoluta ſit, non ſtabit eadem: quia hic nulla occurret intentio ſufficiens. Non actualis, quia Epiſcopus contrariam actualem habet intentionem, nempe tales minime conſecrandi. Non virtualis, quia hæc fundatur in actuali præcedente non revocata: porro vel nulla præceſſit actualis tales ordinandi intentio, vel quæ præceſſit, revocata eſt; quandoquidem ſpecialis intentio in individuo determinata derogat generali. Unde quidquid circa prædictos exercet Epiſcopus, manus imponendo, porrigendo inſtrumenta, &c. materiale eſt, non autem formale, ac proinde nihil operatur.

Sed unde judicari poterit an Epiſcopalis illa declaratio, ſit comminatoria tantum, an abſoluta? Profecto non aliunde melius quam ab Epiſcopo ipſo, qui proinde ſi adhuc ſupereſt, conſuli debet: ſi obierit, ponderanda erunt verba quibus uſus eſt. Quod ſi ex iis defuncti mens certo colligi nequit, iteranda erit ſub conditione ordinatio tanquam dubia. Ceterum ejuſmodi declarationes de futuro intentionis defectu, quæ nul-

nullum in Pontificalibus fundamentum habent, jure improbantur a Lugo ibid. n. 119. ob gravia quæ hinc exoriri poſſunt dubia & incommoda: fieri enim poteſt ut quis tali ligetur impedimento, illudque ignoret, vel oblitus ſit; item ut deinceps dubitet an non eo ligatus fuerit tempore recepti Ordinis, &c.

Colliges 5. eum qui duas ſimul habet contrarias intentiones, quandoque operari Sacramentum, quandoque non. Operabitur quidem, ſi prævaleat voluntas operandi, ut in eo prævalere cenſetur, qui ex errore ratus Miſſam non eſſe Sacrificium, vult Miſſam facere, non tamen Sacrificium: non operabitur vero, ſi utraque voluntas ſit plene æqualis, ut ſi quis æque velit & facere Miſſam, & non facere Sacrificium. Quæ poſterior hypotheſis neſcio an in praxi admitti facile poſſit ſaltem quoad Sacramenta a Matrimonio diſtincta. Qui enim vult facere Miſſam, vult ſane efficaciter id peragere quod inſtituit Chriſtus, ac proinde Sacrificium. De his adi Lugo diſp. 8. ſect. 8. per totam, ubi gravem de Abiſſinorum matrimonio controverſiam expendit.

§. III. *An intentio debeat eſſe abſoluta.*

Revocandum in memoriam Sacramentum vel abſolute conferri, vel ſub conditione, eaque de præterito, de præſenti aut de futuro. Jam tria quæruntur, 1. an Sacramentum ſub conditione datum conferatur valide; 2. an licite; 3. an conditionem exterius exprimi neceſſe ſit.

Conclusio I. Valet Sacramentum collatum ſub conditione de præterito aut de præſenti, ſi purificata ſit conditio; non valet vero collatum ſub conditione, libere futura, niſi forte in caſu matrimonii. Tres ſunt partes.

Prob. 1. pars: Valet Sacramentum collatum abſolute: atqui Sacramentum ſub conditione de præterito aut de præſenti collatum, confertur abſolute, ſi conditio purificata ſit, ideſt ſi vel extiterit de facto, vel exiſtat actu; quia voluntas conditionalis, poſita conditione tranſit in abſolutum. Hinc Juſtinian. Inſtit. *De verb. obligat. §.6. Conditiones, quæ ad præſens vel præteritum tempus referuntur, aut ſtatim infirmant obligationem, aut omnino non differunt: veluti ſi Titius Conſul fuit; vel ſi Mævius vivit, dare ſpondes: nam ſi ea ita non ſunt, nihil valet obligatio: ſin autem ita ſe habent, ſtatim valet;* ergo valent Baptiſmus & Pœnitentia ſub his formulis collata: *Si non es baptizatus, ego te baptizo; Si vivis, ego te abſolvo;* poſito quod infans baptizatus non fuerit, aut pœnitens vivat.

Sed quid ſi cognitionis exiſtentia naturaliter reſciri non poſſit; ut ſi dicat quis: *Ego te baptizo, ſi ſis prædeſtinatus.* Diviſi ſunt Theologi: alii ſic collatum Sacramentum valere putant, vel non valere, prout ſubſiſtit conditio coram Deo, vel non ſubſiſtit; quia Sacramentorum valor non pendet ab hominis cognitione vel ignorantia: unde valet Baptiſmus ſub hac forma collatus: *Baptizo te, ſi non es baptizatus;* etſi ignoretur an conditio poſita ſit. Alii idem Sacramentum valere negant, quia, inquiunt, non valent Sacramenta eo collata modo, qui per ſe & neceſſario certitudinem humanam excludat; cum ſic a Chriſto inſtituta fuerint;

ut de eorum certitudine per ſe conſtare poſſet ſaltem moraliter: porro Sacramentum ſub conditione divinæ prædeſtinationis collatum, per ſe & neceſſario certitudinem humanam ſeu naturalem excludit. Unde inſigniter diſcrepat a Baptiſmate collato ſub conditione iſta, *Si non es baptizatus, ego te baptizo*: tum quia prioris Baptiſmi validitas, res eſt humana, quæ licet per accidens occulta ſit, per ſe tamen ſciri poteſt; tum maxime quia licet ob conditionem hanc incertum ſit an valeat præſens Baptiſmus, tamen ſimpliciter certum eſt, hominem hunc baptizatum manere ſeu præſenti Baptiſmo, ſeu præterito.

Ob hæc dubia iterari deberet Sacramentum ſub ea conditione inique & ſacrilege collatum; ſi ſit iterabile (qualis non eſset Extrema-Unctio ſic collata homini jam ſanato) tum quia incertum eſt an valeat Sacramentum ab hujuſmodi conditionibus ſuſpenſum; tum quia & incerta eſt conditionis veritas, & minime neceſſaria ut alicui conferatur Baptiſmus: cum homo etiam non prædeſtinatus debeat baptizari. Ita Suarez tom. 3. in 3. p. S. Thomæ, q. 64. diſp. 13. ſect. 3.

Prob. 2. pars; quia ſi valeret Sacramentum ſub conditione futura collatum, vel valeret dum forma applicatur materiæ, vel cum implebitur conditio: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. quia Sacramentum non valet hic & nunc, niſi adſit intentio illud hic & nunc conferendi: ſed qui vult ſolum abſolvere ſub hac v. g. conditione, ſi talis res furto abrepta reſtituatur ante finem menſis, non intendit hic & nunc abſolvere, ſed intentionem ſuam ad certum uſque tempus ſuſpendit; ergo. Non 2. quia nullum eſt Sacramentum ſine materia & forma, ſeu ſine ſigno ſenſibili: atqui cum purificatur conditio, jam phyſice deficiunt materia & forma, &c. ergo.

Confirm. Quod jam phyſice nihil eſt, nihil phyſici operari poteſt, niſi aliter a Deo conſtitutum ſit: atqui probari non poteſt conſtituiſſe Deum ut materia & forma operarentur in præſenti caſu; ergo.

Objiciuntur quatuor, 1. valet abſolutio ſic data, Abſolvo te, ſi prævidet Deus te ante finem menſis eſſe reſtituturum; ergo valet & data ſub hac conditione ſi reſtitueris; 2. valide quis abſolvitur a cenſuris, hac lege ut intra certos dies ablata reſtituat; ergo & eadem lege valide abſolvetur a peccatis; 3. ſe habet ſententia Miniſtri Pœnitentiæ, ut ſententia Judicis: atqui hæc ſubſiſtere poteſt cum conditione de futuro; 4. valet matrimonium ſub conditione de futuro, purificata conditione, ergo valent perinde alia Sacramenta.

Reſp. ad 1. 1. neg. ant. nam formula hæc, Abſolvo te, ſi ſcit Deus te reſtiturum eſſe, quoad effectum huic æquivalet formæ, Abſolvo te, ſi ſis prædeſtinatus: atqui ex dictis liquet incertum eſſe valorem Sacramenti ſub poſtrema hac forma collati; ergo.

Reſp. 2. neg. conſeq. etſi enim valere poſſet Sacramentum ſub prima forma collatum, non ideo tamen valeret collatum ſub ſecunda, quia prima eſt de præſenti, cum Deus jam ſciat reſtiturum eſſe eum qui reipſa reſtituturus eſt; ſecunda vero eſt de futuro; quia conditiones, non alio fine contractibus aut Sacramentis apponi ſolent, quam ut per eas ſuſpendatur hominis conſenſus, ut ex communi omnium opinione animadvertit Suarez ibid. Et vero quod Deus ſciat aliquid eſſe futurum,

res

res eſt quæ ſub humanam cognitionem non cadit: nemo autem conditiones ſibi, aliiſve impervias apponere cenſetur, niſi expreſſe velit.

Reſp. ad 2. neg. conſeq. diſparitas eſt, quod abſolutio a cenſuris vim omnem habet a voluntate abſolventis, unde ad eam non requiruntur verba, niſi ut humano modo innoteſcat abſolventis intentio: at ſacramentalis abſolutio, tota conſiſtit in verbis, & iis quidem a Chriſto inſtitutis, quorum efficaciam Miniſter ſuſpendere non poteſt.

Reſp. ad 3. diſt. ſe habet ∴ ut ſententia Judicis, quantum ad aliquid, quia & ipſe Pœnitentiæ Miniſter, Judicis officium exercet, C. ſe habet quantum ad omnia, N. Judicis enim ſententia & ſcripto, & in abſentem ferri poteſt, non autem ſententia ſacramentalis. Sed quod ad rem propius facit, differt utraque a ſe invicem ſententia, quod Chriſtus ad Sacramentum concurrere voluerit materiam, formam, ſimulque & intentionem: quæ quidem tria concurrere ſimul non poſſunt, ubi habetur intentio Sacramenti ſuſpenſiva uſque ad poſitionem conditionis futuræ; quia dum iſta impletur, deſierunt jam materia & forma: porro nihil tale vel a Deo vel ab humanis legiſlatoribus ad judicialis ſententiæ valorem præceptum eſt.

Ad 4. in quo conſiſtit tertia concluſionis noſtræ pars, circa quam ſcinduntur Theologi, pro modulo reſpondebimus ubi de matrimonio. Interim obiter animadvertendum, eos qui matrimonium conditionale valere putant, non repetere valorem ejus ex ſuſpenſione conſenſus: ſed hinc præſertim, quod cum purificatur conditio, moraliter præſens ſit materia & forma, quam in mutua corporum traditione & acceptatione reponunt.

Conclusio II. Nunquam licet apponere Sacramentis conditionem de futuro; de præterito autem vel de præſenti quandoque licet, quandoque non. Tres ſunt partes.

Prob. 1. pars: Non poteſt ſine gravi ſacrilegio profanari Sacramentorum materia & forma: ſed qui conditionem de futuro quæcumque ea ſit, apponit Sacramento, materiam ejus & formam profanat; quia hæc nulliter & invalide uſurpat, ut ſtatim dictum eſt: unde niſi excuſet bona fides, ſi tamen hic quæpiam fingi poſſit, non minus reus eſt qui ſic ſe gerit, quam ſi Sacramentum conferret ſine intentione.

Prob. 2. & 3. pars, quia licet hac inter baptizandum formula uti, *Si non es baptizatus, ego te baptizo*; non licet vero iſta uti, *Si es prædeſtinatus, ego te abſolvo*; quia ſic exponitur Sacramentum nullitati, quæ grave pœnitenti præjudicium ciere poſſit: cum valide & utiliter abſolvi poſſit etiam non prædeſtinatus.

Imo peccaret, ſed venialiter ſolum, qui abſolvendo hominem quem crederet diſpoſitum, hanc apponeret conditionem, *Si es diſpoſitus, abſolvo te*. Peccaret quidem, quia ſine cauſa recederet ab Eccleſiæ praxi, quæ hujuſmodi conditiones ablegat. Haud tamen graviter videretur peccare, quia conditio hæc nihil mutat in re, ſicque nec Sacramento nocet, nec ſuſcipienti: cum Sacramentum ſecluſa eadem conditione prodeſſe non poſſit indiſpoſito, aut eadem poſita non prodeſſe rite diſpoſito.

Diſputant hic Theologi an & quando conditio formæ adjici poſſit. Et quidem conſtat 1. non eſſe iterandum, ſub conditione Sacramentum, niſi

niſi poſt diligens examen, prout attentis circumſtantiis fieri poteſt. Quid inde quoad obſtetrices inferendum ſit, vel non, expendam ubi de Baptiſmo.

Conſtat 2. Baptiſmum in dubio ſub conditione iterandum eſſe: id enim jam a nono Eccleſiæ ſæculo præſcriptum eſt in Capitularibus Caroli Magni, ubi ſic Lib. 6. c. 181. *De quibus dubium eſt utrum ſint baptizati, an non, omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur, his tamen præmiſſis verbis: Non te rebaptizo, ſed, Si nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris*, &c. Idem ſanxit ſæculo XI. Alexander III. cap. 2. *De Baptiſmo*. Idque licet a Petro Cantore improbatum fuiſſet, jam obſervabatur in Eccleſia Pariſienſi temporibus Odonis ejuſdem Sedis Epiſcopi, qui Alexandro III. coætaneus vixit.

Dubium eſt igitur an conditio prædicta in aliis uſurpari poſſit Sacramentis, iis præſertim, quæ characterem non imprimunt. Negant aliqui, quia id nullibi præſcriptum ſit. Affirmant alii, tum quia id & timoratorum uſu, & Eccleſiæ praxi ſatis hodie firmatum ſit; tum quia qui infantem abſolvit, ſub hac conditione, *Si ſis ratione ſufficienti præditus*, Sacramento diſertius conſulit, verba nonniſi materialiter pronuntiando; quæ alioqui prolata abſolute adeoque & formaliter Sacramentum efficient nullum, poſito quod puer necdum idoneus ſit eidem Sacramento. Alii demum exiſtimant, unumquemque Miniſtrum, ejus cui ſervit Eccleſiæ regulis obſequi debere, itaut de Sacramenti forma, quæ in Rituali præſcribitur, nec minuat quidquam nec detrahat. Etſi poſtrema hæc opinio æquitati apprime conſentanea eſt, haud tamen redarguerem eum qui ſecundam teneret practice: quia quod verbis exprimas conditionem, quam mente geris, nihil mali habere poteſt: atqui cum dubitas an ſubjectum ſit abſolutionis capax, anve eſſentiale aliquid prętermiſeris, in prima quam dediſti abſolutione, abſolutionem das, datamve repetis, intus, ſaltem confuſe animo geris intentionem conditionatam: ergo quod hanc verbis exprimas, nihil habet vere mali. Et vero appoſitio conditionis non præcepta eſt pro Baptiſmo niſi ad reverentiam, & ne Baptiſmus nullitati cuidam exponatur: quidni igitur iiſdem de cauſis apponatur ſimilis conditio in pœnitentia?

At, inquies, nullum apud Patres priorum ſeptem Eccleſiæ ſæculorum extat veſtigium formæ conditionalis; imo cum ſanxerunt iidem Patres ut Sacramentum abſolute conferretur, hanc qua forma conditionalis aperte excluditur rationem attulerunt cum S. Gregorio Magno Epiſt. 31. ad Felicem: *Non monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum*: de quo vide Juenin. diſſert. 1. q. 3. cap. 5. art. 1. & melius Tournely p. 78. & ſeq.

Reſpondent aliqui 1. non deeſſe qui credant, Patres priorum trium Eccleſiæ ſæculorum nihil de Unctione-Extrema locutos eſſe, etſi ſæpe de infirmis locuti ſint. Quis porro hinc colligere auſit Extremam-Unctionem primævis iis Patribus ignotam fuiſſe? Et vero ſi generatim loquendo, non eſt vis ſumma argumenti negativi, ut contra acrem Launoium fuſe probavit acer Joannes Bapt. Thiers in Opere ſingulari (*), multo minor eſſe debet ubi de formis Sacramentorum agitur; tum quia nulli

(*) Joannis Bapt. Thiers Carnutenſis . . defenſio, adverſus Joannis de Launoy appendicem ad diſſertationem de auctoritate negantis argumenti. Pariſ. 664.

nulli erant priori hoc ævo Libri Rituales, aliive in quibus ratio adminiſtrandi Sacramenta traderetur ex profeſſo; tum quia poſtulabat horum temporum religio ut ſacramentales formæ, ac proin quæ iis annexa erant, ſilentio premerentur: de quo conſule recentem Tractatum de verbis ſeu formis Sacramentorum (*). Addunt idem haud fuiſſe neceſſum ut conditionis meminiſſent antiqui Patres; quia cum ignoret nemo non poſſe ſine irreverentia Sacramentum incapaci ſubjecto conferri, vix ignorare quiſquam poteſt, huic incommodo quoties vere imminet, per intentionem conditionatam occurrendum eſſe. Id tamen deinceps ſcriptum fuit, ut & ipſæ Sacramentorum formæ, licet eædem nonniſi a paucis ignorari poſſent. Quia tamen objectio facta non tam neganti, quam poſitivo ratiocinio innititur,

Reſp. 2. vel contendunt adverſarii male ſancitum eſſe ut Baptiſma certis in caſibus ſub forma conditionali adminiſtraretur; vel non. Si 1. Eccleſiam totam a qua hæc hodie formula uſurpatur, redarguunt & incuſant. Si 2. dicant cur quod in Baptiſmo gravi de cauſa ob reverentiam peragitur, in Pœnitentia eamdem ob cauſam peragi non poſſit.

Conclusio III. Cum Sacramentum datur ſub conditione, non opus eſt ut conditio voce exprimatur. Ita vulgo Theologi contra Caramuel Lib. 3. Theolog. moral. n. 1495.

Prob. a communi Theologorum ſententia recedi non debet ſine cauſa cogente ſeu motivo gravi: atqui nullum opinionis ſuæ motivum grave affert citatus Theologus. Ideo quippe contendit exprimendam eſſe conditionem, quia alioqui abſolutio non eſſet ſenſibilis, nec menti concordarent verba: porro utrumque hoc nullius eſt momenti. Ut enim ſenſibilis ſit abſolutio, ſatis eſt ut verbis ſenſibilibus exprimatur; ut autem verba menti congruant, neceſſe non eſt ut id exprimant totum quod intenditur, ſed ſufficit ut aliud quam mens intendit non ſignificent, prout in illo caſu contingit; cum practice & ſacramentaliter non ſignificent, niſi ut ſubſtant intentioni abſolventis. Ita Lamb. Gaud p. 123.

Si tamen Baptiſma publice conferretur in caſu dubio, quandoque exprimenda videretur conditio in Rituali expreſſa, ne Miniſter Eccleſię legibus deeſſe crederetur.

ARTICULUS SECUNDUS.

De cauſa materiali Sacramentorum.

QUod hodierni Theologi materiam & formam vocant, id antiquis Patribus dictum fuit *res Sacramentorum*, *myſtica ſymbola*, *ſacra ſigna*, *elementa & verba*. Invaluerunt potiſſimum a temporibus Guillelmi Antiſſiodorenſis, ideſt ab anno 1215. formę & materię nomina, eaque in ſuo ad Armenos Decreto conſecravit an. 1439. Eugenius IV. ubi *Sacramenta omnia tribus* perfici ait, *videlicet rebus tanquam materia*, *verbis tanquam forma*, &c. quod & confirmatum eſt a Tridentino Seſſ. 14. c. 3. Neque id inconſulto factum, quia ſicut in toto phyſico pręcedit materia, quę utpote de ſe ad plures formas indifferens, indiget ad unam determinari; ſic

(*) Traitè Hiſtorique & Dogmatique ſur les paroles ou les ſept formes des Sacremens, par le P. Charles Merlin. Paris 1745.

Digitized by Google

ſic & in toto morali Sacramentorum præcedit elementum, quod de ſe hoc vel illud eſſe poteſt, & per verba ad hoc determinatur; juxta id Auguſtini Tract. 80. in Joan. n. 3. *Detrahe verbum, quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Itaque

Materia Sacramenti eſt illud omne, quod cum adhuc indeterminatum ſit & indifferens ad eſſe Sacramenti, ſeu ad ſignificandam & producendam gratiam, indiget ab alio ad id determinari. Forma vero eſt illud omne quod materiam determinat ad eſſe Sacramenti. Sic v. gr. in Baptiſmo, ablutio eſt materia, quia de ſe indifferens eſt ad lotionem corpoream & ſpiritualem: hæc autem verba, *Baptizo te*, prolata cum intentione faciendi id quod inſtituit Chriſtus, ſunt forma, quia ablutionem aquæ determinant ad lotionem ſpiritualem; & ſic accedente ad elementum verbo, fit Sacramentum.

Dixi in utraque definitione, *illud omne;* quia licet Sacramenti materia ſit aliquando res ſeu ſubſtantia, ut aqua in Baptiſmo, aliquando tamen non eſt niſi actio ſeu Miniſtrantis Sacramentum, ut impoſitio manuum in Confirmatione; ſeu ſuſcipientis idem Sacramentum, ut actus pœnitentis in Pœnitentia. Sic quoque etſi forma utplurimum ſita ſit in verbis, non tamen neceſſario; cum nutus, litteræ, & ſigna ſimilia, quæ ab Auguſtino *verba viſibilia* nuncupantur, verborum & formę vicem gerere poſſint in Matrimonio, juxta eos ſcilicet, qui mutuam partium conſenſionem, Matrimonii formam eſſe opinantur. His reſpective ſenſibus intelligendum quod ait Eugenius, Sacramenta *rebus tanquam materia* perfici, & *verbis tanquam forma.*

De Doctr. Chr. c. 3.

Duo hic inquirunt curioſius quam utilius Theologi: 1. an materia & forma dici poſſint partes Sacramentum componentes; 2. utrum in Sacramentis ſola verba rationem formę habeant.

Reſp. ad 1. affirmat. niſi agatur de Euchariſtia. Ratio eſt, quia ubi exiſtit compoſitum, ibi & eſſe debent partes quę componant: atqui ubi exiſtit materia cum forma vere ſacramentali, exiſtit & compoſitum. Ad compoſitum enim ſufficiunt varię partes, quę vel phyſice uniantur, ſi compoſitum ſit phyſicum, ut homo, ex anima & corpore phyſice unitis coaleſcens; vel moraliter, ſi compoſitum ſit morale, ut exercitus: jam vero ubi exiſtunt materia & forma ſacramentales, exiſtunt varię partes moraliter unitę. Neque enim, quidquid ſentiant nonnulli, moralis hęc unio per aliquam formę a materia ſeparationem impediri poteſt; quia ſeparatio hęc non impedit, quominus actio ſacramentalis, una eademque actio eſſe cenſeatur: ubi autem una eademque eſt actio moralis, ibi unionem moralem ſubſiſtere neceſſum eſt.

Excepi Euchariſtiam, quia hęc, utpote quę habeat eſſe permanens, diu perſeverat poſtquam effluxere verba quibus conſecrata eſt. Hinc verba conſecrationis dicuntur ſacramentalia, non quia conſtituant Sacramentum, ſed quia idem conficiunt; unde ſunt cauſa efficiens reſpectu Euchariſtię, non autem cauſa formalis, niſi Euchariſtia ſpectetur in fieri, quo ſub reſpectu panem & vinum habet pro cauſa materiali.

At, inquies, illud eſt de eſſentia Sacramenti, quod reddit Sacramentum ſenſibile: atqui id reſpectu Euchariſtię pręſtant verba conſecrationis; ergo.

Reſp.

Reſp. diſt. min. verba conſecrationis reddunt Euchariſtiæ Sacramentum ſenſibile, reddunt, inquam, per modum formæ extrinſecæ, & cauſæ efficientis, C. reddunt per modum formæ intrinſecæ, N. Euchariſtia enim in facto eſſe, ſenſibilis eſt per ſpecies: habent quidem ſpecies a verbis conſecrationis quod gratiam practice ſignificent, ſed non ideo verba conſecrationis habent ſe ad ſpecies per modum formæ intrinſecæ; cum ſpecies diu poſt præterita conſecrationis verba perſeverent.

Quæres utrum intentio Miniſtri ſit etiam pars Sacramenti intrinſece conſtitutiva. Affirmat Lugo diſp. 2. n. 128. hæc tamen ejus opinio communiter rejicitur, 1. quia fundamentum illius hoc unum eſſe poteſt, quod, juxta Synodum Florentinam, Sacramentum forma, materia & intentione Miniſtri perficiatur: atqui hæc ratio nulla eſt; quia alioqui & ipſa Miniſtri perſona ingrederetur compoſitionem Sacramenti; cum Synodus perſonam perinde ac intentionem requirat; 2. quia intentio non habet pro objecto intentionem: atqui tamen intentio pro objecto habet Sacramentum, ideoque & omnes ejus partes intrinſecas; ſi enim a Miniſtro ſacrum aliquem ritum peracturo quæras quid intendat, reponet illico ſe intendere confectionem Sacramenti, ergo intentio non eſt pars Sacramenti conſtitutiva; 3. quia cauſa non eſt de intrinſeca ratione ſui effectus: atqui intentio eſt Sacramenti cauſa; cum ex præſentia vel abſentia intentionis ſequatur poſitio, vel non poſitio Sacramenti; ergo.

Dices 1. Illud eſt intrinſecum alicui compoſito, quo ablato, & manentibus ceteris, non manet tale compoſitum: atqui ablata intentione, manentibus vero materia & forma, non manet Sacramentum; ergo.

Reſp. 1. neg. maj. id enim quo poſito res eſt, & quo ſublato res non eſt, poteſt non eſſe pars rei, ſed ſolum vel cauſa efficiens, vel conditio prærequiſita. Sic ſublato Baptiſmate, & poſitis ceteris non ponitur Confirmatio; & tamen Baptiſmus non eſt pars intrinſeca Confirmationis. Sic etiam ſublata intentione Chriſti, qui eſt principale agens in Sacramentis, tollitur quodcumque Sacramentum; nec tamen Chriſti intentio, pars eſt intrinſeca Sacramentorum.

Reſp. 2. neg. ſuppoſitum minoris: ablata enim intentione manet quidem id quod materiæ & formę locum habere poſſit; ſed nihil manet quod actu vera ſit materia & forma. Nam materia Baptiſmi v.g. non eſt ablutio ſimplex, & indifferens ad multa, ſed ablutio ut ad aliquid ſacrum determinata: ad id autem prærequiritur intentio non ut pars intrinſeca, ſed ut cauſa efficiens.

Dices 2. Actio ſacramentalis eſt intrinſece voluntaria: atqui non eſt voluntaria niſi ab intentione; ergo intentio eſt quid intrinſecum actioni ſacramentali.

Reſp. diſt. min. non eſt voluntaria niſi ab intentione ut influente, C. ut informante, ſeu ut parte intrinſeca, N.

Inſt. Intentio ſe habet ad actionem ſacramentalem, ſicut ad orationem & votum: atqui intentio in oratione & voto ſe habet ut pars intrinſeca; ergo.

Reſp. neg. maj. oratio enim & votum eſſentialiter important actum voluntæ-

Digitized by Google

luntatis, cum oratio ſit deſiderium, votum vero promiſſio deliberata; at vero actio ſacramentalis non importat niſi ſignum ſenſibile; quod quidem ut gratiam pariat, intentionem prȩviam ſupponit, ſed in conceptu ſuo non importat.

Dices 3. Non minus intentio aliis Sacramentis intrinſeca eſt, quam Matrimonio: atqui intentio eſt Matrimonio maxime intrinſeca. Matrimonium enim eſſentialiter conſiſtit in contractu legitimo: atqui intentio cuilibet contractui eſſentialis eſt & intrinſeca; ergo.

Reſp. diſt. min. intentio intrinſeca eſt Matrimonio ut contractui, C. ut Sacramento, N. Itaque cum contractus matrimonii ſit duorum in idem conſenſus, fieri nequit ut ſine conſenſu, ac proin ſine interna conſentiendi intentione ſubſiſtat. Sed non ideo intentio faciendi Sacramentum, eidem matrimonio intrinſeca eſt: alioqui ubicumque eſt intentio faciendi Matrimonium, ibi eſſet & intentio faciendi Sacramentum; id autem falſum eſſe demonſtrant tum antiqua Judȩorum, tum quotidiana infidelium conjugia, in quibus ita intenditur Matrimonium, ut nullatenus intendatur Sacramentum. Imo cenſent plures ab ipſis etiam Chriſtianis intendi poſſe matrimonium, abſque eo quod intendatur & fiat Sacramentum, de quo alibi.

Quod ad alteram ſpectat difficultatem, an ſcilicet in Sacramentis ſola verba formȩ rationem habeant, Reſp. negat. nam Sacramentum eſt eſſentialiter ſignum quo ſignificatur gratia: atqui ſignificatio in ſigno quolibet rationem habet formȩ; ergo & in Sacramento ſignificatio hȩc formȩ rationem habet, formȩ, inquam, adȩquatȩ, cui res ſimul & verba tanquam materia ſubſternuntur. De his adi Grandin p. 14. ſed nota cum Bellarmino Lib. 1. de Sacram. c. 18. nomen formȩ ita nunc ex totius Eccleſiȩ uſu affictum eſſe verbis ſacramentalibus, ut eo jam ferme nonniſi ad exprimenda verba uti licitum ſit. Unde culpatur Maldonatus, quia dixerit Sacramentorum verba, *ſi ſummo jure agatur*, formȩ nomen non mereri. His obiter præmiſſis, quæ ridebunt alii, alii neglecta fuiſſe conquererentur, prænuntiatam ab initio capitis diviſionem ſequemur. Unde ſit

SECTIO PRIMA.

De materia & forma Sacramentorum.

Quinque hic diſcutienda ſunt, 1. an quodlibet Sacramentum conſtet materia & forma, & qualis inter utramque ſimultas requiratur; 2. an Chriſtus Sacramenti cujuſque materiam & formam determinaverit; 3. an forma Sacramentorum debeat eſſe concionatoria, an conſecratoria; 4. an & quȩ mutatio in materia aut forma Sacramentum irritet: item an mutatio hæc licite fiat, &c.

PUNCTUM PRIMUM.

An Sacramentum omne materia & forma conſtet.

Negarunt Pauliciani apud Euthymium part. 2. Panopliæ, Lib. 21. Hi nempe circa an. 688. omnem a Sacramentis materiam eliminarunt,

narunt, totamque eorum virtutem repoſuerunt in verbis Chriſti; unde illos qui Evangelium reciperent, eo ipſo affirmabant baptizari, quia Dominus in Evangelio dixerit, *Ego ſum aqua viva*. Senſit etiam Durandus in 4. diſt. 1. q. 3. Sacramenta quædam rebus & verbis conſtare, quædam non: atque hæc ejus opinio, licet a nonnullis gravi cenſura notetur, ad meram tamen quæſtionem de verbis reducitur a Bellarmino hic Lib. 1. c. 18. Sit

Conclusio I. Omnia Legis antiquæ Sacramenta conſtabant rebus ut materia: ſed non omnia conſtabant verbis.

Prob. 1. pars. Sacramentum quodcumque antiquæ Legis, erat ſignum ſenſibile: atqui ſignum ſenſibile conſtare debet rebus ut materia; alioqui enim non eſſet ſenſibile; ergo.

Prob. 2. pars: quia ritus Circumciſionis, Geneſ. 17. ritus Agni Paſchalis, Exod. 12. ritus Conſecrationis Pontificum, Levit. 8. inter præcipua Moſaicæ Legis Sacramenta numerari ſolent: atqui legitime admodum præſumitur ritus illos ſine verbis celebratos fuiſſe. Conſtat enim Judæis ad amuſſim præſcriptum fuiſſe, quidquid ſibi in religioſo cultu obſervandum eſſet; & tamen nulla omnino quoad prædictos ritus præſcribebantur verba; ergo.

Nec nocet quod Levit. 4. 5. & 6. quædam, ex Dei præcepto, adhibendæ forent preces in Sacrificiis pro peccato, quæ noſtro Pœnitentiæ Sacramento reſpondebant, ex S. Thoma 1. 2. q. 102. Nam 1. non dicimus omnia veteris Legis Sacramenta ſine verbis confecta eſſe: negamus ſolum omnia verbis conſtitiſſe; 2. aliud eſt preces quaſdam fundi debuiſſe in quibuſdam Sacrificiis, aliud preces illas fuiſſe de Sacrificii eſſentia. Præſcribi potuere preces, ut facilius impetraretur fructus Sacrificii; non autem ut ad eſſentiam Sacrificii requiſitæ: hinc nulla adhibebatur oratio in Sacrificio pro peccato Sacerdotis. Utut eſt, ubi Sacramentum ſine verbis conferebatur, ſignificatio habebat rationem formæ.

Conclusio II. Quodlibet Legis novæ Sacramentum conſtat materia & forma.

Prob. 1. ex citato toties Eugenii pro Armenis Decreto, quod, ut ibidem legitur, approbante Florentina Synodo conditum eſt: quis horum ſit verborum ſenſus expendam Tomo ſequ. Ibi nempe *omnia Sacramenta perfici* dicuntur *rebus tanquam materia*, & *verbis tanquam forma*: itaut *ſi aliquod deſit*, *non* perficiatur *Sacramentum*: atqui Sacramentum indubie conſtat ex iis ſine quibus perfici non poteſt; ergo. Idem decernit Tridentinum Concilium, cum ſuam unicuique Sacramento aſſignat materiam & formam.

Prob. 2. ut Sacramentum omne materia conſtet & forma, ſufficit ut in quolibet Sacramento extet aliquid quod indigeat determinari, & aliquid quod determinet; primum enim materię, ſecundum formę rationem habet: atqui in Sacramento quolibet extat aliquid, quod, utpote ad plura indifferens, determinari indiget. Sic in Baptiſmate ablutio, in Confirmatione impoſitio manuum juncta unctioni, in Pœnitentia actus pœnitentis, in Matrimonio conſenſus, ut habet rationem traditionis corporum, per verba, aut aliquid verbis ęquivalens determinantur

nantur ad eſſe ſacramentale; idem vero de Sacramentis ceteris ferendum eſſe judicium oſtendemus in operis decurſu.

Prob. 3. ex conſenſu Orientalis Eccleſiæ, quam Occidentali in hoc puncto concinere liquet ex c. 7. reſponſi Hieremiæ Patriarchæ C. P. ad
An. 1574. Wittembergenſes; ubi ſic: *Quæ quidem omnia ſeptem Sacramenta ſacraſanciuntur Scriptura, certamque ac definitam materiam & formam habent .·. uti Baptiſmi materia eſt aqua, forma autem verba Sacerdotis*, &c.

Objic. 1. Materia & forma in eodem compoſito ejuſdem ſunt generis: atqui res & verba non ſunt ejuſdem generis; ergo nec res rationem habere poſſunt materiæ, nec verba, formæ.

Reſp. diſt. maj. ſunt ejuſdem generis in compoſito phyſico, tranſeat, quia anima ſpectatur ut humani corporis forma, nec tamen ejuſdem eſt cum corpore rationis. In compoſito morali, qualia ſunt Sacramenta, N.

Objic. 2. Euchariſtia poſt prolata Conſecrationis verba remanet Sacramentum; ergo datur Sacramentum, quod non conſtet verbis ut forma.

Reſp. diſt. conſeq. datur Sacramentum ſpectatum in *facto eſſe*, ſeu ſecundum eſſe permanens, quod verbis non conſtet, C. datur Sacramentum *in fieri*, N. Hic porro non loquimur de Sacramentis, niſi prout perficiuntur, ac proinde ſolum in fieri. An autem Euchariſtia in ſuo eſſe permanenti ſpectata, pro materia habeat ſpecies, & corpus ac ſanguinem pro forma, ſuo loco expendemus.

Objic. 3. In Matrimonio a mutis contracto occurrere poteſt veri nominis Sacramentum: atqui tamen Matrimonium illud non conſtat verbis ut forma; ergo.

Reſp. neg. min. vel enim Sacerdos eſt Miniſter Matrimonii, vel contrahentes. Si 1. non ſtat Matrimonium ſine verbis, & ſic ruit objectio. Si 2. deſunt quidem verba formalia, ut vocant, ſed non deſunt virtualia: hæc autem ad Sacramenti rationem aliquando ſufficiunt, ut patet ex prænotatis. Ceteras quæ hic moveri poſſent difficultates, ſuo quamque loco delibabimus.

Ceterum materia Sacramentorum duplex aſſignatur, remota ſcilicet & proxima. Materia remota, eſt res vel actus ſenſibilis, cujus applicatione (addi poſſet, vel deſtructione, propter Pœnitentiam) conficitur Sacramentum. Proxima vero, eſt actio qua eadem materia remota applicatur. Sic in Baptiſmo, aqua eſt materia remota, & ablutio qua aqua hæc applicatur, materia proxima.

Quæres an & quatenus materia & forma ſibi coexiſtere debeant, ſeu, ut brevius ajunt, quæ debeat eſſe utriuſque ſimultas.

Reſp. requiri ſimultatem phyſicam in Euchariſtia; in aliis vero Sacramentis ſufficere moralem, quæ tamen non ſit eadem in omnibus.

Prob. 1. pars, quia pronomina *Hoc*, & *hic*, quæ Conſecrationis formam ingrediuntur, verificari non poſſunt, niſi materia ſit phyſice præſens.

Prob. 2. pars: quia in compoſito morali, quale eſt Sacramentum,
Act. 2. ſufficit ſimultas moralis. Et vero vix concipi poteſt, Apoſtolos, qui una die tria hominum millia baptizarunt, utique per aſperſionem, ut docent Interpretes, ita ſemper aſperſiſſe, ut aqua ſemper tangeret Neophytos, dum

dum forma, aut aliqua ejus pars pronuntiaretur. Unde ſi quis poſt factam ablutionem, chriſmationem, aut unctionem ſtatim verba pronuntiet, valet Sacramentum; quia forma etiam tunc cenſetur juxta communem uſum veraciter dici; ſicut veraciter loqui cenſetur, qui priuſquam bibat, ait, *Bibo ſanitati tuæ;* aut qui violati ſilentii male poſtulatus, ait, *Non loquor*. Nec nocet quod formæ iſtæ, *Baptizo*, *ſigno*, &c. tempus præſens indicent; quia ſua eſt præſenti huic tempori latitudo, itaut moraliter dicatur id actu fieri, quod vel immediate antea factum eſt, vel poſt immediate fiet.

Atque hinc colligere eſt nihil ad ſubſtantiam Sacramenti intereſſe, an præcedat forma, an materia: quanquam poſtulat utcumque analogia, ut materiam ſequatur forma, cum hac illam oporteat determinari.

Prob. 3. pars: quia formæ Baptiſmi, Confirmationis, Ordinis & Unctionis-Extremæ, longe breviori a materia intervallo ſejungi poſtulant, quam formæ ſeu Pœnitentiæ, ſeu Matrimonii. In Pœnitentia enim ea ſufficit unio, quam exigit judicialis actus: porro ea eſt judicialis actus natura, ut accuſationem inter & ſententiam aliqua ſoleat interdicere diſtantia temporis. In Matrimonio autem, poſito quod Sacerdos non ſit Miniſter, ea ſufficit inter mutuam traditionem & acceptationem propinquitas, quæ in aliis humanis contractibus reperiri conſuevit: in his autem traditio ab uno facta, longo ſæpe intervallo præcedit acceptationem ab alio factam. Aliud eſt ſane in Baptiſmo, &c. ubi ſi quis abluerit, & poſt unum *Pater* & *Ave*, dicat, *Abluo te*, mentiri cenſebitur; quia verbum, *Abluo*, rem præſentem aut quaſi præſentem exigit, ut verificetur.

Ceterum etſi in his quatuor Sacramentis phyſica ſimultas non eſt de neceſſitate Sacramenti, eſt tamen de miniſterii congruitate, tum ut ſerventur præſcripta Ritualium; tum ut occurratur ſcrupulis; tum etiam ut conſulatur certitudini Sacramentorum. Poſſet enim facile fieri ut quam brevem judicas diſtantiam, & aliis videatur, & ſit reapſe longior.

An autem contritus de peccatis hora 6. confitens hora 9. & abſolutus hora 12. valide abſolutus æſtimari debeat, eo quod Pœnitentia rationem habeat judicii, ſuo in loco expendemus. Hic ſufficiet animadvertiſſe non idem de Pœnitentia, ſaltem quantum ad omnes ejus partes, ſentiendum eſſe ac de civilibus judiciis: in hiſce nimirum, inter actus accuſati & ſententiam Judicis plures quandoque dies interſunt; quod in Pœnitentia, quantum ad contritionem admitti nequit.

PUNCTUM SECUNDUM.

An Chriſtus Sacramentorum materias & formas determinaverit.

NAta eſt præſens quæſtio ex eo præcipue quod Sacramentum Ordinis non iiſdem materia & forma a Græcis etiam Catholicis conferri videatur, quibus in Eccleſia Latina hodie confertur. Nempe vero ſi eamdem & unicam pro Sacramento Ordinis materiam ac formam inſtituerit Chriſtus, neceſſum eſt ut e duabus Eccleſiis, quæ diſparibus utuntur materiis & formis, alterutra careat vera Ordinatione, & ſic nec Epiſcopos habeat, nec Sacerdotes; quod grave eſt inconveniens.

Si autem utraque in alia & alia materia vel forma valide conſecret; oportet ut vel Chriſtus diverſas pro diverſis Eccleſiis materias & formas inſtituerit, quod abſurdum eſt; vel unaquæque Eccleſia ſuam, ſaltem de alterius primariæ conſenſu, ſibi formam & materiam inſtituerit; quod plures admitti debere credunt. Ne vero hinc concludatur Sacramenta ab Eccleſia inſtituta fuiſſe, non a Chriſto.

Not. materiam Sacramentorum dupliciter a Chriſto inſtitui potuiſſe, 1. itaut determinata ab eo fuerit ſecundum genus tantum; 2. itaut etiam ſecundum ſpeciem determinata fuerit. Materia ſecundum genus tantum determinata cenſebitur, ſi Chriſtus ſolum præſcripſerit in genere, ut in tali aut tali Sacramento aſſumeretur ſignum aliquod exterius, aptum & idoneum ad ſignificandum inſtituti Sacramenti finem. Materia vero ſecundum ſpeciem determinata dicetur, ſi Chriſtus ſignum illud expreſſe determinaverit, impoſita lege eo ſemper utendi. His poſitis

Conſtat 1. quorumdam Sacramentorum materiam in ſpecie a Chriſto determinatam fuiſſe: idque manifeſtum eſt tum in Baptiſmo, qui ſola aqua; tum in Euchariſtia, quæ nonniſi pane & vino confici poteſt.

Conſtat 2. formas Sacramentorum non determinatas fuiſſe materialiter, ſeu quoad ſonum & idioma; cum indubie valeat Baptiſma quocumque idiomate adminiſtratum; ſed ſolum formaliter, ſeu quoad ſenſum & ſignificationem. Imo conſtat quoque ſenſum hunc non ita certis verbis alligatum eſſe a Chriſto, ut non poſſit niſi certa verborum ſpecie reddi in quacumque lingua: hinc ſeu latine dicas, *Ego te baptizo*, ſeu *Ego te lavo*, vel *abluo*, ſtabit, juxta plures, Baptiſmus. Idem eſt in Ordinatione, ubi voces quæ materiam comitantur, etſi Latinos apud & Græcos in eumdem ſenſum recidunt, aliæ tamen ab aliis diſcrepant. Quid nobis de hac controverſia ſentiendum videatur, ſtatim diſcutiemus: ſed ante nobis nonnihil colloquii habendum eſt cum Luthero: ſic ille in Lib. de Captivit. Babylon. cap. de Baptiſmo: *Quocumque modo tradatur Baptiſmus, modo non in nomine hominis, ſed in nomine Domini tradatur vere ſalvum facit*. Pergit Lutherus & dicta retractat: *Imo non dubitem, ſi quis in nomine Domini ſuſcipiat, etiamſi impius Miniſter non det in nomine Domini, vere baptizatum eſſe in nomine Domini*. Itaque, ait Bellarminus Lib. 1. c. 21. *Si quis dicat, Ego te baptizo in nomine Lutheri, & Catharinæ uxoris ejus, vel etiam in nomine Diaboli, erit, juxta Lutherum, verum Baptiſma, modo qui ſuſcipit, accipiat in nomine Domini*. Equidem ab hac ſua infauſta opinione receſſit parum conſtans Novator, ut ex duplici ejus Homilia conſtat: at primo huic ejus errori adheſiſſe videntur Brentius & Zvvinglius: nec mirum, cum eo trahant Lutheranæ Theologiæ principia. Si enim Sacramenta potiſſimum ad excitandam fidem inſtituta fuerint, nihil intereſt quibus rebus aut verbis utantur Miniſtri, modo hæc fidem excitare valeant. Sit jam

Homil. 1. & 3. de Bapt.

Conclusio I. Res & verba Sacramentorum ſaltem quoad ſubſtantiam & genus determinata ſunt a Chriſto.

Prob. 1. ex Patribus. Tertullianus Lib. de Baptiſmo: *Lex*, inquit, *tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta; Ite ad omnes gentes, tingentes eos in nomine Patris*, &c. Didymus, animi perſpicacia quam oculorum cæcitate celebrior: *Qui unum*, inquit, *de præceptis nominibus prætermittit*,

neque

neque perfectionem Sacramenti attingit, nec a peccatis hominem liberat. Auguſtinus Lib. 6. de Baptiſmo, c. 25. *Certa ſunt verba Evangelica, ſine quibus non poteſt conſecrari Baptiſmus.* Concinunt alii Patres; atque hinc ea ſollicitudo, qua cautum eſt a Concilio Arelatenſi I. ut examinaretur ſedulo quibus in Baptiſmate verbis uſi eſſent Ariani. Unde ſic: Si Chriſtus Sacramentorum verba nullatenus determinaſſet, valeret Sacramentum quodcumque quibuſcumque verbis collatum: atqui tamen ex citatis Patribus non valet. Qui enim docent præſcriptam eſſe formam, ſine qua nec homo a peccatis liberari, nec Baptiſmus conſecrari poſſit; qui ſedulo inſpici volunt an forma hæc ab hæreticis obſervata fuerit; qui demum ſi forma hæc prætermiſſa fuerit, Sacramentum iterari volunt; hi profecto rati non ſunt valere Sacramentum, quibuſcumque verbis collatum: atqui Patres, &c. ergo.

Et vero, ſi, ut fatentur adverſarii, determinata ſit a Chriſto Baptiſmi & ſanctæ Cœnæ materia, cur a Chriſto minime determinata fuerit forma, quæ eſt pars præcipua Sacramenti.

Prob. 2. Sacramentum eſt eſſentialiter ſignum ex inſtitutione divina ſignificans: atqui ſi Chriſtus materiam ejus & formam non determinaſſet ſaltem in genere, jam non eſſet ſignum de inſtitutione divina. Qui enim intrinſecas ſigni partes non inſtituit, nec ſignum inſtituiſſe dicendus eſt: atqui, &c.

Prob. 3. qui res & verba Sacramentorum determinavit in ſpecie, eadem debuit a fortiori determinare ſecundum genus: atqui Chriſtus, &c. Minor ut probetur, ſit

CONCLUSIO II. Probabilius eſt Chriſtum cujuſvis Sacramenti materiam & formam determinaſſe ſecundum ſpeciem.

Prob. 1. vel Chriſtus materiam & formam Sacramenti cujuslibet determinavit in ſpecie, vel Eccleſiæ poteſtatem reliquit utriuſque determinandæ, quoties id ſibi æquum videretur: atqui Chriſtus poteſtatem hanc Eccleſiæ non reliquit. Si enim Chriſtus hanc Eccleſiæ poteſtatem fecerit, poteſt Eccleſia materiam, quæ olim valida fuit, hodie irritare; & quæ olim nulla & irrita fuit, hodie facere validam, nec validam ſolum ſed & eſſentialem: atqui multo probabilius eſt poteſtatem hanc Eccleſiæ non fuiſſe conceſsam. Poteſtas enim in re, quæ utpote divina, graviſſimi eſt momenti, admitti non debet, niſi ſolide & graviter probetur: atqui ſolide & graviter probari nequit ſummam hanc, de qua loquimur, poteſtatem Eccleſię conceſsam fuiſse. Quippe in re, quę divina, ſeu Sacramenta tangit, non probatur ſolide, quidquid nec ex Scriptura nec ex Traditione colligi poteſt: atqui nec ex Scriptura nec ex Traditione colligi poteſt mira hæc & ſtupenda facultas, quam Eccleſiæ impenſam fuiſse ajunt noviores Theologi. Unde interrogati, ut vel unum ſeu ex novo Teſtamento, ſeu ex Conciliis, vel ex Patribus textum adducant in gratiam opinionis ſuę, muti remanent & elingues; merito igitur, ajebat Adrianus VI. in 4. ubi de Baptiſmo: *Noverit Eccleſia, ſe non eſſe dominam Sacramentorum, nec poſſe magis aliquam formam ſacramentalem deſtituere, aut novam inſtituere, quam legem divinam abolere, vel ad tempus ab obligatione hominum ſuſpendere, vel novum aliquem articulum fidei inſtituere.* Merito proinde explodit ibidem idem Pontifex

tifex opinionem Innocentii, & quorumdam Canoniſtarum, qui Latinum, ſi Græcorum forma baptizaretur, invalide baptizatum iri contendebant. *Imo*, ait Adrianus, *fidenter & abſque ulla dubitatione pronuntio; Quæcumque forma apud Græcos ſufficit pro Baptiſmo, a Latino obſervata confert verum Baptiſma, licet conferens graviter peccet, prætergrediens formam, quam ſibi ſervare incumbit neceſſitate præcepti. Et ab hoc*, nota bene, *nemo Theologorum aut Doctorum diſcrepat.* Hæc ille inſignis olim Theologiæ Profeſſor in Academia Lovanienſi, Caroli V. Præceptor, unuſque e Belgis qui Romanas infulas conſecutus ſit.

Prob. 2. ex Concilio Trid. quod Seſs. 21. cap. 2. docet *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ .·.· pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret.* Unde ſic: Si materiæ & formę determinatio, Eccleſię permiſſa ſit, poteſt ea materia ex valida nullam, aut ſaltem ex ſufficienti inſufficientem facere; prout in Ordine factum dicunt adverſarii, in quo quę primitus ſufficiebat manuum impoſitio, jam a vaſorum traditione ſecluſa non ſufficit: atqui non poteſt Eccleſia materiam ex valida prius facere invalidam, aut ex ſufficiente inſufficientem. Nam ex Tridentino Eccleſia nihil poteſt in ſubſtantiam Sacramentorum: atqui ſi poſſet materiam ex valida nullam facere, &c. jam non aliquid, ſed multum poſſet in ſubſtantiam Sacramentorum. Quę enim poſſet in partes intrinſecas Sacramenti, neceſſario poſſet in ejus ſubſtantiam; cum ſubſtantia nihil aliud ſit quam partes quibus intrinſece conſtat Sacramentum: atqui poſſet Eccleſia in partes intrinſecas Sacramenti. Sicut poſſet, & plurimum poſſet in partes intrinſecas ſeu hominis, ſeu Euchariſtiæ, qui efficeret ut compoſitum ex iis exurgens, jam non eſſet homo; aut ut Euchariſtia jam ſolitis materia & forma confici non poſſet: ergo.

Tournely. t.P.43. Confirm. Ideo tunc, juxta adverſarios, ſalva manet ſubſtantia Sacramenti, quia ſervatur inſtitutio Chriſti; cum, inquiunt, id ſolum inſtituerit Chriſtus, ut Eccleſia ſignum aliquod aſſumeret, ad exprimendos Sacramenti effectus idoneum: atqui reſponſio hęc omni ex parte nutat: 1. quidem, quia ſupponit id quod in quęſtione eſt, id autem nullatenus probat. Quid enim litis eſt inter nos? hoc unum, an ſic inſtituerit Chriſtus Sacramenta, ut eorum materias ac formas Eccleſię determinationi reliquerit. Affirmant quidem adverſarii, quia affirmatu facile eſt; ſed non probant ex Scriptura aut Traditione, quia probatu impoſſibile eſt; 2. quęro an impoſitio manuum, qua jam ab incunabulis uſa eſt Eccleſia, divinę ſit inſtitutionis, an humanę. Si dicere auſint, humanę, cedo probationem, ſi dixerint, divinę, ſic argumentor: Tunc mutatur ſubſtantia Sacramenti, quando hoc numero ſignum viſibile, quod inſtituerat Chriſtus, deſinit eſſe id quod antea erat: atqui, juxta adverſarios, hoc numero ſignum, nempe manuum impoſitio deſinit id eſſe quod antea erat. Ab initio enim erat ſignum de ſe valens ad conſecrandos Sacerdotes; nunc autem ad id non valet de ſe; quandoquidem vel nihil operetur, vel nonniſi mediante altero ſigno operetur; ergo.

Objic. 1. Poteſt id Eccleſia, quod fecit de facto: atqui Eccleſia de facto novam materiam materię a Chriſto inſtitutę ſubſtituit in Ordinatione

ne & Matrimonio. Nam primis ſeptem Eccleſiæ ſæculis ſufficiebat in Ordinatione impoſitio manuum, eaque nunc ſufficit apud Græcos. Pariter ante Tridentinam Synodum ſufficiebat ad Sacramentum Matrimonii conſenſus clandeſtinus: atqui neque nunc in Ordinatione ſufficit impoſitio manuum, uti definiere Patres Florentini; neque ſufficit ad Matrimonii valorem conſenſus clandeſtinus, prout Tridenti definitum eſt; ergo.

Reſp. 1. retorqueo argumentum. Eccleſia non fecit de facto id, quod ſibi probare non potuit ſe poſſe: atqui nuſquam probare ſibi potuit Eccleſia, ſe poſſe materiam novam in locum illius quæ a Chriſto inſtituta erat invehere. Id enim ſibi vel ex Scriptura vel ex Traditione, vel ſaltem ex uſu conſtanti probaſſet: atqui nullum ex his dici poteſt, aut ſi dicitur, gratis omnino dicitur; ergo.

Reſp. 2. ad 1. primamque ejus probationem, neg. min. vel enim ſola manuum impoſitio, nunc ut olim eſſentialis eſt Ordinationis materia, vel inſtrumentorum traditio, ſi hodie eſt, fuit & ab initio materia ejuſdem Ordinationis, ut in ipſo de Ordine Tractatu evincemus. Et vero ſi antiquata, quę prius ubique terrarum ſola in uſu fuiſſe ſupponitur, manuum impoſitione, in ejus locum ſubſtituta ſit, aut ſaltem tanquam aliquid eſſentiale; conjuncta inſtrumentorum traditio, ingens per totum Occidentem facta fuit Sacramenti in ſubſtantialibus mutatio & innovatio: atqui innovatio hæc, quæ pene fungi inſtar, nata ſupponitur, nequidem probabilis eſt. Certe enim ex mutatione in rebus divinis, quibus tenaciter adhærere ſolent homines, & circa quas novitatem, eam præſertim quæ nullius eſt utilitatis, exhorreſcunt, graves ſemper ſuboriuntur turbæ, gravis animorum commotio, & ſubita adverſus innovationem reclamatio. Porro turbas illas, animorumque diſſenſiones nullus Hiſtoricorum, Scriptorum nullus meminit. Qui ſic, niſi quia nihil circa Ordinem innovatum eſt, niſi quod ab initio traditum erat.

Confirm. Quia licet Tridentini Patres clandeſtina Matrimonia irritando, nihil ſubſtantiale immutaverint in materia Matrimonii, ut ſtatim declarabimus, ingens tamen fuit ea de re rumor in Sacra Synodo, itaut Decretum prędicta Matrimonia irritans, diſplicuerit Patribus plusquam quinquaginta, quos inter duo fuere ejuſdem Concilii Præſides; tametſi ii nec diffiterentur nec diffiteri poſſent, clandeſtina connubia, periculi plena eſſe & horroris. Quanto magis igitur reclamatum eſſet adverſus innovationem factam in Ordinatione, ex qua pendet ceterorum pene omnium Sacramentorum valor? Ecquis Epiſcopus Epiſcopum alium aut Presbyterum auſus fuiſſet palam aliter conſecrare, quam ipſe fuiſſet conſecratus? *Palav. L. 22. c. 4. 8. 9. L. 23. c. 9.*

Ad 2. 1. incertum eſt an Matrimonium clandeſtinum veram aliquando habuerit rationem Sacramenti; quod hic expendi non decet; licet hic deceat animadverti ex re ſatis incerta, certum, quale in pręſenti negotio requiritur, argumentum deduci non poſſe.

2. diſt. maj. ante Tridentinum contractus clandeſtinus ſufficiebat ad Matrimonium, quia tunc continebatur ſub contractu legitimo, idque libere, non neceſſario, C. ſufficiebat ratione ſui pręciſe, & neceſſario, N. Conceſſa min. neg. conſeq. itaque non quilibet contractus eſt materia Matrimonii, ſed is ſolum qui legitimus fuerit, ideſt

 nulla

nulla poſitiva auctoritate irritatus: atqui nunc ut ante, contractus legitimus eſt materia Matrimonii; ergo nunc eadem eſt quæ ſemper fuit materia Matrimonii. Fecit quidem Eccleſia, ut quod antea erat contractus legitimus, jam non ſit legitimus, ac proinde ut jam in materiam aſſumi non poſſit; ſed non ideo magis mutavit materiam Matrimonii, quam qui ex vino facit acetum, materiam mutat Euchariſtiæ. Si quid ergo probare velint adverſarii, neceſſum eſt ut probent, vel contractum legitimum non eſſe hodie materiam Matrimonii; vel voluiſſe Chriſtum, ut contractus qui ſuo tempore legitimi erant, ſemper non obſtantibus quibuſcumque Principum vel Eccleſiæ Decretis, validi forent: porro neutrum probabunt. Non 1. quia quotidianæ experientiæ repugnat. Non 2. quia Chriſtus Eccleſiæ & Principibus, omnimodam leges, quas communi bono proficuas judicarent, condendi poteſtatem reliquit, ut dictum eſt in Tractatu de Legibus.

Inſt. Qui facit ut materia quæ valebat ad Sacramentum, jam non valeat, mutat materiam Sacramenti: atqui ex modo conceſſis, facit Eccleſia, ut materia quæ valebat, &c.

Reſp. 1. neg. maj. ad ſenſum objectionis: alioqui qui ex vino acetum facit, materiam Sacramenti mutaret: is enim facit ut materia quæ ante valebat, jam valere non poſſit.

Reſp. 2. diſt. maj. qui facit, ut materia quę valebat, jam non valeat, qui, inquam, hoc facit materiam eamdem retinendo, C. qui facit materiam hanc deſtruendo, N. Sic diſtincta min. neg. conſeq. Itaque qui facit ut materia, quæ in priori ſuo eſſe perſeverat, jam minime idonea ſit Sacramenti materia, mutat ejuſdem Sacramenti materiam. Sic qui faceret ut aqua, Baptiſmi, vinum, Euchariſtiæ, conſenſus legitimus, Matrimonii materia non eſſent, is, in noſtro ceterorumque Theologorum ſenſu, Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Matrimonii materiam mutare diceretur: verum non ita eſt de eo qui ſolum materiam aufert & deſtruit; cum nullibi voti materiam mutare dicatur, qui aufert ab alio calicem, quem is certa die dandum voverat. Porro Eccleſia facit quidem ut conſenſus clandeſtinus deſinat valere; quia cum contractus ſit aliquid morale, a poſitivis legibus dependens, efficere poteſt Eccleſia, ut, qui ante erat, jam non ſit contractus legitimus: ſed nec facit, nec facere poteſt, ut contractus qui manet legitimus, non ſufficiat ad valorem Matrimonii; quia neque hoc ipſa unquam intendit, nec id intendendi poteſtatem recepit a Chriſto.

Objec. 2. Ille non determinavit formas Sacramentorum, qui ne præcepit quidem ut Sacramenta ſub aliquibus formis adminiſtrarentur: atqui Chriſtus non præcepit ∴ Neque enim cum Euchariſtiam inſtituit Salvator, dixit: *Dicito, Hoc eſt Corpus meum*, ſed id ſolum, *Hoc facite in meam commemorationem*. Pariter, cum Baptiſmum inſtituit, non juſſit hæc adhiberi verba, *Ego te baptizo*, &c. Sicut ergo cum dixit Marci ult. *In nomine meo dæmonia ejicient*, non præcepit ut Exorciſtæ hac uterentur formula, *Ego te ejicio in nomine Chriſti*, ſic a pari in Sacramentis.

Confirm. Quia ſi Chriſtus certa inſtituiſſet verba, a quibus non liceret recedere, vix poſſet conferri Sacramentum vel ab iis, qui male verba reddunt, ut imperiti; vel ab iis qui linguæ ſunt impeditæ, ut balbi.

Reſp. ad 1. neg. min. cujus contrarium patet tum ex continua Eccleſiæ

praxi,

praxi, tum ex unanimi conſenſu Patrum, quorum aliquot citavimus in prima Concluſione.

Pro reſponſione ad 2. ſit

PUNCTUM TERTIUM.

An & quæ mutatio in materia vel forma Sacramentum irritet.

Videndum hic 1. an & quando materia vel forma eo uſque immutetur, ut Sacramentum hinc invalidum fiat; 2. an & quouſque peccet, qui utramque, vel alterutram immutat. Quod ut explicetur,

Not. materiam & formam dupliciter mutari poſſe, ſubſtantialiter ſcilicet & accidentaliter. Tunc materia mutatur ſubſtantialiter, quando ex communi hominum judicio non cenſetur eadem eſſe, quam inſtituit Chriſtus, ſeu quoad ſpeciem, ſeu quoad uſum. Tunc vero mutatur accidentaliter, cum etſi in nonnullis ab ea diſcrepet, qua communiter utitur Eccleſia, ejuſdem tamen manet cum illa nominis & rationis. Mutationem accidentalem repeto a diſcrepantia cum Eccleſiæ uſu, quia, ut bene Lugo diſp. 2. n. 105. vix afferri poteſt exemplum mutationis accidentalis in materia vel forma relative ad inſtitutionem Chriſti.

Pari ratione mutatur forma ſubſtantialiter, cum non idem remanet verborum ſenſus; accidentaliter vero cum idem manet verborum ſenſus, quem iis ineſſe voluit Chriſtus. His obiter præmiſſis, ſit

Conclusio I. Mutatio ſubſtantialis ſeu materiæ, ſeu formæ Sacramentum tollit & irritat, ſecus de mere accidentali.

Prob. 1. pars: quod tollit partem intrinſecam Sacramenti, tollit & Sacramentum: atqui mutatio ſubſtantialis, ſeu materiæ ſeu formæ, tollit partem intrinſecam Sacramenti; ſicut ergo hominem tollit, qui corpus tollit vel animam, ſic a pari.

Prob. 2. pars: quod integrum relinquit Sacramentum, illud nec aufert, nec irritat: atqui mutatio, eo ipſo quo mere eſt accidentalis, Sacramentum relinquit integrum; ergo.

Hic tamen cavendum accidentalem videri poſſe, quæ mutatio ſit ſubſtantialis relative ad intentum & inſtitutionem Chriſti. Sic licet idem eſſe videatur Baptiſma collatum in nomine Trinitatis, cum eo quod confertur in nomine Patris, & Filii, &c. haud tamen valet Baptiſma ſimpliciter collatum in nomine Trinitatis; quia expreſſe voluit Chriſtus ut in hujus Sacramenti confectione explicita fieret trium perſonarum appellatio.

Ex dictis colliges 1. eum qui glacie uteretur ad Baptiſmum, aut maſſa non cocta, vel vino in uvis deliteſcente ad Euchariſtiam, nihil effecturum eſſe; quia etſi nec glacies ab aqua, nec vinum quod in uvis latet, ab eo quod expreſſum eſt, penes ſpeciem phyſicam differre ſupponatur, differt tamen ſpecie morali: hæc autem in Sacramentis, utpote quę ſint entia moralia, potiſſimum conſiderari debet. Et vero nec glacies ad ablutionem, quę in Baptiſmo neceſſaria eſt, nec uvę ad potum, qui in Euchariſtia requiritur, nec demum maſſa cruda ad nutritionem quam poſtulat Cœna Domini, inſervire poteſt. Contra

vero baptizet quis in aqua calida vel frigida, maris vel fontis, communi vel benedicta; conſecret in pane azymo vel fermentato, albo vel ſecus, valide abluet vel conſecrabit, etſi aliunde ob prætermiſſum Eccleſiæ ſuę ritum peccare queat. Ratio eſt, quia mutationes id genus nec phyſice nec moraliter materiam immutant.

Colliges 2. non ſtare Sacramentum, ſi materia ejus eo uſque alteretur, ut moraliter deſinat eſſe id quod prius. Sic qui conſecrando vino tantum immiſcet aquæ, ut jam uſuale vinum reputari non poſſit, ſubvertit materiam conſecrationis, quæ vero vino perfici debet. Sic qui alieni liquoris tantum infundit in aquam luſtralem Baptiſmi, ut ambigi poſſit an ſubſiſtat aquæ natura, dubium Sacramentum facit. Sed de his ſuo loco.

Ceterum longe facilius obrepit mutatio in formam, idque ſex præcipue modis contingit, quos invita quiſpiam Minerva his expreſſit verſibus:

Nil formæ demas, nil addas, nil variabis
Tranſmutare cave, corrumpere verba, morari.

Primo itaque mutatur forma verbi alicujus ſubtractione; eaque ſubtractio Sacramentum perimit, vel non; prout ſenſum perimit vel conſervat. Unde ſi quis in Baptiſmo demat voculam, *Baptizo*, vel *te*, aut æquivalentem, non ſtabit Baptiſmus: ſicut nec Pœnitentia, ſi dicat ſolum, *abſolvo;* quia Baptiſmus & abſolutio ordinantur ad ſubjectum certum, cui materia vel forma applicari debet. Si vero in Baptiſmo dematur ſolum vox, *ego*, vel in conſecratione particula, *enim*, nihil huic vel illi Sacramento decedet; quia formæ ſenſus ſubſiſtet integer.

Addit poſt Halenſem & Scotum Sairus Lib. 1. c. 4. art. 4. quod *ſi ſubtrahatur aliqua ſyllaba, vel littera per ſyncopam, non deſtruitur propter hoc forma, dummodo remaneat ſenſus ex accommodatione, & id aliqua intentione perverſa non fiat.* Unde ſi quis vel ex impedimento linguæ, vel ex quadam celeritate dicat, *Batizo*, pro *Baptizo*; vel, *Hoc es Corpus*, pro, *Hoc eſt*, vel in nomine *Pati*, aut *Patri*, pro *Patris*, cenſent nihil inde perire Sacramento; quia verba ſic quadantenus imminuta bona fide, ex uſu communi idem ſignificant quod integre prolata. Verum hæc propriis in locis melius expendentur. Certe ſi, *Hoc eſt Coppus*, idem ſit balbo, quod ceteris, *Hoc eſt Corpus*, non idem eſt homini expeditæ linguæ:
Hen. p. 65. unde dubitat Henno, an qui dicit *corpus*, ex intentione balbum ſimulandi, ſed cum intentione conſecrandi, vere conſecret.

Secundo mutatur forma additione extranei verbi unius vel multiplicis: & tunc, ut in ceteris, valet aut deficit Sacramentum, prout additio debitum ſenſum ſervat aut corrumpit. Unde nihil conficeret, qui
Epiph. hær. 75. Iren. p. 95. diceret vel cum Eunomianis, *Baptizo te in nomine Dei increati, & Filii creati*, &c. vel cum Marcionitis, *In nomine ignoti Patris univerſorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jeſum deſcendit, in unione ac redemptione & communione virtutum;* quia his non exprimitur, ut debet, trium perſonarum conſubſtantialitas. Pari jure nulla foret hæc Ariani forma, *In nomine Patris majoris, & Filii minoris, & Spiritus ſancti;* quia ſic tollitur & perſonarum æqualitas, & fides Eccleſiæ in qua dantur Sacramenta. Idem erit, ſi dixerit quis, *In nomine Patris, & B. Mariæ, & Filii*, &c. quia ſic conferri videtur Baptiſmus in nomine creaturæ, perinde ac in nomine Trinitatis.

De

Google

De Baptiſmate ſub hac collato formula, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & B. Virginis*, ſtatuit S. Thomas illud & validum & invalidum fieri pro intentione conferentis: invalidum quidem *ſi ſic intelligatur in nomine B. Virginis* conferri, *ſicut in nomine Trinitatis, quo Baptiſmus conſecratur;* quia *talis ſenſus eſſet contrarius veræ fidei*: validum vero, *ſi ſic intelligatur, non quaſi nomen B. Virginis aliquid operetur in Baptiſmo, ſed ut ejus interceſſio proſit baptizato ad conſervandam gratiam baptiſmalem*. Concinunt Durandus, S. Antoninus, Silvius hic, & Henricus a S. Ignatio. Lib. 2. n. 91. Reclamat tamen, nec ſolus, Tournely: quia, inquit, cum ſignificatio verborum non pendeat a privata loquentis intentione, ſed ab uſu publico; & ex uſu publico baptizare in nomine B. Virginis, ſignificet Baptiſmum auctoritate & virtute B. Virginis collatum, ſequitur Baptiſmum hunc ob corruptam exterius formam nullum eſſe. Hæc tamen ratio non videtur omni exceptione major, tum quia verba hæc *In nomine B. V.* utpote extra uſum publicum, nullam ex uſu publico ſignificationem habere poſſunt, tum quia publico uſu receptum eſt, ut invocatio creaturæ, creatoris invocationi addita, ſenſu plane diſpari accipiatur, ut cum dicit Apoſtolus, *Teſtor coram Deo, & electis Angelis ejus*: aut cum fideles confitentur *Deo, & B. Mariæ ſemper Virgini;* quapropter opinio S. Thomæ, quæ jam ab Auctore non minimum habet commendationis, practice probabilis videtur: ſi cui tamen videretur hæc periculoſa, aut dubia, repetat is talem Baptiſmum ſub conditione. Profecto, ait Sairus, peccaret graviter, qui hoc baptizaret modo, niſi forte vel ignorantia, vel bona fides excuſaret.

3. p. q. 60. a. 8.

Pag. 52

Quia contrariorum contrarias eſſe rationes oportet, non perimitur forma additione accidentali; unde valide quis baptizaverit *in nomine Patris omnipotentis, Filii ejus unigeniti, & Spiritus paracleti*. Item ſi poſt ultima formæ verba hæc addat, *& B. Virgo te adjuvet*. Idem eſt ſi quis his conſecret verbis, *Hoc eſt Corpus meum, ſanctum*, vel *pro humano genere crucifixum*: ſecus, ſi hac utatur formula, *Hoc eſt Corpus meum aereum*: quia vox *aereum*, alienat vocem *corpus*, a propria ſignificatione, quam intendit Chriſtus, & intelligit Eccleſia: quamquam & tunc quoque Sacramentum confici cenſent eruditi quidam, ſi utens voce, *aereum*, vellet dumtaxat ſpeculativum quem tenet de Chriſti corpore errorem exprimere, ſic tamen ut practice intenderet ſenſum Chriſti, ſi alius foret a ſuo: quia tunc propoſitio juxta loquentis intentionem eſt virtualiter duplex. Idem enim eſt ac ſi dicatur, *Hoc eſt Corpus meum, quod eſt aereum;* hæc autem ſecunda propoſitio non nocet efficaciæ prioris, quæ ſtatim ut prolata eſt, per ſe operatur. Quod ſi ly *aereum* adjungatur formæ tanquam determinativum ejus, & pars ipſius eſſentialis, ita ut ex primaria loquentis intentione, præcedentia verba per ſubſequentia reſtringantur; tunc quia propoſitio non ante habebit ſignificationem, quam ex toto prolata fuerit, & quia ex toto prolata ſubvertet formam, jam nihil poterit confici. Vide Lugo diſp. 2. n. 125.

Hac occaſione quæres an qui aliquid quomodocumque mutat in forma Sacramentorum, ex intentione vel errorem vel novum ritum introducendi, conficiat Sacramentum.

Supponit hæc quæſtio, 1. nullo interiori errore, quicumque ille ſit,

viola-

Digitized by Google

violari veritatem Sacramenti, quod ritu legitimo celebratur: & id quidem expreſſe docet Auguſtinus Lib. 4. de Baptiſmo cap. 15. ubi ſic: *Jam ſatis oſtendimus, ad Baptiſmum qui verbis Evangelicis conſecratur, non pertinere cujuſquam vel dantis, vel accipientis errorem, ſive de Patre, ſive de Filio, ſive de Spiritu ſancto aliter ſentiat, quam cœleſtis doctrina inſinuat.*

Supponit 2. adhuc ſtare Sacramentum, quoties forma vel manet eadem, vel accidentaliter ſolum mutatur, etiamſi Miniſter ea utatur, vel ut malum ritum inducat, vel cum publica erroris demonſtratione; modo tamen id facere velit quod inſtituit Chriſtus. Unde valide baptizant Græci hac forma, *Baptizatur ſervus Chriſti*, licet aliquando palam indicare velint, invalidam eſſe formam Latinorum. Idem eſt ſi quis utatur pane fermentato, ut panem azymum excludat tanquam inſufficientem; aut verbis Euchariſticis hæc addat tanquam eſſentialia, *quod pro vobis tradetur*. Et vero valide baptizabant Ariani ſub communi forma, etſi per eam exprimere vellent Filium inferiorem eſſe Patri. Ratio ulterior eſt, quod forma operetur, quandiu ſervat ſignificationem ſibi a Chriſto impoſitam: porro forma quæ manet eadem ſubſtantialiter, ſervat ſignificationem ſibi impoſitam a Chriſto, non obſtante etiam publico ſeu Ariani, ſeu Græci errore, quandiu is facere vult quod inſtituit Chriſtus; ergo.

Quod ſi omittat quis ſcienter accidentale aliquid, quod eſſentiale credit, nihil operabitur, non defectu formæ, ſed defectu intentionis faciendi Sacramentum; quia Sacramentum ponere non intendit, qui non vult eſſentialia Sacramenti ponere. Jam ad propoſitum

Reſp. non perfici Sacramentum a Miniſtro, qui errorem vel alienum ritum inducere vult, cum ex hac prava intentione ſenſus formæ ex ambiguo determinatur ad ſenſum ſenſui Eccleſiæ contrarium. Hinc conſultus Zacharias Papa de Sacerdote, qui *Latini eloquii* plane *neſcius, infringens linguam, dicebat: Baptizo te, in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta*, in hæc reſpondit verba, diſt. 4. *De conſecr.* cap. 86. *Si ille qui baptizavit, non errorem introducens aut hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis*, ſic dixerit, *non poſſumus conſentire ut denuo baptizentur*. Hinc & S. Thomas ubi ſupra, negat valere Baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & B. Virginis collatum a Miniſtro, qui quaternitatem in divinis exprimere velit; ſecus ſi B. Virginem ſolum baptizato adjutricem eſſe cupiat. Qui ſic vero? quia non ſubſiſtit Sacramentum, cum deſtruitur ſenſus formæ: atqui cum verbis de ſe ambiguis annectitur intentio erroris inſinuandi, deſtruitur ſenſus formæ. In primo enim exemplo determinatur forma ad ſignificandum eſſe in divinis perſonam aliquam feminei ſexus; in ſecundo autem exhibetur in iiſdem divinis quaternitas; ergo.

Contra vero cum ex ſola linguæ imperitia, eliſione linguæ, aut devotione inordinata, forma non nihil adulteratur, ſemper manet idem ſenſus ex omnibus circumſtantiis & judicio prudentum, qui norunt aliter pronuntiare rudem plebeculam, aliter viros peritos dicendi. Unde nemini ſuſpecta videbitur hæc Leodienſis Carbonariæ formula: *Enfan j' et batiſe a nos des Pere, & des Fils, & des Saint Eſprit*, licet gallica vox *des*, pluralem numerum ſignificet, quia ex circumſtantiis, & patrio

trio barbare loquendi modo, ſatis apparet iis verbis id apud mulieres illas exprimi, quod a peritioribus aliter & melius exprimitur. Eadem vero formula in ore viri nobilis, & rectius dicere aſſueti, non vacaret a ſuſpicione, majori vel minori pro circumſtantiis.

Quæres quid juris, ſi Miniſter erret circa termini ſacramentalis ſignificationem; puta ſi falſo exiſtimet voculam *hic* in conſecratione calicis, eſſe adverbium locale.

Negant aliqui valere tunc conſecrationem; quia Miniſter aliud ſignificare vult, quam quod ſignificari voluit Chriſtus, adeoque caret intentione debita. Aliter ſentit Lugo diſp. 2. num. 121. quia Miniſter, qui ſupponitur veram habere intentionem faciendi id quod inſtituit Chriſtus, vult ſignificare id quod Chriſtus ſignificari voluit, etiamſi illud aut non concipiat, aut male concipiat. Certe infidelis a Chriſtiano rogatus, ut Baptiſmi formam ſupra infantem pronuntiet, eumdem valide baptizabit, etſi formæ ſenſum non capiat, aut aliquid ab ejus ſenſu diverſum imaginetur, modo generaliter intendat facere, quod facit ſocietas Chriſtiana.

Tertio poteſt mutari forma per variationem vocum, ſeu voces ſolæ varientur, ſeu cum vocibus varietur ſignificatio ipſa.

Voces variantur ſolæ, vel cum pro uno idiomate aſſumitur aliud; vel cum pro termino uſurpari ſolito, uſurpatur alter ſynonymus; vel cum pro modo indicativo, imperativus, aut pro deprecativo abſolutus adhibetur. Nulla eſt ex his variationibus, quæ valori Sacramentorum officiat. Non prima quæ conſiſtit in mutatione idiomatis; imo nec eſt hæc variatio proprie dicta, cum Chriſtus non præceperit ut Sacramenta hoc vel illo idiomate conficerentur, niſi eo forte ſenſu, quod idioma ab Eccleſia determinandum, aſſumi voluerit ad melius. Unde ſeu latine, ſeu vernacule proferas formam Baptiſmi, ſtat Sacramentum: imo ſi quis latine neſciat, vel male loquatur, ſatius erit juxta S. Antoninum, ut patrio idiomate baptizet, niſi ſolemniter baptizet. Sair. p. 60.

Non ſecunda, quia ubi ſuccedunt ſibi ſynonymæ voces, manet eadem ſignificatio: unde ſi pro, *Baptizo*, dixeris, *Lavo*, *abluo*, *tingo*, Sacramentum efficies. Dubitat quidem Alenſis de verbo *Tingo*; ſed male: *eſt* enim *Baptiſmus*, *tinctio in aqua*, *verbo vitæ ſanctificata*, ait Auguſtinus Tract. 80. in Joan. Pariter ſi quis pro *abſolvo te*, dicat, *Remitto tibi peccata tua*, vel pro *Hoc eſt*, &c. *Iſtud eſt Corpus meum*, Sacramentum perficietur. Idem eſt, juxta S. Antoninum, & plures alios, quos ſequitur Sairus, ſi quis loco *Baptizo*, vel *abſolvo te*, dicat, *Baptizo*, vel *abſolvo vos*, vel *Majeſtatem veſtram*: aut ſi Pontifex vel Epiſcopus, prout ſolent in dignitate conſtituti, dicat, *Abſolvimus te*, &c. quia licet voces *abſolvimus*, & *vos*, exprimere videantur actionem quæ vel a pluribus dimanat, vel terminatur ad plures, conſtat tamen eas ex uſus accommodatione, unam tantum ſignificare perſonam, cum vel a nobilibus prodit, vel ad nobiles dirigitur. Improbat quidem Angelicus Doctor formulam, *Nos baptizamus*; verum id retractaſſe videtur in Summa 3. p. q. 60. art. 7. ubi docet quod licet oratio corrupta nihil ſignificet ex virtute impoſitionis, ut cum dicitur, *In nomine Patrias*, *& Filias*, &c. ſignificat tamen ex accommodatione uſus; quæ ratio a ſimili concludit. Lib. 1. c. 4. a. 2. n. 6.

Non

Non tertia: ſi enim pro forma indicativa, *Baptizo*, utaris imperativa hac *Baptizetur ſervus Chriſti*: item ſi cum Latinis abſoluta verba uſurpes in forma Pœnitentiæ, vel deprecativa cum Græcis, nihil periclitabitur integritas Sacramenti: quia utrobique idem eſt quoad ſubſtantiam verborum ſenſus.

Longe aliter cedet res, ſi variatio fiat quoad voces & ſignificationem ſimul: unde S. Thomas ibid. art. 8. *Mutatio quæ tollit ſenſum, tollit rationem Sacramenti*. Hinc ſi quis in conſecratione Euchariſtiæ dicat, *Hoc eſt cor*, vel *caput meum*; in Pœnitentia, *Abluo te a peccatis*; in Baptiſmate, *Mundo te ab originale peccato*, nihil conficietur; quia mutabitur principalis formarum ſignificatio. Cor enim vel caput non idem ſignificat ac corpus. Abluo a peccatis, non exprimit modum abſolutionis, ſeu ſententiam judicialem, quæ a Miniſtro proferri debet. Mundo ab originali noxa, non exhibet modum ablutionis; mundari enim quis poteſt, nec mundari per ablutionem. Adde quod baptiſmalis lotio non originale duntaxat peccatum dimittat, ſed & alia quæcumque, ut patet in adultis.

Ceterum & hic caveri debet voces quæ ſynonymæ videntur, plerumque alias ab aliis diſcrepare eſſentialiter: unde nec valet Baptiſma datum *in nomine Trinitatis*, nec valet juxta S. Thomam 3. p. q. 66. art. 5. Bonaventuram in 4. diſt. 3. q. 2. Antonin. 3. p. tit. 4. cap. 13. §. 3. ſi detur *in nomine Genitoris, Geniti, & ab utroque procedentis*; quidquid vel dubitet Paludanus, vel reclament alii quidam. Ratio eſt, quia *licet genitor, genitus, & ab utroque procedens, dent intelligere perſonas divinas, tamen non ſignificant eas principaliter, ſcilicet ut per ſe ſubſiſtentes, ſed ſolum actus notionales earum; & præterea perſonæ non conſtituuntur per actus notionales, qui ſignificantur nomine Genitoris & Geniti; ſed per relationem Patris, & Filii*, &c. Ita Sair ibid. Silvius hic, & nos rurſus ubi de Baptiſmo.

Quarto mutatur forma tranſpoſitione verborum, quæ cum ſenſum aufert, Sacramentum tollit, alias non. Unde valet Baptiſmus ſub hac datus forma, *In nomine Patris*, &c *baptizo te*. Valet &, juxta S. Bonaventuram ſub iſta; *Baptizo te in nomine Filii, & Patris*, &c. niſi, ait S. Doctor, Miniſter in forma exprimere intendat errorem ſuum, puta quo credat Filium eſſe principium Patris, qua etiam de cauſa Baptiſma collatum a Sacerdote, qui ut proceſſionem Spiritus ſancti a Filio negaret, his uteretur verbis: *Baptizo te in nomine Patris, & Spiritus ſancti & Filii* a multis rejicitur. *Confer quæ dixi p. 154.*

Valeret hæc Euchariſtiæ conſecratio, *Hoc eſt meum Corpus, Hic eſt Sanguinis mei calix*, non iſta, *Meum eſt hoc Corpus*, *Meus eſt hic Sanguis*; quia prima dicendi ratio ſenſum ſervat, ſecunda nequaquam; qui enim dicit, *Meum eſt hoc Corpus*, indicat tantum corpus Chriſti eſſe corpus Chriſti, ſeu ad Chriſtum pertinere; qui vero dicit, *Hoc eſt Corpus meum*, indicat id quod nondum eſt corpus Chriſti, fieri corpus Chriſti, unde vox *hoc*, confuſe indicat aliquid quod ex pane efficitur corpus.

Ob parem debiti ſenſus ſubverſionem non valeret hæc in Baptiſmo formula, *Ego Patris baptizo te in nomine Filii*; tum quia *Ego Patris*, idem eſſe videtur, ac Ego qui ſum Patris; tum quia illud *in nomine*, ita ad ſolum Filium & Spiritum ſanctum refertur, ut non videatur referri

ad

ad Patrem, quaſi Baptiſmus in Patris nomine non conferretur, quod hæreticum eſt.

Quinto mutatur forma per corruptionem terminorum ex quibus ea fieri debet. Si tanta ſit corruptio ut verborum ſenſum deſtruat, cadet Sacramentum; ut ſi quis dicat, *Baptizo te in nomine Matris*, &c. Si autem corruptio, etſi gravis relative ad primævam virtutem impoſitionis, ſeu ad vim quam termini primitus habent, non noceat ſignificationi, quam iidem habent ex accommodatione uſus, non deſinet Sacramentum perfici, ut patet de Baptiſmo, in nomine Patria, & Filia, &c. collato, de quo ſuperius.

Tria hic notanda, 1. corruptionem dictionis multo plus nocere ſi fiat in principio, quam in fine: nam in principio facta mutat ſignificationem, ut ſi dicatur, *Matris* pro *Patris*: in fine vero, non nocet ſenſui, ſed elegantiæ, ſeu ſcito declinandi vel conjugandi modo, ut ſi loco *Patris*, dicatur Patri. Poteſt tamen tanta eſſe corruptio in fine, tam modica in principio, ut prima ſenſum perimat, ſecunda minime. Ut ſi quis pro *abſolvo*, dicat *azolvo*.

2. longe magis ſuſpectam eſſe debere corruptionem quæ fiat de induſtria, quam quæ ex inſcitia, lapſuve vel impedimento linguæ: profecto enim qui voluntarie verba inſigniter corrumpit, ſatis indicat ſe non habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia, niſi contrarium aliunde conſtet, quod difficile eſt.

3. etſi maxima in cujuſcumque Sacramenti confectione adhiberi debeat diligentia, majori tamen opus eſſe ubi de iis agitur, quæ repeti & iterari non poſſunt. Ubicumque vero dubium erit, rationabile ſcilicet, an Sacramentum rite confectum ſit, iterandum erit ſub conditione. Addit ex Soto Sairus L. 1. c. 4. a. 5. nu. 6. minus in Euchariſtia & Pœnitentia requiri dubium, ut hæc iterari queant; de quo judicent alii.

Sexto mutari poteſt formæ ſenſus per interruptionem, qua tollatur moralis continuitas actus, & intercipiatur intentio Miniſtri. Unde ſi quis poſt prolata hæc verba, *Ego te baptizo in nomine Patris*, ad alia ſe convertat tandiu ut poſteriora verba cum prioribus moraliter connecti non cenſeantur, Sacramentum efficiet tanto incertius, quanto fuerit prolixior mora. Secus, ſi tuſſiat, ſternutet, ſilentium imperet, aut dicat, Frigidior eſt hæc aqua. Idem eſt ſi quis prolatis iis vocibus, *Hoc eſt*, ſternutet, vel pauliſper mente divagetur, ſtatimque proſequatur, *Corpus meum*. Secus ſi tuſſiat per ſemiquadrantem; quia tanta interruptio partes moraliter ſejungere videretur. Atque id, ait Henno, perpendere debent, qui tam moroſe ſimul & tædioſe conſecrationis verba proferunt, ut prima cum ſubſequentibus nullam habere videantur connexionem. Si enim hic a pluribus peccatur præcipitatione nimia, non raro peccatur & intoleranda tarditate.

Ex dictis colliges ſolutionem quæſtionis apud veteres Theologos agitatæ, an ſcilicet qui certis verbis certam proprio nutu imponeret ſignificationem, quæ iiſdem nec ex impoſitione, nec ex uſu competeret, valide conficeret Sacramentum. Pars enim negans de ceteris præter Matrimonium Sacramentis tenenda eſt; quia Chriſtus non quoſcumque ſonos, ſed uſuales Sacramentorum formam eſſe voluit; & aliunde peſſime conſultum eſſet ſeu dignitati, ſeu certitudini Sacramentorum, ſi quis arbi-

arbitrarium ſibi pro iis conficiendis Dictionarium confingere poſſet. Aliud eſt de Matrimonio, quod ſi ſolo partium conſenſu perficitur, quibuslibet characteribus, de quibus inter partes convenerit, perfici poterit, modo ii & Parocho & teſtibus fuerint reſerati.

Conclusio II. Qui materiam aut formam Sacramenti cujuslibet ſubſtantialiter immutat, lethaliter delinquit: qui vero accidentaliter, peccat aliquando mortaliter, aliquando non.

Prob. 1. pars: mortifere delinquit, qui gravem Sacramento injuriam, & grave ſuſcipienti damnum infert: atqui utrumque facit, qui ſubſtantialirer formam aut materiam immutat. Eſt enim utraque neceſſaria neceſſitate Sacramenti; ergo. Hinc illud S. Baſilii Lib. de Spiritu ſancto, c. 12. *Quidquam addere aut detrahere* Sacramentis, *plane* eſt *ab æterna vita excidere*, &c.

Idem iiſdem de cauſis dicendum, ſi quis citra neceſſitatem conficiat Sacramentum in materia aut forma dubia, vel ſolum probabili. Is ſiquidem & religionem violat ob illatam rei ſacræ injuriam; & charitatem proximo debitam; & ipſa juſtitiam, ſi vel ex officio Sacramenta adminiſtrare teneatur, vel in eorum adminiſtrationem doloſe ſe ingerat.

Ceterum utraque hæc reſponſio procedit de iis, qui ex induſtria, aut negligentia gravi, præfata ſubſtantialia invertunt. Si enim res fiat ex negligentia levi, puta ex repentino caſu, vel non erit peccatum, vel leve erit. Etſi autem facile excuſatur laicus, qui in neceſſitate baptizans, formam, cujus oblitus eſt, pervertit; raro tamen eadem de cauſa excuſantur obſtetrices, quæ cum ſimiles in caſus ſæpe incidant, tenentur ex officio formam Baptiſmi callere, ut cum aliis docet S. Antoninus

Prob. 2. pars, quia fieri poteſt ut mutatio accidentalis, attenta conſuetudine, Eccleſiæ præcepto, Sacramenti dignitate, circumſtantiarum natura, &c. gravem quandoque, quandoque levem deordinationem importet.

Etſi autem docet Sairus ibid. art. 8. raro hic mortaliter peccari, quia quæ Sacramento fit injuria, levis eſt & in re levi; vix tamen a gravi excuſari putem Miniſtrum, qui hiſce mutationibus aſſuefieret; tum quia quævis ſpecies habitus indicaret contemptum; tum quia inde facile crearetur ſcandalum adſtantibus; tum quia hæc forma in individuo, etſi non eſt de neceſſitate Sacramenti, eſt de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici; & iſtud quidem haud levibus de cauſis impoſitum eſt, nimirum ad ſervandam uniformitatem in exteriori cultu, ad coercendam nimiam novos ritus inducendi pruriginem, ad conſulendum Sacramentorum integritati, quæ ſubſtantialiter violaretur, dum etiam leviter violari æſtimaretur. Merito igitur Tridentina Synodus Seſſ. 7. Can. 13. quaſcumque hujus generis innovationes his coercuit verbis: *Si quis dixerit receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato pro libito omitti, aut in novos alios per quoſcumque Eccleſiarum Paſtores mutari poſſe, anathema ſit.*

Si quædam mutationis accidentalis, quæ a gravi peccato non vacet, exempla poſtules, hæc dabit Sairus ibid. Peccat lethaliter 1. Græcus in azymo, Latinus in fermentato pane conſecrans; 2. qui parum aquæ non immiſcet conſecrando vino; 3. qui vel gallice pronuntiat conſecra-

crationis formam, vel hæc omittit verba, *novi & æterni Teſtamenti*. Leviter vero, ſecluſis ſcandalo & contemptu peccaret, qui voculam *enim* a conſecratione, *Ego* a forma Baptiſmi, *in nomine Patris*, ab abſolutione tolleret; aut pro *baptizo*, adhiberet verbum *abluo*.

PUNCTUM QUARTUM.

An forma Sacramentorum ſit conſecratoria.

VErba quæ in conficiendis Sacramentis adhibentur, poſſunt eſſe vel promiſſoria, vel concionatoria ſeu inſtructiva, vel demum conſecratoria. Verba promiſſoria ea ſunt quæ vel divinas quas Deus fecit promiſſiones in animum revocant, vel eaſdem expreſſe continent: qualia poſſunt hæc eſſe: *Qui manducat meam carnem, vivet in æternum*. Verba concionalia ſunt ea quæ alta & intelligibili voce prolata excitant fidem ſuſcipientis & audientium, aut ſaltem excitare poſſunt. Verba demum conſecratoria, quæ etiam dicuntur verba benedictionis, ſunt ea per quæ materia Sacramenti benedicitur, conſecratur, ſicque ab uſu profano & vulgari ad ſacrum & religioſum traducitur; ſitque idonea ad producendum effectum, quem Chriſtus ab ipſa produci voluit.

Jam quæritur, non utrum Sacramentorum verba dici poſſint concionatoria, promiſſoria, vel conſecratoria: eſſet enim hæc de re minus quam de vocabulo controverſia, quæ, ſi ſua Sacramentis conſervetur operatio & efficacia, levis eſt momenti: ſed utrum deficiente verbo promiſſorio vel concionali deficiat aliquid, unde Sacramentum vel invalide, vel ſaltem illegitime adminiſtretur.

Concionem non ad Sacramenti ſubſtantiam, ſed ad legitimam ejus celebrationem requiri docent nunc communiter Pſeudoreformati & Proteſtantes; ſic Ameſius Tom. 3. Bellarmini enervati, c. 2. pag. mihi 15. *Concio*, inquit, *non requiritur niſi ad bene eſſe Sacramenti: ſed* tamen *verbum ad quod concionale, ideſt inſtructionis, de natura Sacramenti, requiritur ad eſſentiam ejus rite celebrandam*. Sic & Danæus in cap. 19. Lib. 1. Bellarmini de Sacram. Controverſia 3. *Explicatio promiſſionis Dei*, inquit, *ad Sacramenti legitimam adminiſtrationem requiritur, uti ad illius participationem vera fides: neutra tamen ut pars eſſentialis Sacramenti*.

Verum non immerito animadvertunt Catholici Doctores, hanc Novatorum loquelam fuci plenam eſſe, niſi plena ſit contradictionis. Scilicet enim apud eos ratum eſt, hominem ſola fide juſtificari, non quidem intrinſece, ſed quatenus percipit & adaptat ſibi juſtitiam Chriſti, qua ſua peccata teguntur, nec jam imputantur: ſed qui nonniſi per fidem juſtificatur, neceſſario indiget concione & doctrina qua fides illa excitetur; ergo ſublata hac concione nihil ſupererit quod vere conſecratorium & ſacramentale dici poſſit; ac proinde concio non ſolum requiretur *ad bene eſſe Sacramenti*, ſed & ad ſubſtantiam ipſius. Hinc Calvinus in cap. 5. Epiſt. ad Epheſ. de hac differens concione, quam ibi vocat explicationem myſterii, ait: *Sola* hæc *facit ut mortuum elementum incipiat eſſe Sacramentum*. Sit jam

CONCLUSIO. Nulla in verbis Sacramentorum requiritur concio; proindeque verba Sacramentorum vere ſunt conſecratoria.

Prob. 1.

Prob. 1. ſi qua in verbis ſacramentalibus requiratur concio, vel ad eſſentiam Sacramenti, velut Sacramentum rite & debite adminiſtretur: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. ſi enim ad eſſentiam & validitatem Sacramenti neceſſaria foret concio, invalida eſſent Eccleſiæ Romanæ Sacramenta; ut pote quæ ibi ſine concione prævia adminiſtrentur: atqui tamen invalida non ſunt; tum quia valere Pontificiorum Baptiſma diſerte tradit Calvinus Lib. 4. Inſtit. c. 15. §. 16. tum quia idipſum propria ſua agendi ratione docuit, cum in Eccleſia Romana baptizatus, nunquam novo tingi Baptiſmate curaverit; tum quia idem paſſim aſtruunt doctiſſimi quique Novatorum, ut ex citatis Danæi & Ameſii teſtimoniis conſtat. Non 2. rite enim & debite confertur Baptiſmus a ſolo Miniſtro infanti vel amenti ſoli: atqui tamen nulla hic habetur aut haberi poteſt concio; cum hanc nec ad ſe ipſum Miniſter, nec ad infantem aut fatuum, utpote ejus incapaces, habere poſſit. Quod enim Lutherani finxere, infantes tunc temporis concionem percipere, merum eſt oppreſſi Novatoris delirium, quod a deliro ſolo confutari poſſit.

Prob. 2. ſi ad legitimam Sacramentorum collationem prævia concione opus eſſet, hujus dubio procul meminiſſent Scriptura, Patres vel Concilia: atqui in hiſce monumentis nullum extat concionis veſtigium: imo Apoſtolus concionandi & baptizandi officia, veluti diſtincta duo exhibet, cum ait I. Cor. 1. 17. *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare;* ergo.

Probat 3. doctiſſ. Tournely, quia ſemper admiſſum eſt Baptiſma collatum ab hæreticis, qui integram ejus formam ſervabant, ut patet ex his Auguſtini verbis Lib. 3. de Bapt. c. 16. *Si Evangelicis verbis in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides ſub eiſdem verbis aliud opinantis quam catholica veritas docet, non eſſe integra*: atqui tamen vel Marcion, aliique hæretici non concionabantur, vel plenam erroris concionem habebant; ergo aut dicendum eſt concionem præviam non requiri ad eſſentiam Sacramenti, aut agnoſcendum concionem impietatis plenam, fuiſſe eſſentialem partem Sacramenti, quod chriſtianæ aures ferre non poſsunt.

Hæc probatio ut valeat, ſupponendum, quod verum eſt, exigere Pſeudoreformatorum ſyſtema, ut, velint, nolint, verba Sacramentorum in concione fidei excitativa reponant: alioqui enim facile reſponderent valuiſse quidem hæreticorum Baptiſma, ſed haud rite fuiſse adminiſtratum.

Prob. 4. Verbum conſecratorium eſt illud quod applicatum materiæ eamdem ita facit e communi ſacram, ut ſtatim per ſe effectum ſuum parere nata ſit: atqui tale eſt verbum ſacramentale. Prob. min. ex primævis Eccleſiæ Doctoribus. S. Irenæus Lib. 5. c. 2. *Quando*, inquit, *mistus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia corporis & ſanguinis Chriſti*. S. Ambroſio Lib. 4. de Sacram. c. 4. *Ubi acceſſit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*. S. Auguſtinus Lib. 6. de Bapt. cap. 25. *Deus adeſt Evangelicis verbis ſuis, ſine quibus Baptiſmus conſecrari non poteſt; & ipſe ſanctificat Sacramentum ſuum, ut homini .:. valeat ad ſalutem* ſive nunc, ſive in poſterum ſi Miniſter & recipiens ſint actu male diſpoſiti, ſecundum id S. Doctoris ibid. Lib. 3. cap. 10. *Baptiſmus Chriſti verbis Evangelicis conſecratus, & per adulteros & in adulteris ſanctus eſt; quamvis*

vis illi ſint impudici & immundi (adde, & ſæpius incapaces habendæ concionis quæ fidem & pietatem excitet) *quia Sacramento ſuo divina virtus aſſiſtit*. Unde ſic: Illud verbum materiam e profana facit ſacram, & ad producendos ſuos effectus habilem, quo poſito panis fit corpus & caro Chriſti; aqua vero ad ſalutem ſaltem ſuo tempore habendam valet, etiamſi tunc nec Miniſtri nec ſuſcipientis fides excitetur, imo uterque tunc ſit peſſime diſpoſitus, puta adulter & impudicus: atqui ex citatis Patribus, quibus congruunt ceteri, poſito verbo panis communis fit caro Chriſti, &c. ergo.

Prob. 5. Idem ſit de ceteris Sacramentis judicium ac de Baptiſmate; hoc enim a ceteris penes naturam formæ differre probari nequit: atqui Baptiſmi forma vere eſt conſecratoria, non concionalis. Nam Baptiſmi forma in his conſiſtit verbis, *Ego te baptizo in nomine*, &c. atqui verba hæc non ſunt concionalia, ut per ſe patet; aut ſi concionalia ſint, deſinant Novatores in Eccleſiam Romanam invehi, quaſi quæ ſine concionali verbo Sacramenta adminiſtret; ergo.

Objic. 1. Sacramenta juxta eam formam conferri debent, quam præſcripſit Chriſtus: atqui præſcripſit Chriſtus ut Sacramenta per doctrinam una cum verbis conſecratoriis conferrentur. *Ite*, ait Salvator, Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. hinc Apoſtoli neminem niſi prius decenter inſtructum baptizarunt. Hinc & Hieronymus exponens illud Epheſ. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, per *verbum vitæ* doctrinam intelligit; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. præcepit quidem Chriſtus ut non baptizarentur Gentiles, niſi prius Chriſtianam legem edocti; & hoc fecit ſemper, ſemperque faciet Eccleſia Romana, longe melius quam Calviniana, quæ niſi blaſphemias quibus turget, docere nequit, puta quod Deus auctor ſit peccati, quod juſtus in ſanctiori quocumque opere ſuo peccet, &c. At non præcepit idem Chriſtus ut in ipſa Sacramenti actione neceſſario præmitteretur concio doctrinalis; imo contrarium præcepit, cum voluerit baptizari infantes, qui aliquando quidem doceri poterunt, ſi vivant, ſed actu doceri non poſſunt.

Nec nocet Hieronymus, quia lavacrum non ſumit litteraliter pro Baptiſmo, ſed tropologice pro purgatione qualibet ad quam diſponitur homo per doctrinam. Quod autem verba hæc in ſenſu myſtico exponat S. Doctor, monet ipſe jam ab initio his verbis: *Quia per tropologiam viros, animas, uxores & corpora dixeramus*, &c. Ceterum ſi verbum concionale ſit verbum vitæ, a fortiori verbum conſecratorium erit verbum vitæ; cum concio ſolum excitative concurrat ad vitam, conſecratio vero ad eam concurrat effective, ratione virtutis ſibi a Chriſto inditæ.

Objic. 2. S. Ambroſius Lib. de Myſteriis, ſeu de initiandis, cap. 3. n. 14. ſic loquitur: *Aqua ſine prædicatione Dominicæ Crucis ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt: cum vero ſalutaris fuerit Crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritualis lavacri... temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyſes miſit lignum; ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ Crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam*. Unde ſic: Quod ſine prædicatione ad nullos ſalutis uſus inſervit, ſine prædicatione male admini-

ſtratur : atqui ex S. Ambroſio aqua baptiſmalis ad nullos ſalutis uſus inſervit, ſine prædicatione crucis; ergo.

Reſp. diſt. min. aqua baptiſmalis ad nihil inſervit ſine Crucis prædicatione, quæ fiat opere & conſecratione, C. ſine prædicatione, quæ fiat verbo & concione, N. itaque Crucis prædicatio dupliciter fieri poteſt, nimirum verbo & opere, eoque multiplici. Crux prædicatur verbo, cum populus myſterium & efficaciam Crucis edocetur; ſic eam prædicabat Gentium Apoſtolus, cum Chriſtum & hunc Crucifixum ut Dei virtutem & ſapientiam annuntiabat. Crux prædicatur opere & facto, cum efficitur aliquid quod vel a Cruce vim ſuam trahit, vel ejus dignitatem commendat: ſic Crucis majeſtatem prædicant vel ipſi Imperatores, cum ſigno ejus diademata ſua faſtigiant; ſic & virtutem Crucis prædicant Eccleſiæ Miniſtri, cum certos faciunt ritus, qui vel Crucis memoriam revocant, vel efficaciam ſuam trahunt a Cruce. Jam vero Ambroſium non loqui niſi de poſtremo hoc prædicationis genere hinc liquet, quod juxta eum prædicatio Crucis, quæ fit in Baptiſmo, mittatur in fontem quo abluimur, ſicut lignum a Moiſe miſſum eſt in aquas Maran; neque enim prædicatio concionatoria in aquam mittitur, ſed dirigitur ad aſtantes. Hinc ne quid oriatur ſcrupuli, pergit ſibi interpres Ambroſius: *Ea, de qua loquor, prædicatio eſt invocatio S. Trinitatis, nam hæc ut applicatur Baptiſmo, crucis efficacitatem commendat, & veluti præſentem facit effectum ejus applicando.*

¶ Objic. 3. S. Auguſtinus Tract. 80. in Joan. num. 3. poſt relata hæc Chriſti verba: *Jam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis*, ſic interrogat: *Quare non ait, Mundi eſtis propter Baptiſmum, quo loti eſtis, ſed ait, Propter verbum quod locutus ſum vobis; niſi quia & in aqua verbum mundat? Detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? Accedit verbum ad elementum, etiam ipſum tanquam viſibile verbum. Nam & hoc utique dixerat, quando pedes diſcipulorum lavit: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet; ſed eſt mundus totus. Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo; non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo, aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus, ait Apoſtolus; quia ſi confeſſus fueris in ore tuo, quia Dominus eſt Jeſus, & credideris in corde tuo, quia Deus illum ſuſcitavit a mortuis ſalvus eris*, &c. Unde ſic in forma: Verbum de quo loquitur S. Auguſtinus eſt verbum ſacramentale; eſt enim verbum quo accedente ad elementum, fit Sacramentum, ita ut per ipſum abluatur cor, dum tangitur corpus: atqui verbum de quo loquitur idem Auguſtinus, eſt vere verbum concionale. Prob. min. verbum quod Apoſtolos mundaverat, quodque Paulus prædicabat, eſt verbum concionale: atqui verbum de quo loquitur Auguſtinus, idipſum eſt quod mundaverat Apoſtolos, & quod Paulus prædicabat; ergo.

Reſp. diſt. maj. verbum de quo loquitur Auguſtinus, verbum, inquam, aliquod, eſt ſacramentale, C. verbum omne, N. itaque mens Auguſtini eſt ut probet, hominem quocumque modo mundetur ſive in Sacramento, ſive extra Sacramentum, ſemper mundari per verbum Dei. Hinc non omnes textus quibus utitur, verbum ſacramentale indicant, ſed alii verbum quod a Chriſto & Paulo prædicatum erat, & quod ſolum

con-

concionale eſt; alii verbum quo ad elementum accedente, fit Sacramentum; & hoc vel ipſi Calviniani pro mere conſecratorio habere debent; ſi enim illud habeant pro concionali, neceſſum eſt ut fateantur ſublata concione tolli Sacramentum, prout ſublato verbo Sacramentum tolli, meramque aquam remanere docet Auguſtinus: atqui tamen ſaltem hodie negant Calviniani Sacramentum tolli, cum tollitur concio; cum, ut ſupra vidimus, eam ſolum *ad melius eſſe* neceſſariam credant; ergo.

Inſt. Saltem verbum, quo accedente ad elementum fit Sacramentum, pro ſacramentali haberi debet: atqui verbum, quo ad elementum accedente fit Sacramentum, eſt concionale ex Auguſtino. Verbum enim quod operatur, *non quia dicitur, ſed quia creditur*, ac proin annuntiatur, eſt concionale: atqui ex Auguſtino, verbum quo ad elementum accedente fit Sacramentum, operatur, *non quia dicitur, ſed quia creditur*, &c.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. min. verbum ∴ operatur non quia dicitur, ideſt non propter ſonum pure materialem, qui ſolo ſenſu percipitur, ſed propter virtutem ſibi inditam, quæ ſola fide percipi poteſt, vel propter ipſius Eccleſiæ fidem, quæ per verbum illud juſtificationem conferri credit, C. verbum operatur, non quia dicitur, ſed quia creditur, quaſi ad ejus operationem requiratur concio fidei excitativa, vel ipſa fides ſemper, N. Itaque *in ipſo* Sacramentorum *verbo, aliud eſt ſonus tranſiens, aliud ſenſus manens*, prout contexte loquitur ibidem Auguſtinus. Sonus tranſiens per ſe nihil operatur ad ſalutem, unde Judæus qui ante Chriſtum forte abluiſſet infantem eo ritu quo nunc in Eccleſia Catholica tingitur, haud eum ab originali noxa mundaſſet; imo neque nunc quiſquis juxta uſitatum Eccleſiæ morem baptizaret, ſancti quid operaretur, ut ex iis conſtat, quæ diximus ubi de intentione Miniſtri; ergo ut verbum operetur, neceſſum eſt ut aliquid ſub materiali ſono latitet: illud autem quod eſt ipſa vis ſignis viſibilibus indita, non percipitur ſenſu, ſed creditur fide; imo & credi neceſſario debet, ſi non ſemper a Miniſtro aut ſuſcipiente, ſaltem ab Eccleſia: alioqui enim nulla poſſet eſſe intentio faciendi id quod Eccleſia facit, & quod inſtituit Chriſtus. Unde ſi per impoſſibile non crederet Eccleſia formam Sacramenti eſſe ex divina virtute juſtificativam, infidelis etiam intendens facere quod facit Eccleſia, non baptizaret defectu intentionis. Ex quibus patet verba Sacramentorum debere quidem credi, non tamen in Sacramento neceſſario per concionem exponi. Et vero ſi exponi deberent, utique vere & ſincere, ac proinde & a Miniſtro fideli, & relative ad ſubjectum hujus expoſitionis ſuſcipiendæ capax: atqui neutrum requiritur ex Auguſtino. Non 1. ut patet ex univerſis Auguſtini Operibus contra Donatiſtas. Non 2. ut ipſe ibid. tradit S. Doctor his verbis: *Hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei, ut ∴ mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem.* *Henno p. 61.*

Inſt. Id quod eſt verbum fidei, neceſſario credi debet: atqui ex textu ſtatim citato, forma Sacramentorum eſt verbum fidei; ergo.

Reſp. diſt. maj. credi debet ab Eccleſia, C. a ſuſcipiente vel miniſtrante Baptiſmum, ſubd. credi debet conſequenter ad inſtructionem quæ fiat in ipſo Sacramento, N. ad inſtructionem præviam, ſubd. credi debet

L 2 ut

ut totus recipiatur effectus Sacramenti, ſi de adultis ſermo ſit, C. ut Sacramentum ſuſcipiatur valide, N.

Inſt. 2. Sic pergit Auguſtinus: *Totum hoc*, ideſt tota infantis mundatio *fit per verbum de quo Dominus ait, Jam vos mundi eſtis propter verbum quod locutus ſum vobis*: atqui verbum quod locutus erat Apoſtolis Chriſtus, erat verbum concionale; ergo tota infantis mundatio fit per verbum concionale.

Reſp. diſt. maj. tota infantis mundatio fit per verbum ideſt per virtutem & efficaciam verbi de quo locutus erat Chriſtus, C. fit per verbum, ideſt per formam verbi de quo Chriſtus proxime locutus erat, N. Itaque mundatio infantis neceſſario refundi debet in efficaciam verbi, quam commendavit Chriſtus in eximia quam ad Apoſtolos habuit oratione, pridie quam pateretur. Verum non ideo credidit Auguſtinus orationem hanc eſſe formam Baptiſmi, alteriuſve cujuſcumque Sacramenti quo mundentur homines: alioqui enim neceſſum fuiſſet ut individuali hoc ſermone uteretur inter baptizandum, quod nec ipſe, nec Patrum ullus aliquando fecit, nec uſquam fecere ipſi Proteſtantes.

Poſſet etiam negari minor, quia Chriſtus non concionale duntaxat, ſed & conſecratorium verbum ad Apoſtolos ſuos locutus fuerat, eos nimirum baptizando: idque præcipue verum eſt in mente Auguſtini,
Joan. qui hæc Chriſti verba, *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed*
13. 10. *eſt mundus totus, & vos mundi eſtis*, &c. interpretatur tum in Epiſt. 265. alias 108. tum Tract. 5. in Joan. de Baptiſmo quem idem Chriſtus diſcipulis ſuis adminiſtraverat.

Objic. 4. Sacramentum, utpote ſignum ratione formæ ſicut & materiæ, debet in alterius cognitionem deducere, nempe in cognitionem myſteriorum Religionis, quorum proinde fidem excitare debet: atqui Sacramentum in alterius cognitionem ducere non poteſt ſine concione; ergo.

Reſp. 1. neg. maj. quæ ſi de ſignis ſpeculativis vera eſt, falſa eſt de practicis, quæ effectum ſuum independenter a notitia rei ſignificatæ producere poſſunt, & de facto, haud diſſentientibus Calviniauis, producunt in infantibus.

Reſp. 2. diſt. min. Sacramentum ducere non poteſt in cognitionem alterius ſine concione quæ præceſſerit, C. quæ hic & nunc fieri debeat, ut Sacramentum valide aut etiam debite conferatur, N.

Objic. 5. Sacramenta ſæpe a ſanctis Patribus vocantur ſignacula, ſigilla, pignora utique promiſſionis divinæ: ſed quæ ſunt divinæ promiſſionis ſigilla, rite conferri non poſſunt abſque eo quod promiſſio hæc revocetur in animum; ergo Sacramenta ſine verbis promiſſoriis conferri non poſſunt.

Reſp. diſt. min. ut ſtatim: quæ ſunt ſigilla divinæ promiſſionis rite conferri non poſſunt, niſi promiſſio revocetur in mentem vel in ipſa Sacramenti ſuſceptione, vel ante ſuſceptionem hanc, C. in ipſo Sacramenti actu neceſſario, N. Itaque non arguunt Heterodoxos Catholici, quod illi Sacramenta dicant ſigilla, arrhas, pignora, &c. de hoc enim nihil unquam fuit dubii in Eccleſia Romana, quæ idcirco tum in Catecheſibus, tum in Concionibus ſacris ſæpe revocat quid Deus promiſerit fidelibus ſuis, quid iſti viciſſim ſpoponderint Deo. Verum duplici ex capite Novatores redarguunt Catholici, 1. quod non alia de cauſa tantopere divinas in Sacramentis promiſſiones commendent, quam ut vim co-

rum

rum & efficaciam ex oculis amoveant; 2. quod contra totius etiam antiquæ Eccleſiæ morem, contendant quaſi mutila eſse Sacramenta, quæ ſine actuali harumce promiſſionum expoſitione conferantur. Abjiciant errorem utcumque, & brevi nulla ſupererit ea de re utramque inter gentem ſeges diſceptationis.

Objic. 6. Chriſtus non inſtituit verba Sacramentorum ut verba magica: atqui ſi verba Sacramentorum ſint conſecratoria, jam neceſsum eſt ut habeant ſe tanquam verba magica; nempe vero ut in magice ſic & in Sacramentis opus erit verbis quæ certo numero, pondere & menſura pronuntientur; idque ſine ullis adſtantium ſenſu & fide; quandoquidem latino idiomate proferri ſoleant & ut plurimum coram imperitis.

Reſp. neg min. non enim verba Sacramentorum ficta ſunt ad exemplar magicæ vocis, ſed potius magicæ voces a diabolo Dei hoſte ſimul & ſimia in nova Lege adinventæ ſunt adinſtar vocum ſacramentalium. Habet enim diabolus quædam ſua Sacramenta, Sacramentorumque formas, ut alibi probabimus ex Tertulliano. Interim ſi Sacramentorum verba hinc dicantur magica, quod ad inanime elementum dirigantur, profecto oportuit magicum eſse Zelotypiæ ritum, de quo Nu. 5. in eo enim Sacerdos plurimas maledictionis voces congerebat in aquam ad id deſtinatam, quæ adulteras mulieres necabat, haud nocitura inſontibus. Deinde verba magica vim habent ſuam a dæmone; ſuam ſacramentalia a Chriſto Sacramentorum inſtitutore. Denique ipſæ Novatorum formæ magici quidpiam habebunt, ſi noſtræ magicæ ſint; cum non obſtante inſanabili quo adverſus Eccleſiam uruntur livore, ita certis in Baptiſmo conferendo verbis utantur, ut ab iis hactenus recedere auſi non fuerint. His adde valuiſse Calvini Lutherique Baptiſma; mirum vero eſse quod valeat Baptiſma magicum.

ARTICULUS TERTIUS.

De ſubjecto Sacramentorum.

SUppono cum omnibus Sacramenta a Deo nonniſi pro hominibus in hac miſeriarum valle peregrinis fuiſse inſtituta. Nam ex Tridentino Seſs. 7. in Proœmio, Sacramenta ſunt media, per quæ *omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur:* atqui media hæc pro ſolis viatoribus inſtituta fuere; cum nec juſtitia in Sanctis, qui ſunt extra viam, incipere vel augeri poſſit, nec in damnatis reparari. Docet idipſum Apoſtolus Hebr. 5. his verbis : *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis*, iis nempe quæ quotidie parit humana infirmitas, ut patet ex ſerie contextus, ac proinde quæ a viatoribus committantur.

Nec dicas Euchariſtiam vocari panem Angelorum. Non enim eo donatur nomine, quaſi cœleſtes ſpiritus ea ſacramentaliter reficiantur, ſed quia fruuntur Chriſto, ejuſque viſione ſaturantur.

Nec melius dices Euchariſtiam per ſummum nefas datam aliquando fuiſse canibus. Nec enim de phyſica hac receptione agimus, ſed de morali; quæ quia certas requirere videtur conditiones, videndum hic 1. an

an ad validam Sacramenti receptionem neceſſaria ſit ejuſdem ſuſcipiendi voluntas; 2. quæ ad idem fructuoſe percipiendum deſiderentur diſpoſitiones; 3. an qui cum obice Sacramentum recepit, ejuſdem gratiam ſublato tandem obice recuperet; 4. an & cui peccatori recuſari poſſint Sacramenta.

SECTIO PRIMA.

De intentione ad Sacramentorum receptionem neceſſaria.

CONſtat 1. nullam in parvulis aut perpetuo amentibus requiri intentionem, ut valide recipiant Sacramenta Baptiſmi, Confirmationis, Euchariſtiæ, & juxta non paucos Ordinis ſacri. Hæc ex dicendis, potiſſimum ubi de Baptiſmo, plenius conſtabunt. Alibi vero oſtendemus nunc vetitum eſſe ne ſacra ſynaxis miniſtretur infantibus.

Conſtat 2. ad validam Euchariſtiæ receptionem nullo opus eſſe interiori conſenſu; quia cum Sacramentum illud habeat eſſe permanens, ſubſiſtit ubicumque reponitur; etſi nullum, niſi a rite diſpoſito recipiatur, fructum pariat; quia mechanica ejus perceptio non eſt ſacramentalis in ordine ad gratiam.

Quæritur itaque an in adulto ad validam receptionem Sacramenti in uſu poſiti, requiratur interior ejuſdem Sacramenti recipiendi intentio, & qualis hæc eſſe debeat. Qua de re triplex eſt opinio: prima Gloſſæ in cap. *Majores*, *De Baptiſmo*, ubi cenſet validum eſſe Baptiſma receptum ab homine, qui ore profitetur ſe conſentire, ſed diſſentit corde. Secunda eſt Cajetani, qui in baptizato exigit ſolum *capacitatem ſine contrarietate*, ideſt ut baptizatus mere paſſive ſe habeat, neque volens, neque non volens baptizari. Tertia eſt ceterorum qui ad validam Sacramenti receptionem requirunt poſitivum adulti conſenſum, ſeu actualem, ſeu habitualem vel interpretativum.

CONCLUSIO I. Invalide recipit Sacramentum adultus ſeu omnino reluctans, ſeu qui mere negative ſe habet.

Prob. 1 pars, 1. ex Innocentio III. cap. *Majores* 3. *De Baptiſmo*, ubi ſic: *Ille vero qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti*. Merito igitur juſſit Gregorius XIII. expungi Gloſſam, quæ aſſerens *valere Sacramentum ab eo qui corde diſſentit, modo dicat ore ſe conſentire*, non tam Innocentii textum interpretabatur, quam ſubvertebat.

2. quia gravis obligatio nemini prorſus invito imponi poteſt: atqui Baptiſmus & Ordo gravem imponunt obligationem; ergo neutrum hoc recipi poteſt ab invito.

3. & hæc ratio, quæ eſt Innocentii ibid. præcedenti finitima eſt: Si valeret Baptiſmus *etſi non quantum ad rem, quantum tamen ad characterem*, cum *invitis & contradicentibus confertur*, *ii ſaltem ratione Sacramenti ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinerent; unde ad ſervandam regulam fidei Chriſtianæ forent rationabiliter compellendi: verum id eſt Religioni Chriſtianæ contrarium, ut ſemper invitus & penitus contradicens, ad recipiendam & ſervandam Chriſtianitatem aliquis compellatur*.

4. quia

4. quia per Baptiſmum validum adſcribitur quis familiæ Dei; ſicut per Ordines inter Miniſtros ejus adſcribitur: atqui poſitive reluctans nec familiæ Dei, nec Miniſtris ejus adſcribi poteſt. Unde Concilium Aurelianenſe III. an. 538. Can. 7. *Si invitus* quis, *vel reclamans fuerit Ordinatus, ab officio quidem deponatur, ſed non a communione pellatur: Epiſcopus autem qui invitum aut reclamantem præſumpſerit ordinare, annuali pœnitentiæ ſubditus Miſſas facere non præſumat.*

Prob. 2. pars, 1. ex Conciliis. Carthaginenſe III. an. 397. c. 34. ſic habet: *Ægrotantes, ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium, hi qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Arauſicanum II. an. 441. hæc ſtatuit: *Subito obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari, aut pœnitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Unde ſic: Si valeret Baptiſma homini negative ſe habenti collatum, haud potuiſſet negari ægrotis omnibus, qui Ipſum nec petierant nec rejecerant; ex iis enim quorum occaſione prædicti Canones conditi ſunt, multi erant in Chriſtianam Religionem bene affecti, quibus prodeſſe potuiſset Baptiſmus; & multo plus Pœnitentia, quæ ſi expreſse ab homine jam Chriſtiano petita non erat, certe nec rejecta: atqui tamen vetant Patres, ne vel illis Baptiſmus, vel iſtis Pœnitentia concedatur; ergo ſupponunt utrumque valide non dari, ſi detur homini negative ſe habenti.

Prob. 2. ex S. Auguſtino qui Lib. 4. de Bapt. c. 24. ſic loquitur: *Ideo cum alii pro* parvulis *reſpondeant∴ valet utique ad eorum conſecrationem* Baptiſmus, *quia ipſi reſpondere non poſſunt. At ſi pro eo, qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet,* juxta illud Evangelii, *Ætatem habet, ipſe pro ſe loquatur.* Unde ſic: Non valet Baptiſma illius qui pro ſe non reſpondet, cum poteſt, aut potuit: atqui non reſpondet pro ſe, qui negative ſe habet. Qui enim habet ſe negative, nec pro ſe facit, nec contra ſe; ergo.

Prob. 3. ex. S. Thoma quem alibi adduximus contra quartam Serrii objectionem.

Prob. 4. ex Rituali Romano, ubi vetat Paulus V. ne adultus, qui in amentiam, ſubitumve morbum inciderit, baptizetur, niſi prius, cum ſui compos erat, Baptiſmum expetierit: idque ſancitum conformiter ad hæc S. Thomæ verba q. 68. art. 12. *Si nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi.* *Supra p.* 122.

Huc faciunt rationes pro prima Concluſionis parte adductæ: neque enim magis decet ut ullatenus volenti, quam ut ſimpliciter invito, grave onus imponatur.

Objic. 1. S. Auguſtinus Lib. 4. Confeſs. c. 4. narrat amicum ſuum, cum diu ſine ſenſu jacuiſset, baptizatum fuiſse: atqui tamen is Baptiſmum non expetierat. Imo, ait Auguſtinus, *a fide vera, quam non germanitus, & penitus adoleſcens tenebat, deflexeram eum in ſuperſtitioſas fabellas, & pernicioſas, propter quas plangebat me mater;* ergo.

Reſp. 1. argumentum hoc plus probare, quam velint adverſarii. Hi enim etſi Baptiſma invito vel nolenti collatum, quod characterem valere putant, haud tamen illud gratiæ productivum eſse cenſent: atqui tamen magnam & uberem gratiam in amico Auguſtini peperit Baptiſma eidem ſenſibus deſtituto collatum. Sic enim pergit Auguſtinus: *Sta-*

tum ut primum cum eo loqui potui (potui autem mox ut ille potuit) tentavi apud illum irridere, tanquam & illo irriſuro mecum, Baptiſmum quem acceperat, mente atque ſenſu abſentiſſimus .: At ille ita me exhorruit ut inimicum; admonuitque mirabili & repentina libertate, ut ſi amicus eſſe vellem, talia ſibi dicere deſinerem. Unde

Reſp. neg. min. & dico Auguſtini amicum, etſi non nihil ab eo corruptum, probabiliter expetiiſse Baptiſmum, ſeu dum ſtaret incolumis, ſeu cum ſenſit ingruere morbum, qui ſerium quid portenderet. Certe, idque nobis ferme ſufficiat, contrarium probari non poteſt.

Objic. 2. Valuit ordinatio Epiphanii, Auguſtini, imo & Macedonii Aſcetæ, quorum priores duo inviti, poſterior etiam neſciens ſacris initiatus eſt; ergo.

Reſp. hæc a nobis expendenda eſse ubi de Ordine: hic ſat fuerit dixiſse, vel eos de quibus agitur, nonniſi ſecundum quid invitos fuiſse, vel; ſi prorſus inviti fuerint, non fuiſse vere ordinatos, quod de Macedonio cenſent non pauci.

Objic. 3. Innocentius III. cit. cap. *Majores*, hæc habet: *Tunc characterem ſacramentalis imprimit operatio, cum obicem contrariæ voluntatis non invenit obſiſtentem*: atqui nec diſsentiens nec conſentiens non obſiſtit, ergo.

Reſp. diſt. maj. cum non invenit obicem voluntatis contrariæ, ideſt voluntatis quę contraria ſit intentioni, quam quis prius habuit, recipiendi Sacramenti, C. ideſt voluntatis quę ſe habuerit ſemper, & actu ſe habeat pure negative, N. Itaque docet Innocentius, & cum Innocentio nos, eum qui antea baptizari voluit, & dum baptizatur actu, contrariam voluntatem non habet, valide baptizari, puta ſi in amentia vel phreneſi abluatur: ſed non docet eos, qui ita non contradicunt, ut nec conſentiant, nec unquam conſenſerint, valide baptizari; imo in ea de qua loquitur *non contrarietate*, ſupponit involvi poſitivum, ſaltem qui pręceſserit, voluntatis conſenſum: alioqui vere non diceret eum, *qui nunquam conſentit, nec rem nec characterem ſuſcipere Sacramenti*; quod tamen expreſse definit.

Objic. 4. Qui vult tantum exteriorem & materialem Sacramenti ritum recipere, non habet veram Sacramenti ſuſcipiendi intentionem; ut patet ex iis quæ ſuperius dicta ſunt de interna Miniſtri intentione: atqui tamen vere Sacramentum recipit, qui nonniſi materialem ejus ritum recipere vult; ergo ad Sacramenti receptionem non requiritur vera intentio.

Reſp. neg. min. ſicut enim Miniſter Sacramentum non conficit, niſi cæremoniam ſaltem ut in tali ſocietate ſacram peragere velit; ſic nec Sacramentum recipit valide, niſi qui cæremoniæ huic ut apud Chriſtianos ſacræ ſe ſubjicit. Unde ſi ficta & illuſoria ſit intentio ejus, non magis intus conſecratur, quam intus conſecret Miniſter, qui cum ficta hac intentione operatur.

Inſt. Si res ita ſit *ficti* id genus homines cenſuris plecti non poſſent: atqui tamen plectuntur; ergo.

Reſp. diſt. maj. plecti non poſſent, ſi conſtaret de fictione, C. ſecus, N. Itaque ſi conſtaret Eccleſiæ quempiam ficte ſolum & diſſimulanter ſacro

ſe

ſe ritui ſubjeciſſe, jam eum cenſuris plectere non poſſet; quemadmodum ſi conſtaret aliquem intus diſſenſiſſe a votis, quæ ore protulit, nihil jam ei in vim ſanctæ obedientiæ præcipi poſſet a Superioribus: quoniam vero moris eſt eorum quos tædet jugi, interiorem, quem reipſa non habuerunt, diſſenſum allegare, ideo Eccleſia, non ſecus ac Reſpublica ſæcularis, huic inſiſtit regulæ juris: *Qui tacet, conſentire videtur*, unde & agit ex ſuppoſitione præſtiti veri conſenſus, donec eum defuiſſe probetur. Si tamen, quod hodie rarum eſt, ageretur de Baptiſmo, conferendus iterum foret ſub conditione ob dubium; prout docet S. Thomas q. 68. art. 7. ad 2.

Objic. 6. Si recipientis intentio ad valorem Sacramenti neceſſaria foret, jam Sacramenta non perficerentur tribus, materia ſcilicet, forma & intentione Miniſtri: atqui tamen his perficiuntur ex Synodo Florentina; ergo.

Reſp. diſt. min. Sacramenta tribus his perficiuntur ex parte Miniſtri, C. ex parte ſubjecti, N. Itaque Eugenius eo loci non recenſet niſi quæ neceſſaria ſunt ut Miniſter Sacramentum valide conficiat; quæ vero ex parte ſubjecti requiri poſſunt, non attingit: alioqui animadvertere debuiſſet non omnia ab omnibus recipi poſſe Sacramenta, puta Ordines a feminis. His adde 1. ſuſcipientem quadantenus includi in materia relative ad Sacramenta quæ conſiſtunt in uſu; cum hæc confici non poſſint niſi in aliquo qui ea recipiat, nec poſſit v. g. eſſe Baptiſmus, niſi ſit qui baptizetur; 2. reipſa intentionem ex parte ſubjecti non requiri in Sacramentis omnibus; cum hæc ad Baptiſmi, Confirmationis, vel Euchariſtiæ validam receptionem neceſſaria non ſit; 3. nec eam eodem requiri modo in recipiente, quo in Miniſtro requiritur, ut patebit ex Concluſione II. 4. demum Sacramenti perfectionem, etſi a ſubjecto pendet tanquam a conditione ſine qua non, proprie tamen pendere ſolum a Miniſtro; quia ſolus Miniſter habet ſe per modum cauſæ efficientis: ubi porro de activa rei alicujus confectione agitur, ea ſolum ſpectari debent, quæ ad confectionem hanc per modum principii concurrunt.

Inſt. Quod in uno non pertinet ad ſubſtantiam Sacramenti, non poteſt ad eam pertinere in alio: atqui intentio ſuſcipientis non pertinet in infante ad ſubſtantiam Baptiſmi; ergo nec in adulto.

Reſp. conc. totum: non enim dicimus ſuſcipientis intentionem pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti; ſed ſolum habere ſe per modum conditionis neceſſariæ, non quidem in omnibus, qui Sacramenta ſuſcipiunt; ſed in adultis: cur vero quod in his neceſſarium eſt, non requiratur in aliis, repetendum eſt tum a voluntate Dei, tum & ab ejus ſapientia: nempe vero exigebat hæc ut amentes & parvuli independenter a propria intentione juſtificari poſſent; adulti vero nonniſi volentes in via juſtificationis conſtituerentur, ſecundum id Auguſtini, *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te.*

Hic revocandum quod diximus ſupra, haud requiri, quo Sacramentum valide ſuſcipiatur, voluntatem adeo liberam, ut ab omni metu etiam gravi immunis ſit; excepto tamen, neque excepto ſemper Matrimonio, de quo vide dicta Tom. III. ubi de Diſpenſationibus. *Supra p. 122. n. 11.*

CONCLUSIO II. Ut quis Sacramenta quædam valide recipiat, non requi-

quiritur actualis aut virtualis intentio, ſed ſufficit quandoque habitualis vel interpretativa.

Supra pag. 167. Prob. quia ex Conciliis & Ritualibus baptizari debent moribundi ſenſu deſtituti, ſi antea Baptiſmi deſiderium exhibuerint: atqui tamen in hujuſmodi perſonis nulla eſt intentio actualis, aut virtualis proprie dicta, ſed ſolum habitualis; ergo hęc ad Baptiſmum ſufficit, & pari jure ad Confirmationem. An ad Euchariſtiam quoque vel Pœnitentiam ſufficiat, ſuis, Deo dante, in locis diſcutiemus.

Quod ad Extremam-Unctionem ſpectat, ſatis eſſe videtur intentio interpretativa: unde, ait Lugo diſp. 9. nu. 122. conceditur Sacramentum illud eis, qui ſubito morbi impetu, rationis uſum perdidere; quia qui Chriſtianus eſt, & vult in Eccleſia Catholica vivere & mori, vult etiam Sacramentis ejus juvari debito tempore. Et hęc debita temporis circumſtantia probat invalidum fore Ordinem collatum dormienti, etiamſi is ad Ordines ante ſuſpiraſſet: ſi enim iis initiari voluit, at non voluit extra tempus, & hominis ratione utentis ſtatum initiari.

Sed quid ſi Catechumenus Chriſtianam Religionem nuper amplexus, & necdum edoctus Baptiſmi neceſſitatem, prout ii ferme erant de quibus Act. 19. ſenſu interclusus animam agat, poteritne baptizari. Affirmat Lugo ibid. n. 130. quia qui abſolute hanc Religionem amplecti voluit, voluit & ejus ritibus quicumque ii forent gubernari; ergo & generalem habuit voluntatem, quidquid ibi ad ſalutem pręſcriberetur, amplectendi: porro cum dubium ſit an non ſufficiat confuſa hęc voluntas; & in extremis dubia quęque tentari debeant, multo ſecurius eſt conferre Sacramentum, quod forte non proderit, quam denegare forſitan profuturum. Favet id Auguſtini Lib. 1. de adulterin. conjug. cap. 26. *Etiamſi voluntas ejus* Catechumeni *incerta eſt, multo ſatius eſt nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit ſic non apparet, ut tamen credibilius ſit eum, ſi poſſet, velle ſe potius fuiſſe dictarum ea Sacramenta percipere, ſine quibus jam crediderit non ſe oportere de corpore exire.* *Tom. 6. p. 404.*

Sunt tamen qui ob incertitudinem Baptiſmum hunc ſub conditione dari velint; ex quo ſequitur, ęgrum, ſi convaleſcat, denuo baptizandum eſſe ſub conditione, *ſi non es baptizatus*, &c.

Gravior eſt difficultas an muti & ſurdi a nativitate baptizari poſſint. Conſultus ea de re Gibertus, occaſione Mauri cujuſdam, rebus utrinque diu jactatis, reſpondet tandem Tom. 1. conſult. 27. de Sacramentis, enitendum eſſe, omni qua fieri poteſt via, ut id genus homines Chriſtum, Chriſtique legem edoceantur, & eam, per exempla quę potentius movent, in praxim redigere aſſuefiant: tum ubi quid ſit Baptiſmus, etſi imperfecte admodum, didicerint, baptizentur: quia plenior & magis explicita fides non eſt neceſſaria iis qui ejuſdem habendæ incapaces ſunt. Addit idem Canoniſta haud denegari debere cetera præter Ordinem Sacramenta, mutis qui jam tincti fuerint; tum quia ad ea jus habent vi jam recepti Baptiſmatis; tum quia hæc ad pie vivendum neceſſaria ſunt.

Ex his a contrario ſequi videtur, ſurdum, mutum & cæcum ab infantia baptizari non poſse, ut qui nec conſenſum ullum manifeſtare, nec fidem etiam confuſe edoceri queat. Sunt tamen qui eum baptizari velint ſub conditione *ſi es capax*. Nempe, inquiunt, & hujus quoque ſalutem vult

vult Deus, & conſequenter gratias largitur, vi quarum mutus iſte & generatim velle poſſit quidquid ad hanc ſalutem neceſſarium eſt, & de commiſſis a ſe peccatis ſincere conteri: porro cum incertum ſit an non ſufficiat hæc voluntas ad Baptiſmi validitatem, & in extremis extrema quæque tentanda ſint, quidni fiat erga miſerum, quod nocere nequit, & prodeſſe poteſt? Quoniam tamen haud ſufficit vel muto, vel alii cuicumque homini, ut intus illuſtretur ab eo qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* expenderem ego an ii de quibus agitur, divinæ gratiæ obtemperent; an non paſſim agant ut equus & mulus quibus non eſt intellectus: uno verbo de arbore judicarem ex fructibus; neque opimos exigendo, quos ſolus Chriſtianus ferre poſſit; neque eos admittendo qui nonniſi vitiatum fundum redoleant.

SECTIO SECUNDA.

De Diſpoſitionibus ad Sacramenta recipienda neceſſariis.

NOt. 1. Sacramenta recipi poſſunt vel valide ſimul & fructuoſe, vel infructuoſe quidem ſed valide, vel demum & infructuoſe.

Not. 2. Sacramenta vel ſunt *mortuorum*, quæ conferunt gratiam primam, ideſt quæ hominem transferunt a ſtatu injuſti ad ſtatum juſti; vel *vivorum*, quæ gratiam ſecundam largiuntur, ſeu hominem ex juſto faciunt juſtiorem.

Jam duo quæruntur, 1. an ad validam Sacramenti receptionem requiratur fides; 2. an ad fructuoſam ejus receptionem neceſſariæ ſint præviæ ex fide ac pietate diſpoſitiones. Sit

CONCLUSIO I. Ad recipienda cetera prȩter Pœnitentiam Sacramenta, non requiritur fides.

Prob. 1. pars, tum quia non magis neceſſa videtur fides in recipiente, quam in Miniſtro; tum quia nullibi reperitur Baptiſma collatum Anabaptiſtis, etſi ii jam adulti, adeoque jam a vera fide devii baptizentur; tum quia id expreſſe docet Auguſtinus Lib. 3. de Bapt. c. 14. ubi ſic: *Nec intereſt, cum de Sacramenti integritate & ſanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus ſit ille qui accipit Sacramentum. Intereſt quidem plurimum ad ſalutis viam, ſed ad Sacramenti quæſtionem nihil intereſt: fieri enim poteſt ut homo integrum habeat Sacramentum & perverſam fidem.* Unde quod ſupra docuere Gamachȩus & Grandin, ſuſpectum eſſe debere Baptiſma a Judȩis aut Atheis receptum, non cadit in defectum fidei, ſed in defectum intentionis legitime prȩſumptum.

Prob. 2. pars, quia ad pœnitentiam prȩrequiritur contritio ſaltem imperfecta: atqui hȩc ſine fide ſubſiſtere non poteſt; ergo.

Objic. 1. Concilium Arelatenſe I. Can. 8. ſtatuit, *ut Afri in Eccleſiam redeuntes denuo baptizentur, ſi interrogati non reſponderint Trinitatem;* ergo fides Trinitatis ad validam Sacramenti receptionem neceſſaria eſt.

Reſp. diſt. ant. ſi non reſponderint Trinitatem, ideſt ſi non reſponderint ſe in nomine trium Perſonarum fuiſſe baptizatos, C. ideſt, ſi circa Trinitatem errare deprehendantur, N. Imo vero, *ſi pœnituerint*, ajunt Patres, *eum in Patre, & Filio & Spiritu ſancto baptizatum* eſſe, *manus ei tantum*

tum imponatur, ut accipiat Spiritum ſanctum; ſeu ut loquitur Synodus II. Arelatenſis, *cum Chriſmate & manus impoſitione in Eccleſia* recipiantur, *poſtquam fidem noſtram ex toto corde confeſſi fuerint.*

Ceterum iis temporibus ex fide baptizati plerumque colligi poterat, an rite baptizatus eſſet, quia qui alieno ritu baptizabant, male Neophytos ſuos erudire conſueverant.

Objic. 2. id Auguſtini Lib. 7. de Bapt. c. 53. Valet Baptiſma *receptum ſine ſimulatione & cum aliqua fide;* ubi non intentio ſolum, ſed & fides ad Sacramenti valorem requiritur.

Reſp. diſt. ant. valet cum aliqua fide, latius aut ſtrictius ſumpta, C. cum aliqua fide ſumpta ſtrictiori ſenſu, N. Equidem ad valorem Baptiſmi requirit Auguſtinus, ut qui eum recipit, aliquid de eo credat; puta ut credat ritum hunc a Chriſto inſtitutum eſſe, aut ſaltem pro ritu religioſo haberi apud Chriſtianos: id & nos exigimus; neque pro rata haberemus ablutionem, quam quis exciperet, volens quidem, ſed plane neſcius hanc eſſe religioſam apud nos cæremoniam. At non requirit Auguſtinus in ſubjecto Baptiſmi fidem Theologicam; cum ſciret & fidem illam non vigere apud Arianos, & Arianos pro valide baptizatis haberi ab omnibus Chriſtianis præter Donatiſtas. Ecquid aliud ſibi velle poſſunt nitida hæc ejus verba: *Fieri poteſt ut homo integrum habeat Sacramentum, & perverſam fidem.*

Objic. 3. S. Ambroſius Lib. 1. de Spiritu ſancto c. 3. ſic habet: *Plenum eſt Baptiſmatis Sacramentum, ſi Patrem & Filium, Spiritumque fatearis. Si unum neges, totum ſubrues*, tuncque *vacuum eſt omne myſterium*. Unde ſic: Non valet ſine fide quod ſubruitur, & vacuum redditur defectu fidei: atqui ex S. Ambroſio Baptiſma, &c.

Reſp. diſt. min. Baptiſma defectu fidei ſubvertitur & vacuum redditur quoad effectum, C. quoad ſubſtantiam, N. Itaque cum Baptiſma eo ſit inſtitutum fine, ut hominem regeneret, ac Cœleſtis regni hæredem conſtituat, non immerito ſubrui dicitur & vacuum reddi, cum necdum iſtos pariat effectus, parit oppoſitos, ut in iis parit qui ſine fide & ullo pietatis ſenſu ad ipſum accedunt. At non ideo ex omni parte invalidum eſt, itaut iterari poſſit: nec probabitur unquam aliter ſenſiſſe S. Ambroſium.

An circa punctum hoc erraverit S. Optatus Milevitanus, non convenit inter Theologos. Alii eum, quoad caput iſtud, Traditionis præcedentis mentem non fuiſse aſsecutum exiſtimant cum Nat. Alexandro diſſert. 23. in Hiſtor. ſæculi III. & Juenino q. 6. in fine. Alii eum eodem volunt explicari ſenſu, quo mox Ambroſium interpretati ſumus. Ita doctiſs. Tournely, qui hæc Libri ejus 5. contra Parmenianum verba adducit: *Quis fidelium neſciat, ſingulare Baptiſma, virtutum eſſe vitam, criminum mortem*, &c. *has res unicuique non ejuſdem rei operarius*, ſeu Miniſter, *ſed credentis fides & Trinitas præſtat*. Verum ab ea facti quæſtione temperandum arbitramur; quia quidquid ſenſerit Optatus, manet incolumis nec jam controverſa Eccleſiæ fides.

CONCLUSIO II. Ut Sacramenta vivorum cum fructu percipiantur, prærequiritur in ſubjecto gratia ſanctificans.

Prob. 1. pars: quæ vivorum Sacramenta dicuntur, quia ſupponunt vitam ſpiritualem, hæc utique prærequirunt ſtatum gratiæ, extra quem non

non eſt vita ſpiritualis: atqui cetera præter Baptiſmum & Pœnitentiam Sacramenta, ideo vivorum Sacramenta dicuntur, quia vitam ſpiritualem ſupponunt; quod utrum quoad Unctionem-Extremam reſtringi debeat, alibi diſcutiemus; ergo.

Atque hinc colliges mortalis ſacrilegii reum fieri, qui ad hujuſmodi Sacramenta acceſſurus, diſpoſitionem pro gratia habituali comparanda requiſitam omittit. Excipiunt equidem aliqui caſum, in quo ſumma neceſſitas non permitteret tempus debitæ contritioni; ut ſi Parochus ne infamiam incurrat, neve plebs omittat ſacrum in die feſto, Miſſam celebrare hic & nunc teneatur; aut Sacerdos hoſtiam ſacram deglutiat, ne irruentes Calviniani eam conculcent, vel in cloacam projiciant. Verum, & in his quoque caſibus, ei qui ſentit ſe etiamnum adhærere gravi peccato, aut qui quacumque tandem de cauſa debite conteri non poteſt, arbitramur a re ſacra abſtinendum eſſe. Ecquis Parochum a fornicatione vel inceſtu recedentem, illico ad aram conſcendere ſinat, quia alioqui emicabunt populi jurgia & oblocutiones. Imputet ſibi effectum, qui poſuit cauſam; & parem ſceleri pœnitentiam agat, *ſi forte remittatur ei actio* ejus nequam. Quod ſi quis in alia hypotheſi ſentiat ſe rite contritum, poterit aliquando rem ſacram facere, etſi a Confeſſario, qui ex fructibus judicat, non ex verbis, abſolvi nondum poſſit. Quod ſpectat ad ſecundum hoſtiæ profanandæ caſum, nulla reſpectu Chriſti impurior eſt cloaca, quam cordis lethali peccato ſordidi. *Act. 8.*

Sed num confiteri debet, ſi poteſt, qui reus lethalis culpæ accedere debet ad Sacramenta vivorum?

Reſp. affirmat. & id quidem conſtat primo de Euchariſtia, ob expreſſam Tridentini Concilii ſanctionem Seſs. 13. c. 7. & Can. 11. Sed neque ſeria, quidquid opinentur aliqui paulo laxiores, de ceteris Sacramentis poteſt moveri difficultas: 1. quia ex Auguſtino, *in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, certis incerta præponere, quis dubitet certiſſimum eſſe peccatum?* atqui certis incerta præponit, qui neglecto certo ſeſe Deo per confeſſionem reconciliandi medio, dubium & arduum contritionis perfectæ, profecto raræ iter arripit. *Quis* enim, ait Catechiſmus Romanus p. 2. cap. 5. q. 32. *ignorat illam qua peccata delentur contritionem, adeo vehementem, acrem, incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum magnitudine æquari conferrique poſſit? At quoniam pauci admodum ad hunc gradum perveniunt*, &c.

2. quia Tridentina Synodus præviam Euchariſtiæ confeſſionem exigit, ut vitetur periculum indignæ receptionis: atqui ratio hæc pro aliis quoque Sacramentis valet. An enim quia hæc Euchariſtiæ inferiora ſunt, licebit ea profanandi periculo ſe objicere.

3. quia quod ajunt adverſarii confeſſionem non præcipi pro ceteris extra Euchariſtiam Sacramentis, falſum eſt. Sic enim habet caput 15. Herardi Turonenſis Archiepiſcopi, qui collectionem ſuam ann. 858. compegit: *ut jejuni ad Confirmationem veniant... ut moneantur confeſſionem facere prius, ut mundi donum S. Spiritus valeant accipere*. Idem Odo de Sulliaco Pariſienſis Antiſtes, qui an. 1196. obiit, his ſanxit verbis: *Si confirmandus adultus fuerit, confiteatur prius, & poſtea confirmetur.* His non aliqua ſed plura concordant Germaniæ, Angliæ & Galliæ *Diſt. 15. De Conſec. Can.*

Con-

Concilia, quæ fuſe recenſet Gibert. conſult. 1. de Confirmat. Idipſum decrevere poſterioris temporis Synodi. Sic Rothomagenſe Concilium an. 1581. *Epiſcopi Sacramentum Confirmationis, nonniſi confeſſis, & profitentibus Symbolum Apoſtolicum tradant;* ubi prçcipitur Confeſſio non ſecus ac Symboli notitia. Idem in Conciliis Turonenſi & Remenſi an. 1583. Bituricenſi an. 1584. Aquenſi an. 1585. conſtitutum eſt.

4. quia nitide ſcribit S. Antoninus, quod Ordinandi *confeſſionem præmittere debeant, ſicut*, inquit, *fieri debet in omnibus Sacramentis, excepto Baptiſmo, quod eſt janua aliorum*. Eadem fuit quoad Ordines Eccleſiæ Romanæ praxis, prout colligere eſt ex Pontificali Romano, juxta quod olim *Metropolita deputabat aliquem diſcretum de ſua Eccleſia Confeſſorem, cui conſecrandus peccata ſua confitebatur.*

Quod ad Extremam-Unctionem attinet, hçc habentur in antiquo Codice Siculo ſex ſæculis antiquiori: *Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & Sacerdoti.*

Objiciuntur aliqua, 1. Synodum Tridentinam non præcipere præviam confeſſionem niſi reſpectu Euchariſtiæ: unde Seſſ. 24. c. 1. de Reformat. futuros conjuges hortatur quidem, ſed non obligat ad præmittendam matrimonio confeſſionem; 2. Rituale Pauli V. de Sacerdote Sacramenta adminiſtraturo, ſibique conſcio lethalis culpæ, iis ſolum verbis loqui: *Si habeat copiam Confeſſarii, & temporis locique ratio ferat,* CONVENIT *confiteri*, quæ verba conſilium important non obligationem: quod autem per conſilii modum dumtaxat explicuit Paulus V. id præcepti inſtar imponi non potuit a Synodis quas tanto apparatu congeſſit Gibertus; 3. ex iis Synodis eſſe nonnullas quæ ad confeſſionem ſolum hortentur, non autem eam præcipiant, ut conſtat ex Concilio Avenionenſi an. 1594. 4. nullam eſſe ex iiſdem Synodis, quæ generalem in Eccleſia auctoritatem habeat; 5. grave onus, quale eſt confitendi hic & nunc, imponendum non eſſe ſine gravi cauſa, qualis, ait Henno, nulla eſt in præſenti. Verum abſit ut leviuſcula hæc a tutiori parte retrahant nos in materia quæ ad debitam Sacramentorum receptionem ſpectat. Unde

Ad 1. Tridentina Synodus præviam ſuſceptioni Euchariſtiæ confeſſionem exigendo, non negavit eam ceteris vivorum Sacramentis præmitti debere. Imo ratio cui innixa confeſſionem exegit ante Euchariſtiam, *ne* ſcilicet *tantum Sacramentum indigne, atque adeo in mortem & condemnationem* ſumeretur, ſat ſuperque inſinuat, eum qui ſe contritum credit, non eſſe per hoc de ſua cum Deo reconciliatione ſecurum; nec proin ordinariam fidelium contritionem ſufficere ad vitandum morale periculum recipiendi indigne Sacramenti; quæ utique ratio ut pro Euchariſtia, ſic & pro ceteris Sacramentis valet. Ceterum ideo dumtaxat de Euchariſtia ſermonem fecit ſacra Synodus, quia inter articulos a Patribus commiſſos examini Theologorum, decimus iſte fuit, *Solam fidem eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad Euchariſtiam, neque ad id confeſſionem eſſe neceſſariam*, prout refert Palavicinus Lib. 12. cap. 1. nulla vero ab hæreticis mota eſt quæſtio circa neceſſitatem confeſſionis præmittendæ aliorum Sacramentorum ſuſceptioni. His adde quod ſicut ante definitionem Concilii neceſſaria erat confeſſio pro Euchariſtia, ſic & ea neceſſaria eſſe poſſit ad cetera Sacramenta independenter ab ejuſdem Concilii definitione.

Nec

Nec obeſt quod additur de Matrimonio: 1. quia Tridentinum ibi generatim loquitur de iis omnibus, qui matrimonio conjungendi ſunt; porro tam certum eſt confeſſionem haud eſſe iis omnibus neceſſariam, quam certum ſit non eos omnes mortali peccato gravari; 2. quia Tridentinum non loquitur ibi de ſola confeſſione, ſed & de communione, quæ quia præcepta non eſt, adhibere debuit Synodus verbum quod exhortationem ſonaret, non ſtrictæ legis præceptum; 3. quia mens Concilii fuit ut hæreticorum errores proſcriberet, non ut ſolveret quæſtiones inter Catholicos motas; etſi ſatis aliunde indicaverit quam in partem propenderet.

Ad 2. Paulus V. ambigua voce uti potuit, ne litem pure Theologicam dirimere videretur. Ceterum, cum Paulus idem ſaperet ac prædeceſſores ſui, in eam partem inclinare debuit, quæ iiſdem arriſerat magis: atqui pars quæ mortalis culpæ reos ante vult confiteri quam Sacramenta vel miniſtrent vel recipiant, Romanis Pontificibus qui ante Paulum fuerant, longe plus placuerat quam oppoſita. Romanum enim Catechiſmum approbarunt S. Pius V. Gregorius XIII. & cum iis plures primi nominis Antiſtites, quos inter S. Carolus Borromęus. Porro Catechiſmus Romanus hęc habet part. 2. c. 5. *Si quid ſalutis noſtræ ratio poſtulet conſideremus, profecto quoties mortis periculum imminet, vel aliquam rem tractare aggredimur, cujus tractatio homini peccatis contaminato non conveniat, veluti cum Sacramenta adminiſtramus aut percipimus, toties confeſſio prætermittenda non eſt.*

Quod additur non potuiſſe a Sinodis pręcipi, quod non pręcepit Paulus V. æque ridiculum eſt & falſum. Neque enim vetuit Paulus V. ne id præciperetur, ſed tantum abſtinuit ipſe a pręcipiendo, non tam ne pręciperent alii, quod pene ubique pręceptum eſſe noverat, quam ne quemquam Catholicum damnare videretur. Et vero ſi ita conſilium impendere voluiſſet, ut excluderet pręceptum, jam proprię ſuę Eccleſię Catecheſim reprobaſſet.

Ad 3. Synodi, vel magis Synodus, quę ad cofeſſionem hortari ſatis habet, de iis intelligi poteſt, quos non remordet gravioris peccati conſcientia, & quibus tunc confeſſio non neceſſitatis eſt, ſed devotionis. Deinde quis uni tantum Synodo, quam ceteris omnibus credere malit.

Ad 4. allegatę a Giberto Synodi cum Gallię, Anglię, Italię, Germanię & Belgii conſenſum indicent, ſat Eccleſię totius diſperſę conſenſum indicant, ut ab iis nemo ſalutis ſuę ſtudioſus vel latum unguem deviare poſſit.

Ad 5. mirum & pluſquam mirum ſenſato cuilibet videbitur, quod ducentorum & ſupra ſeu Conciliorum ſeu Ritualium auctoritas, idonea non ſit quę Belgam Theologum moveat. Ceterum indubie movebitur, ſi coram Deo pauca hęc penſet & libret in ſtatera cordis, 1. raram admodum eſſe contritionem, quę per ſe ſolam mortale peccatum diluat; 2. vereri merito quemque ne id non habeat in ſe quod raro habetur; 3. haud licitum eſſe accedere ad Sacramenta ſine eo quod merito pręſumi poteſt deeſſe, pręſertim cum ſuppetit via & facilis & certior, qua id haberi poſſit.

Conclusio III. Non pręrequiritur ſtatus gratię, ut Sacramenta mor-

mortuorum fructuoſe recipiantur. Requiruntur tamen in adultis prævię fidei & pietatis diſpoſitiones.

Prob. 1. pars: Baptiſmus & Pœnitentia ideo vocantur Sacramenta mortuorum, quia pro ſpiritualiter mortuis inſtituta ſunt: atqui non pro his, ſed pro vivis inſtituta forent, ſi ad ea rite ſuſcipienda prærequireretur ſtatus gratię; ergo.

Prob. 2. pars, quia ex dicendis Sacramenta iis ſolum gratiam conferunt, qui non ponunt obicem: atqui obicem poneret, qui ſine ullo fidei vel pietatis ſenſu ad eadem Sacramenta accederet; ergo.

Quę vero neceſſarię ſint ſeu ad Baptiſmum in adultis, ſeu ad Pœnitentiam diſpoſitiones, declarat Synodus Tridentina Seſs. *6.* c. *6.* & nos fuſius expendere conabimur in Tractatibus propriis.

SECTIO TERTIA.

An Sacramenta ficte ſuſcepta, ſublata fictione reviviſcant.

Fictio duplex, altera intentionis, qua quis fingit velle ſe recipere Sacramentum, quod tamen non vult interius recipere; & de hac non loquimur in præſenti. Altera præparationis, qua quis Sacramentum recipit abſque neceſſariis diſpoſitionibus: & hęc, ait Gonet diſp. 4. de Baptiſmo, art. 2. vel eſt inculpabilis, ut cum quis ad Sacramentum accedit, exiſtimans bona fide ſe ſufficienter eſſe diſpoſitum, puta ſe dolorem habere ſupernaturalem, cum nonniſi naturalem habeat; vel eſt culpabilis, ut ſi quis vel in hęreſi & ſchiſmate baptizetur, vel etſi in Eccleſia baptizetur, peccato mortali adhęreat.

Certum eſt 1. fictionem præparationis ſolius, non impedire ne Sacramenta quę characterem imprimunt, & de quibus precipua hic volvitur quęſtio, valide recipiantur. Valent enim Sacramenta, cum præter materiam & formam reperitur intentio ſeria tum in Miniſtro eadem conferendi, tum in ſubjecto eadem recipiendi: atqui fictio præparationis nihil obſtat quominus hęc omnia concurrant; ergo.

Certum eſt 2. ea fictione impediri omnes Baptiſmi v. gr. effectus, præter impreſſionem characteris. Ii enim effectus ſunt gratia ſanctificans, & virtutum atque donorum quę eidem annexa eſſe ſolent, infuſio: atqui gratia ſanctificans infundi non poteſt in animam peccato ſubditam; qualis eſt anima ejus, qui vel non diſpoſitus, vel male diſpoſitus accedit; ergo.

Quęſtio igitur eſt, 1. an ſublata fictione renaſcantur ii effectus, quos impediverat fictio; 2. utrum ſi in Baptiſmo reviviſcant, reviviſcant pariter in aliis Sacramentis; 3. quę ad reviviſcentium hanc neceſſarię ſint conditiones.

Multiplex, ut in ambiguis contingit, eſt ea de re opinio Theologorum. Alii negant quodcumque, etiam Baptiſmi, Sacramentum, ſublata fictione reviviſcere: unde ſequitur actualia quę Baptiſmum præceſſerant peccata, recedente fictione tolli non vi Baptiſmi ipſius, ſed vi Pœnitentię: ita Alenſis, Vaſquez diſp. 161. &c. Alii Sacramenta omnia præter Euchariſtiam ſublato fictionis obice reviviſcere opinantur; alii vel Baptiſ-

ptiſmum ſolum, vel ſaltem ſola quæ characterem imprimant Sacramenta reviviſcere autumant; neque hi conſentiunt inter ſe; alii quippe per reviviſcentem Baptiſmum ea tantum deleri volunt peccata, quæ ipſum præceſſere; alii non hæc dumtaxat, ſed & ipſum fictionis peccatum, quod tunc temporis & concomitanter commiſſum eſt; alii denique non ea ſolum peccata quæ præceſſerunt, aut concomitata ſunt, ſed ea etiam quæ ſubſecuta ſunt Baptiſmum ficte ſuſceptum, vi ipſius non quidem directe, ſed indirecte deleri cenſent: ita Paludanus. Deſipuerit profecto qui tot capita ad concordiam revocare præſumat. Sit

Conclusio I. Sublata fictione reviviſcit Baptiſmus, ac proinde non ſolum fictionis venia, ſed & Baptiſmi effectus, nimirum gratia regenerativa recipitur. Ita S. Thomas 3. p. q. 69. art. 10. & ipſe Scotus diſt. 4. q. 5. n. 4. & 8. idem probabile eſt de Confirmatione & Ordine.

Prob. 1. ex S. Auguſtino Lib. 3. de Bapt. c. 13. ubi ſic de Baptiſmo in ſchiſmate vel hæreſi percepto loquitur: *Quamvis apud hæreticos vel ſchiſmaticos idem ſit Baptiſmus Chriſti, non tamen ibi operatur remiſſionem peccatorum, propter eamdem diſcordiæ fœditatem .'. Tunc incipit valere idem Baptiſmus ad dimittenda peccata, cum ad Eccleſiæ pacem venerint .'. ut idem ipſe qui propter diſcordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur ſalutem.* De Baptiſmo autem in Eccleſia ficte ſuſcepto ſic ſtatuit S. Doctor ibid. Lib. 1. c. 12. *Quod ante datum eſt valere incipit, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Unde ſic: Tunc reviviſcere dicitur Baptiſmus intra vel extra Eccleſiam ſuſceptus, cum incipit operari id quod propter fictionem operari non potuerat, nempe remiſſionem peccatorum: atqui ex Auguſtino, ſublata fictione incipit Baptiſmus operari remiſſionem peccatorum, quam propter fictionem operari non potuerat; ergo.

Confirm. ex intento Auguſtini. Agit is eo loco contra Donatiſtas, a quibus acute hunc in modum interrogabatur: Vel Baptiſmus noſter dimittit peccata, vel non. Si dimittit; ergo datur apud nos Spiritus Sanctus, ac proinde ſumus in vera Eccleſia. Si non dimittit; ergo denuo baptizandi ſumus. Quid ad hæc S. Doctor? Id unum, nempe valere Baptiſmum ad peccati remiſſionem, non quando confertur, ſed quando fictus convertitur; ergo loqui debet de remiſſione per Baptiſmum producta, de qua ſola interrogabatur. Jam vero qui docet Baptiſma ficte ſuſceptum operari remiſſionem peccati, ſtatim ac tollitur fictio, docet idem Baptiſma reviviſcere; ergo. *V. Lugo diſp. 9. n. 28.*

Cum autem id quod in primo textu de Baptiſmate ab hæreticis vel ſchiſmaticis ſuſcepto dixit Auguſtinus, illud de malorum Chriſtianorum Baptiſmate repetat S. Doctor, tum in textu ſecundo, tum ibid. Lib. 4. c. 3. palam eſt erraſſe doctiſſimum Morinum, cum Lib. 9. de Pœnitentia ſcripſit, *reviviſcentiam virtutis Baptiſmi*, a Patribus *de eo tantum intellectam fuiſſe, qui extra Eccleſiam ſuſceptus eſt.*

Prob. 2. Non poteſt quis ab originali noxa mundari, niſi renaſcatur ex aqua & Spiritu ſancto, vel realiter, vel in voto: atqui ſi non reviviſceret Baptiſmus, mundaretur quis ab originali noxa, etſi nec realiter, nec in voto renatus ex aqua & Spiritu ſancto. Non enim realiter renatus eſſet ex aqua, qui nullam ex aquæ lavacro recepiſſet gratiam juſtificantem. Neque etiam in voto ex eadem aqua renaſceretur, qui nullam ha-

bere poteſt votum recipiendi id quod jam recepit ; ergo ut renaſcatur qui ficte ſuſcepit Baptiſmum, oportet ut Baptiſmus reviviſcat.

Confirm. Vel in hoc caſu mundatur quis ab originali labe per Baptiſmum reviviſcentem, vel per pœnitentiam; atqui hoc non; cum nec pœnitentia ad tollendum originale peccatum inſtituta ſit, nec gratia quæ pœnitentiæ fructus eſt, ullibi vocetur regenerans; ergo.

Prob. 2. pars: Ideo Baptiſmi reviviſcentiam admittunt paſſim Theologi cum SS. Auguſtino & Thoma, quia alioqui Baptiſmus, utpote initerabilis, ſuo ſemper fruſtraretur effectu, qui tamen viro Chriſtiano admodum neceſſarius eſt, & juxta ſuavem Providentiæ viam viro pœnitenti denegari non debet : atqui hæc ratio in Ordine etiam & Confirmatione militat. Cum enim Sacramenta hæc iterari non poſſint; qui ea ſuſcepiſſent ficte, non tantum privati manerent gratia ſanctificante, quæ eis correſpondet, ſed & jure ad gratias actuales, conſequenter ad hæc Sacramenta ſuo tempore conferendas, quæ tamen admodum neceſſariæ ſunt, ſeu *Confirmatis*, ut fidem etiam cum propriæ vitę diſpendio profiteantur, ſeu Ordinatis ut munia ſua digne & ſancte exerceant : atqui tam funeſta privatio ſummam Dei erga eos qui ſerio convertuntur, benignitatem videtur dedecere; ergo.

Confirm. ex Auguſtino, qui reviviſcentiam Ordinis ſacri diſerte agnoſcit Lib. 2. contra Creſconium c. 10. ubi de Sacerdotibus in hæreſi conſecratis hæc fatur : *Chriſtiana ſane in vobis Sacramenta agnoſco. Apud vos quidem aliena ſunt; ſed cum cor veſtrum corrigitur, fiunt ea ſalubriter veſtra, quæ perniciose habebatis aliena.* Quorſum vero iſtud, *ſalubriter veſtra fiunt*, niſi quia jam incipiunt largiri ſanctitatem, quam propter obices impendere non potuerant. Utique quod non reviviſcit, ſalubre dici non poteſt. Idem docet S. Thomas in 4. diſt. 4. q. 3. art. 2.

Hæ rationes utcumque Matrimonii, imo & Extremæ-Unctionis reviviſcentiam aſtruunt; Matrimonii quidem, quia licet iterari poſſit, non tamen vivente comparte ; unde quia conjux pluribus indiget gratiis, ut gravia ſtatus ſui onera ſuſtineat, credibile eſt has ei, cum fictionis ſincere pœnitet, conferri ; ne iis deſtitutus, relative ad conditionem ſuam inermis maneat, quamdiu ſtabit eadem conditio.

Quod ad Extremam-Unctionem pertinet, cum hæc raro conferatur; & gratię eidem annexę ſummi ſint momenti in agone, ubi plus ſolito furit leo rugiens, & uno tantum paſſu dividuntur vita & ęternitas, pie quoque de Deo pręſumit, qui hanc per Pœnitentiam reviviſcere exiſtimat cum Sanctis Thoma in 4. diſt. 4. q. 3. art. 2. & Bonaventura diſt. 1. p. 1. art. 13.

Quod ad Euchariſtiam & Pœnitentiam attinet, pauci ſunt qui ea reviviſcere opinentur; tum quia id neceſſe non eſt, cum Sacramenta hęc non iterari tantum, ſed & facile iterari poſſint; tum quia alioqui, qui ſacrilegas communiones aut confeſſiones geminaſſet per totum vitę tempus, is, ſi in ultima ſenectute tot fictionum ſerio pœniteret, eumdem conſequeretur ſanctitatis gradum, quem qui toties pie & ſancte Sacramenta hęc percepiſſent, quoties ipſe indigne percepit; quod vix in animum induci poteſt. Adde quod ex Apoſtolo, qui indigne Euchariſtiam ſumit, judicium ſibi manducat; id autem falſum eſſet ex parte, ſi Euchariſtia recedente fictione prodeſſet ad vitam.

Objic. 1.

Objic. 1. S. Auguſtinus citato cap. 12. Lib. 1. de Baptiſmo, remiſſionem peccatorum tribuit pœnitentię, ſeu *piæ correctioni, & veraci confeſſioni:* atqui quod eſt effectus pœnitentię, reviviſcenti Baptiſmo tribui non poteſt; ergo.

Reſp. diſt. maj. tribuit pœnitentię tanquam removenti prohibens, ſeu obicem fictionis, C. tanquam cauſę effectrici, N. Itaque ut operetur Baptiſmus, requiritur dolor ſincerus de fictione, quę Baptiſmi effectum impediit; verum dolor ille nec gratiam regenerantem per ſe largitur, nec inſtar cauſę efficientis delet originale peccatum: alioqui qui ipſo Baptiſmi tempore verum hunc dolorem geſtaſſet in corde, per eum, non autem per Baptiſmum regeneratus fuiſſet.

Objic. 2. Opus mortuum reviviſcere non poteſt: atqui ficta Baptiſmi ſuſceptio eſt opus mortuum; ergo.

Reſp. 1. conc. totum: non enim dicimus reviviſcere fictionem, quę eſt actio hominis peccaminoſa, ſed reviviſcere Baptiſmum, qui eſt actio Dei ſanctiſſima, cujus effectum impedierat obex peccati. Unde

Reſp. 2. diſt. min. ficta Baptiſmi ſuſceptio eſt opus mortuum, ex parte ſuſcipientis, C. ex parte Baptiſmi ipſius, N. Uno verbo ficta ſuſceptio eſt quidem opus malum in genere moris, ſed & eſt opus bonum & optimum in genere entis.

Inſt. 1. Si Baptiſma reviviſceret in genere entis, & prout eſt actio Dei, vel deleret peccatum originale, & actualia que Baptiſmum pręceſſere peccata, vel ea quę fictam ipſius ſuſceptionem concomitata ſunt, vel ea demum quę ſubſecuta fuere: atqui nullum ex his dici poteſt; ergo.

Reſp. conc. min. quoad ultimam partem, & nego ſaltem quoad primam. Unde dico 1. peccata Baptiſmo ficte ſuſcepto poſteriora, ne indirecte quidem remitti per Baptiſmum, ſecundum id S. Thomę 3. p. q. 69. art. 10. ad 3. *Peccata Baptiſmum ſequentia, remittuntur quidem, ſed per Pœnitentiam, non per Baptiſmum, unde non remittuntur quantum ad totum reatum, ſicut peccata præcedentia Baptiſmum.* Ratio eſt 1. quia nullum hominis baptizati peccatum aliter deleri poteſt quam per pœnitentiam in re vel in voto: atqui peccata Baptiſmum ſubſecuta ſunt eo ipſo hominis baptizati; ergo. 2. quia alioqui peccata hęc non eſſent ſubjicienda clavibus; 3. quia Sacramenta id ſolum efficere poſſunt ad quod inſtituta fuere: atqui nulla prorſus Sacramenta fuere inſtituta ad delenda peccata poſt ſui ſuſceptionem commiſſa. Etſi enim Sacramenta ſint medicinę reſpectu futurorum delictorum pręſervativę, non ſunt tamen medicinę curativę niſi reſpectu delictorum, quę jam perpetrata ſunt; ergo. 4. quia baptizati in hęreſi vel ſchiſmate nunquam ab Eccleſia recepti ſunt per ſolam manus impoſitionem, vel per confeſſionem fidei, niſi pręceſſiſſet pœnitentia ſaltem privata, ut alibi oſtendemus.

Dico 2. peccata quę Baptiſmum pręceſſerunt, per ipſum remitti ſublato obice: quia vel tolluntur per Baptiſmum, vel per Pœnitentię Sacramentum: atqui per iſtud tolli non poſſunt: quia non magis Eccleſię juriſdictioni ſubjacent, quam ipſa non baptizati perſona. Atque hinc eſt quod nulla pro iis peccatis imponatur ſatisfactio, quę tamen pro peccatis poſt Baptiſmum commiſſis imponitur; ergo.

Quod attinet tum ad fictionem, tum ad peccata, quę fictam Baptiſ-

Digitized by Google

mi ſuſceptionem comitantur, ut ſi quis dum baptizatur, actuali fervet odio contra eum a quo baptizatur, reſpondet S. Thomas his verbis ibid. ad 3. *Fictio non removetur per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiam ſubſequentem, qua remota Baptiſmus auſert culpam & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum ipſo.* Quæ quidem infra explicare conabimur.

Inſt. 2. Baptiſmus delere non poteſt id, quod jam deletum invenit: atqui Baptiſmus, quo tempore ſupponimus eum operari, jam omnia prorſus peccata invenit deleta, ſeu per contritionem perfectam extra Sacramentum Pœnitentiæ, ſeu per attritionem cum eodem Sacramento. Prob. min. Baptiſmus operari non poteſt, niſi conſequenter ad ſublatam fictionem, ſeu in inſtanti fictionem hanc immediate ſequenti: atqui jam tunc peccata omnia deleta ſunt. Contritio enim ſtatim ut ponitur perfecte juſtificat: atqui perfecte juſtificare non poteſt, niſi omnia tollat peccata: ergo cum contritionis effectus, prior ſit natura, quam effectus Baptiſmi, dicendum eſt peccata omnia per ipſam tolli, aut per Pœnitentiam, ſi non directe, quia Pœnitentia ex ſe inſtituta non eſt niſi pro peccatis Baptiſmum ſequentibus, ſaltem indirecte, quia peccatum unum lethale ſine ceteris omnibus dimitti non poteſt.

Reſp. ad 1. & 2. neg. min. quia cum tollitur obex, ponitur quidem diſpoſitio prærequiſita ut tollatur peccatum ſeu vi Baptiſmi, ſeu vi Pœnitentiæ; ſed nondum in hoc inſtanti deletum eſt peccatum, quia non deletur niſi per gratiam juſtificantem, quæ ſtatim quidem infundenda eſt a Deo, ſed nondum in illo priori, ut ajunt, infuſa intelligitur: adeo ut ſublatio obicis præcedat gratiæ infuſionem, ſi non prioritate temporis, ſaltem prioritate naturæ.

Ad 3. neg. maj. contritio enim quantumcumque perfecta, eſt quidem, ut bene notat Lugo ibid. n.43. ultima ad juſtificationem diſpoſitio, quia eſt diſpoſitio conſequenter ad quam Deus gratiam habitualem ſtatim & ſemper infundit; ſed non eſt forma ſe ipſa juſtificans, aut expellons peccatum. Id ergo quod formaliter juſtificat, quodque peccatum formaliter excludit, eſt ipſa gratia ſanctificans: porro gratiam hanc infundit Deus conſequenter ad ſigna quæ inſtituit; ergo cum Baptiſmum inſtituerit in gratiam regenerantem, & Pœnitentiam in gratiam alterius generis, conſequens eſt quod Baptiſma & Pœnitentia operentur ſimul etiam ſimultate naturæ, & quod hæc peccata poſt Baptiſmum commiſſa deleat, quo præciſe inſtanti illud peccata ante ſui ſuſceptionem commiſſa delet.

Inſt. 3. Non magis poteſt Baptiſmus delere peccata, quæ ipſum præceſſerunt, quam fictionem cum qua receptus eſt: atqui ex S. Thoma Baptiſmus non delet fictionem cum qua ſuſceptus eſt: ſed hæc per Pœnitentiam deleri debet, ut tradit S. Doctor; ergo nec delere poteſt quæ ipſum præceſſere peccata; ſed hæc per Pœnitentiam deleri debent. Et vero non poteſt deleri fictio, quin ſimul deleantur cetera quæcumque peccata: atqui ex conceſſis fictio neceſſario deleri debet ante operationem Baptiſmi; ergo & ante Baptiſmi operationem peccata cetera deleri debuerunt.

Reſp. 1. neg. maj. quæ in ſenſu objectionis eſt de falſo ſupponente. Fictio

enim

enim præciſe ſumpta prout eſt privatio diſpoſitionis neceſſariæ, non delevetur, ſed ſolum aufertur, prout ante Baptiſmum auferri debuerat. Unde ſicut Judæus qui ad Baptiſmum accedens, enixe dolet de actualibus quæ commiſit peccatis, aufert a ſe fictionem omnem, nec tamen peccata ſua delet, cum hæc ſolum deleantur per infuſionem gratiæ regenerantis; ſic qui recepto indigne Baptiſmo, dolet de fictione, tollit fictionem, nec tamen maculam, ſi qua e fictione remanſerit, delet. Unde hæc vel per Baptiſmum deletur, prout ipſum præceſſit, vel per Pœnitentiæ Sacramentum, ſi poſt ipſum Baptiſmum continuaverit.

Sed quia fictio adjungi ſolet toti Baptiſmatis actioni, & perſeverare poſt inſtans terminativum illius, ideo ſubjicienda eſt clavibus Eccleſiæ; idemque dicendum de ceteris peccatis, odii, v. g. blaſphemiæ interioris, & ſimilibus, quæ ſic Baptiſmum comitata fuerint, ut non deſierint ante completam ejus ſuſceptionem; quia hæc jam incipiunt eſſe peccata hominis baptizati, ac proinde clavibus Eccleſiæ ſubjecti. Unde quod ſupra dicebat S. Thomas, peccata ſimul exiſtentia cum Baptiſmo per ipſum deleri, a Soto, Ledeſma, aliiſque pluribus S. Thomæ diſcipulis intelligitur de peccatis Baptiſmum tempore concomitantibus, ſed non uſque ad inſtans terminativum ipſius; eorum enim quæ vel uno ultra inſtanti perſeveraſſent, eadem foret ratio ac fictionis ipſius, ſicque ut hæc, ſic & illa per Pœnitentiam ſolam expungi poſſent.

At, inquies, fictio nihil aliud eſt utplurimum, quam voluntas Baptiſmi indigne ſuſcipiendi: atqui hæc voluntas natura prior eſt ipſa ſuſceptione Baptiſmi, quam voluntas illa imperat; ergo per Baptiſmum deleri debet, ſicut & alia quæ Baptiſmum præcedunt peccata.

Reſp. diſt. min. voluntas hæc prior eſt ſuſceptione Baptiſmi, prout ipſam imperat, C. prout conſummatur exterius per indignam Sacramenti perceptionem, N. Sic enim includit actualem Sacramenti profanationem, quæ Sacramento poſterior eſſe debet.

An ſi fictio conſiſteret in adhæſione peccatis omnibus quæ quis ante Baptiſmum commiſit, omnia hæc peccata, prout fictionis objectum, clavibus Eccleſiæ ſubjicienda forent, gravis eſt difficultas. Sunt qui credant ſatis eſſe ut accuſetur fictio, non autem requiri, ut accuſetur ejus gravitas. Neque enim, inquiunt, neceſſum eſt ut quis peccati gravitatem confiteatur, cum duo conjunguntur Sacramenta, quorum alterum fictionem tollit, alterum gravitatem ejus, ſicut in præſenti caſu contingit. Alii fictionem & fictionis gradum in confeſſione aperiri volunt; quia cum ex hypotheſi fictio ſecundum ſe totam, ſit opus hominis baptizati, oportet ut ſecundum ſe totam, ideſt quoad ſubſtantiam & gradum declaretur. Neque tunc peccata ante Baptiſmum commiſſa clavibus ſubjicientur ratione ſui, ſed ratione ordinis quem fictio habet ad ipſa. Sic qui pie olim baptizatus, moroſe delectari incipit de adulteriis, homicidiis, ceteriſque id genus, quæ ante Baptiſmum perpetraverat, etſi crimina hęc ratione ſui confiteri non teneatur, eadem nihilominus confiteri debet ut pravæ cui inhæſit, complacentiæ fœditatem totam manifeſtet. Poſtrema hæc opinio ut tutior & probabilior admittenda.

Objic. 3. Nihili nullæ ſunt proprietatis: atqui cum fictio per converſionem tollitur, jam nihil eſt Baptiſmus; ergo.

Reſp. diſt. min. cum fictio tollitur jam nihil eſt Baptiſmus quoad entitatem, C. quoad vim movendi, N. Itaque Baptiſmus, cum in actione fluente conſiſtat, jam non exiſtit in ſe & quoad entitatem, cum fictio tollitur: verum & tunc quoque ſubſiſtit quoad vim movendi; quia ad id ſufficit ut Deus poſitionem Baptiſmi ſemel factam acceptavit tanquam ſignum vi cujus gratiam conferre debeat, ſtatim ut ſublatus fuerit ejuſdem gratiæ obex: atqui res ita ſe habet. Unde ſicut mors & paſſio Chriſti licet jam non exiſtant in ſe, non deſinunt eſſe cauſa moralis meritoria juſtificationis noſtræ, ſic & Baptiſmus, etſi jam præterierit quoad actionem, ſubſiſtit ſemper in mente Dei, eumque movet ad conferendam homini gratiam regenerantem, quoties is eidem recipiendæ idoneum fecerit.

His adde quod licet cum aufertur fictio, Baptiſmus non exiſtat in ſe, manet tamen in virtute ſua, nimirum in charactere, qui tunc elevatur ad pariendam gratiam, quæ propter obicem recipi non potuerat. *In Baptiſmo*, ait S. Thomas in 4. diſt. 4. q. 3. art. 2. q. 3. *imprimitur character, qui eſt immediata cauſa diſponens ad gratiam, & ideo cum fictio non auferat characterem, recedente fictione, quæ effectum characteris impediebat, character qui eſt præſens in anima, incipit habere effectum ſuum, & ita Baptiſmus recedente fictione effectum ſuum conſequitur.*

Objic. 4. Conſtans eſt Patrum doctrina non poſſe hominem niſi ſemel per Baptiſmum renaſci ſpiritualiter: atqui in hypotheſi noſtra poſſet homo ſemel & iterum renaſci. Semel quidem cum actu Baptiſmum recipit; rurſus vero cum fictionem aufert; ergo.

Reſp. neg. min. ſi enim renaſcatur homo tempore Baptiſmi, jam renaſci nequit per ablationem fictionis, quæ nulla fuit: ſi vero renaſcitur cum fictionem aufert, utique renatus non erat, cum Baptiſmum ſuſcepit.

Objic. 5. Si reviviſcat Baptiſma cum aufertur fictio per Pœnitentiæ Sacramentum, plus recipiet gratiæ, qui Baptiſmum ficte ſuſcepit, quam qui recepit non ficte: atqui abſurdum conſequens.

Reſp. diſt. maj. plus accipiet gratiæ ratione Baptiſmi ſimul & Pœnitentiæ, C. plus accipiet ratione Baptiſmi ſolius, N. Porro nihil mirum quod qui duorum Sacramentorum effectus ſimul recipit, plus recipiat gratiæ, quam qui unius dumtaxat effectum reciperet. Certe ſicut Baptiſmatis gratia non opponitur pœnitentiali, ſic nec Baptiſmi cauſalitas, Pœnitentiæ cauſalitati opponitur: unde utrumque Sacramentum ſimul natura concurrit, ad certum, ut ita loquar, gratiæ pondus, quæ prout baptiſmalis, regenerativa dicitur, & prout pœnitentialis, juſtificativa.

Atque hinc obiter colliges male exiſtimaſſe Vaſquesium diſp. 159. quod in caſu obicis per contritionem remoti, non aliam accipiat homo gratiam, quam quæ contritioni correſpondet; quæque tunc, ut ait idem Theologus, duplici quidem Baptiſmi & contritionis titulo conferatur, ſed in eo ſolum gradu ad quem diſponit contritio. Si enim Baptiſmus præteritus ad aliquid valet, ut valere eum expreſſe docet Auguſtinus, debet aliquid conferre ultra illud quod ſine ipſo haberetur. Et vero an non Patres & Concilia, quæ dicunt Sacramenta noſtra gratiam cauſare, eludere cenſeretur, qui diceret eam ſolum gratiam quæ meritis reſpondet, cauſari tunc duplici titulo, ſcilicet propter merita & propter Sacramenta?

menta? Utique is irriſor haberetur doctrinæ ſanctorum, non defenſor; ergo, ait ſolide Lugo diſp. 9. n. 65. cum conceditur Baptiſmum præteritum ablato obice cauſare gratiam, debet id intelligi de gratia diſtincta, non de ſola multiplicatione tituli ad eamdem gratiam.

Quæres an Baptiſmus reviviſcens conferat effectum omnem, quem conferre ſolet, cum pie recipitur.

Reſp. videri quod ſic: Ratio eſt, quod vix ſolida ulla afferri poſſit ratio, cur Baptiſmus ad unum potius effectum quam ad alios reviviſcat: unde non ſolum vi ejus deletur originale vel actuale quod præceſſerit peccatum, ſed & pœna utriſque debita.

Quæres 2. an Sacramenta ablato obice rediviva, æqualem conferant gratiam, an vero majorem pro majoris diſpoſitionis gradu.

Æqualem hoc in caſu conferri gratiam, eamque in infimo gradu, qualis nimirum confertur parvulis, qui ſine ulla ſui diſpoſitione baptizantur, docet Suares diſp. 28. ſect. 4. communior tamen eſt opinio contraria, quam ſequitur Lugo ead. diſp. 9. n. 71. & 73. Ratio eſt 1. quia cum ex Tridentino Seſs. 14. cap. 4 *contritionis motus ad impetrandam veniam peccatorum* concurrat, debet veniam hanc mereri de congruo: atqui diſpoſitio quæ quidpiam meretur, plus meretur cum major eſt, & minus, cum minor; ergo. 2. quia ex generali ejuſdem Concilii doctrina Seſs. 6. c. 7. gratia adultis confertur *ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem*, adeoque inæqualiter, ubi inæqualis eſt diſpoſitio: atqui actus quo tollitur obex in noſtro caſu, eſt vera & propria diſpoſitio (non quidem ad Sacramentum, quod ſine diſpoſitione ulla recipi valide poteſt, ſed ad effectum Sacramenti.) Tum quia quod eſſet diſpoſitio in Baptiſmo præſenti, cenſeri debet diſpoſitio in Baptiſmo præterito; utpote qui non habeat vim majorem ad remittenda peccata ſine diſpoſitione, quam Baptiſmus præſens; tum quia per hujus poſitionem redditur efficax Baptiſmus, per cujus privationem fuerat inefficax: atqui nonniſi ob legitimæ diſpoſitionis carentiam Baptiſmus ficte ſuſceptus, inefficax fuerat; ergo neceſſum eſt ut id quo idem Baptiſmus redditur efficax, ſit vera diſpoſitio. Per vocem *efficax*, id tantum intelligi volo quo poſito tanquam conditione, Baptiſmus effectum ſuum exercere poteſt.

De ſolutione objectionum quas contra proponit Suarez, adi Lugo ibid. n. 76. ne ſi metaphyſicis iſtis diutius immoremus, graviora cogamur omittere.

SECTIO QUARTA.

De diſpoſitionibus neceſſariis ut reviviſcat Baptiſmus.

REvocandum fictionem vel eſſe negativam, cum quis bona fide exiſtimat ſe eſſe diſpoſitum, licet reipſa diſpoſitus non ſit; vel poſitivam, quæ contraria dici poteſt, cum quis quo baptizatur inſtanti, actum malum exercet, puta furando vel furari volendo res Eccleſiæ; vel privativa, cum quis ſciens & volens, ac proinde culpabiliter, caret diſpoſitione neceſſaria, puta actu deteſtationis erga peccata ante commiſſa; licet nullum tunc aliud committat peccatum, quam voluntariæ hujus omiſſionis. Sit jam

CONCLUSIO. Ut reviviſcat Baptiſmus cum fictione poſitiva receptus, requiritur vel contritio perfecta extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel attritio cum eodem Sacramento. Ut vero reviviſcat idem Baptiſmus cum fictione negativa ſuſceptus, ſufficit attritio, ſeu contritio imperfecta.

Prob. 1. pars. Ut reviviſcat Baptiſmus cum fictione ſeu obice receptus, neceſſum eſt ut fictio hæc auferatur: atqui fictio, cum poſitiva eſt, auferri nequit niſi per contritionem vel perfectam extra Sacramentum Pœnitentiæ, vel imperfectam cum eodem Sacramento. Ut enim auferri aliter non poſſit, ſufficiunt duo, 1. ut fictio hæc ſit peccatum hominis baptizati; 2. ut nullum baptizati hominis peccatum tolli aliter poſſit, quam per contritionem vel perfectam extra Sacramentum, vel imperfectam cum Sacramento: atqui utrumque conſtat: 1. quidem fictio hęc eſt peccatum hominis baptizati; ſeu peccatum natura poſterius Baptiſmo completo in ſuo eſſe. Peccatum enim fictionis conſummatum, eſt actio impediens virtutem Baptiſmi, ſeu obſtans ne in inſtanti terminativo ipſius operetur gratiam & remiſſionem peccatorum: atqui talis actio natura poſterior eſt Baptiſmo: cum prius natura ſit Baptiſmum eſſe, quam virtutem ejus impediri poſſe; ergo. 2. non minus conſtat lethale hominis baptizati peccatum, quale eſt indigna Sacramenti contrectatio, non poſſe tolli niſi per contritionem vel perfectam cum voto Pœnitentię, vel imperfectam cum ipſo Pœnitentię Sacramento; prout alibi cum Eccleſia docebimus; ergo merito ſupra docebat S. Thomas, quod *fictio non removetur per Baptiſmum, ſed per Pœnitentiam ſubſequentem.*

Prob. 2. pars: Si requireretur contritio perfecta ad reviviſcentiam Baptiſmi cum fictione negativa ſuſcepti, pejor eſſet conditio hominis Baptiſmum cum fictione negativa ſuſcipientis, & qui deinceps non peccaſſet, quam ſuſcipientis vel cum fictione poſitiva, vel cum negativa, quam deinceps ſubſecutum eſſet grave aliquod peccatum: hi enim juſtificari poſſent per contritionem imperfectam cum Sacramento, cujus ratione peccati Baptiſmum ſubſequentis capaces eſſent; ille vero, utpote Sacramenti Pœnitentię incapax, quia ex hypotheſi nullam poſt receptum Baptiſmum, noxam admiſiſſet, nonniſi per contritionem perfectam juſtificari poſſet: atqui abſurdum conſequens; ergo, &c.

Prob. 2. quia non alia requiritur diſpoſitio ut reviviſcat Baptiſmus, quam quę requiritur ut primo vivat: atqui ut primo vivat requirebatur ſolum contritio imperfecta; tum quia hęc ſufficit in Sacramento Pœnitentię, quod ad minus tantum requirit diſpoſitionis, quantum Baptiſmus; tum quia id expreſſe docet S. Thomas in 4. diſt. 6. q. 1. art. 3. ad 5. ubi ſic: *Ad hoc ut homo ſe præparet ad gratiam in Baptiſmo ſuſcipiendam, præexigitur fides; ſed non charitas, quia ſufficit attritio præcedens, etſi non ſit contritio.*

Utrum autem attritio hęc initiali charitate informata eſſe debeat, res eſt operoſi momenti, quam non ante expendemus, quam noſter nos labor ad Pœnitentię Sacramentum deduxerit. Hic annotare ſufficiat ſecundam hanc noſtrę concluſionis partem eſſe intelligendam de ficto negative, qui mortaliter non peccaverit poſt Baptiſmi ſuſceptionem; alias eadem ei neceſſaria foret ad reviviſcentiam diſpoſitio, quę ficto poſitive; quia peccatum grave Baptiſmo poſterius nonniſi conſequenter

ad

ad contritionem vel imperfectam in Sacramento, vel perfectam extra Sacramentum dimitti poteſt de via communi.

Objic. contra 1. partem, 1. poteſtas clavium non ſe extendit niſi ad peccata poſt Baptiſmum commiſſa, prout docet Tridentinum Seſſ. 14. cap. 1. 2. & 5. atqui fictio poſitiva non eſt crimen poſt Baptiſma perpetratum; ergo non poteſt ea virtute clavium deleri.

Reſp. diſt. min. fictio tantum inchoata, non eſt crimen poſt Baptiſma perpetratum, C. fictio conſummata, de qua loquimur in præſenti, N. Itaque ſi quis ad Baptiſmum accederet cum voluntate non delendi de peccatis actualibus quæ per totam vitam commiſit, & ante ultimum inſtans in quo completur Baptiſmus in ſuo eſſe, voluntatem hanc retractaret, tamque de ea, quam de aliis a ſe admiſſis facinoribus doleret, quantum ſufficit, quod licet difficile, fieri tamen abſolute poteſt; jam fictio hæc per Baptiſmum una cum aliis peccatis deleretur; neque obnoxia eſſet clavibus Eccleſiæ, ut pote quæ non foret opus hominis baptizati. Verum aliud eſt de fictione conſummata; hæc enim cum ſit profanatio Sacramenti, eſt opus membri Eccleſiæ; ac proinde non alia deleri poteſt via, quam quæ inſtituta eſt ad delenda fidelium peccata. Porro concluſio noſtra nonniſi de poſtrema hac fictionis ſpecie procedit.

Obj. 2. Baptiſmus reviviſcit ſublato obice: atqui ex conceſſis obex fuit tantũ defectus attritionis; ergo poſita attritione ſola, ponetur & effectus Baptiſmi.

Reſp. diſt. min. fuit tantum defectus attritionis, ſed voluntarius, ac proinde lethaliter gravis, C. fuit tantum defectus involuntarius, N. Itaque cum attritionis defectus in poſitive ficto ſit culpa mortalis, neceſſe omnino eſt ut ea remittatur vel per Baptiſmum, vel per contritionem perfectam cum voto Pœnitentiæ, vel per contritionem imperfectam cum Pœnitentiæ Sacramento actu recepto: atqui culpa hæc per Baptiſmum quo natura poſterior eſt, remitti nequit; ergo ſupereſt ut vel remittatur per contritionem perfectam, &c. quapropter quod hic non ſufficiat attritio ſola, hinc oritur quod hæc nunquam ſufficiat ad juſtificationem ſine Sacramento vel Baptiſmi vel Pœnitentiæ; unde quia jam ſufficere nequit cum Baptiſmo, cujus vis ad peccata ſeipſo poſteriora non extenditur, neceſſum eſt ut vel jungatur cum Sacramento Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam compenſetur.

Inſt. Tam Baptiſmus per attritionem puram reviviſcens, poterit fictionis peccatum remittere indirecte, quam Pœnitentia indirecte remittere poſſit peccatum oblitum: atqui, &c.

Reſp. neg. maj. Pœnitentia enim utpote inſtituta ad remittendum quodcumque peccatum Baptiſmo poſterius, ad ea etiam extendit ſe peccata, quæ inculpate e memoria exciderunt: neque alioqui ſat conſultum eſſet hominis ſaluti, cum plerumque impoſſibile ſit ut delicta quæcumque ſua quoad numerum & ſpecies ſibi revocet in animum: at vero Baptiſmus nullam prorſus vim habet ad delenda peccata poſt ſui ſuſceptionem commiſſa; unde ſi deſit contritio perfecta, vel attritio cum Sacramento, nec tolletur fictio, nec originale peccatum.

At, inquies, Baptiſmus cum obice poſitivo receptus, non minus habet efficaciæ, quam ſi receptus ſit cum obice negativo; ergo ſi ſufficiat attritio ad tollendum obicem negativum, & hæc quoque ſufficiet ad tollendum obicem poſitivum.

Reſp.

Reſp. neg. conſeq. quia obex poſitivus importat peccatum ad quod non extendit ſe efficacia Baptiſmi : porro obex negativus tale peccatum non involvit.

Objic. 3. Euchariſtia indirecte remittit peccatum originale in homine ſolum attrito, qui bona fide credit ſe eſſe baptizatum; ergo & Baptiſmus reviviſcens ſimiliter remittet attrito peccatum fictionis, ſaltem ſi illud non occurrat memoriæ ipſius.

Reſp. dato antecedente de quo alibi, neg. conſeq. diſparitas eſt quod Euchariſtia, ut & alia vivorum Sacramenta, ſecundario inſtituta ſit, ut gratiam primam conferat, adeoque ut deleat peccata omnia prius admiſſa, cum nullum grave peccatum in eodem ſubjecto ſubſiſtere poſſit una cum gratia ſanctificante : at vero Baptiſmus nullo modo inſtitutus eſt ut peccata poſt ſui receptionem commiſſa deleat. Quapropter fictio quæ cuipiam prorſus e memoria exciderit, indirecte tolletur per pœnitentiam, cum aliis quæ deinceps commiſerit peccatis; aut ſaltem per contritionem, vel charitatem perfectam, quæ in eo ſupponi facile poſſet, qui nullum a tempore Baptiſmi ficte recepti grave peccatum commiſiſſet.

Objicuntur duo contra ſecundam partem, 1. quod tollere fictionem, ſit tollere peccatum; peccatum autem ſola attritione tolli non poteſt; 2. quod diſpoſitio ſubſequens non poſſit eſſe diſpoſitio ad reviviſcentiam Baptiſmi : porro attritio in noſtro caſu eſt diſpoſitio ſubſequens Baptiſmum, ut pote jam præteritum. Verum hæc nihil urgent. Unde

Reſp. ad 1. neg. maj. quia cum fictio pure negativa non ſit peccatum, qui eam tollit, peccatum non tollit, ſed ponit conditionem, qua inducta peccatum tam actuale quam originale per Baptiſmum tolli debet.

Reſp. ad 2. neg. maj. etſi enim diſpoſitio Baptiſmum ſubſequens, nec ſit nec eſſe poſſit diſpoſitio ad Baptiſmum; quia diſpoſitio debet prior eſſe forma ad quam diſponit; eſt tamen diſpoſitio ad illius effectum quem obex ſuſpenderat. Et vero attritio poſt Baptiſmum ſe habet, ut attritio ante Baptiſmum : atqui attritio ante Baptiſmum, non ſe habet ut diſpoſitio ad Baptiſmum, cum is ſine illa vere ſubſiſtat; ſed ſolum ut diſpoſitio ad ejus effectum ; ergo attritio poſt Baptiſmum eſt tantum diſpoſitio ad ejus effectum. Jam vero nihil obſtat quominus id quod ſufficiens erat diſpoſitio ad effectum Baptiſmi nondum ſuſcepti, ſit & ad ejus jam ſuſcepti effectum diſpoſitio.

Neque tamen ſufficiet attritio hæc ad tollendam fictionem poſitivam ; quia hæc ut pote Baptiſmo poſterior, non aliter auferri poteſt quam peccata cetera poſt Baptiſmum commiſſa.

SECTIO QUINTA.

An liceat Sacramenta adminiſtrare peccatoribus.

QUæſtio hæc etſi agitari ſolet in Tractatu de Euchariſtia, proprie tamen præſentis eſt loci, quia de ceteris præter Euchariſtiam Sacramentis moveri poteſt, ut animadvertit Lugo diſp. 8. n. 162.

Not. porro duo ſecerni genera peccatorum, alii ſunt publici, alii vero

vero occulti. Publici tales ſunt vel publicitate ſeu notorietate juris, vel publicitate facti. Publici peccatores publicitate juris ii dicuntur, quos nefarium quid egiſſe conſtat vel per propriam eorum in judicio confeſſionem, vel per depoſitionem teſtium, vel per ſententiam Judicis. Publici evidentia ſeu notorietate facti, ii ſunt qui crimen aliquod coram tot teſtibus commiſere, ut crimen illud jam nulla tergiverſatione in tota vicinia celari poſſit. Circa quod conſule quæ diximus ubi de Cenſuris 1. part. cap. 5. pag. 434.

Not. 2. peccator ſeu occultus ſeu publicus vel publice ſeu coram frequenti cœtu Sacramentum petit, vel occulte, ideſt ſolus a ſolo.

Conclusio I. Peccatori undecumque notorio Sacramenta etiam publice petenti negari debent, excepta tamen Pœnitentia, & nonnunquam Matrimonio.

Prob. 1. ex his Chriſti verbis Matth. 7. *Nolite dare ſanctum canibus*, quæ Euchariſtiæ potiſſimum a Patribus accommodantur, unde & is Eccleſiæ cantus: *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, non mittendus canibus*: atqui per canes deſignantur *peccatores manifeſti*, prout expreſſe docet S. Thomas 3. p. q. 80. a. 6. & cum eo unanimis Theologorum chorus; quapropter citatum Hymni verſum ſic reddidere Regii Portus interpretes: *Loin le pècheur brutal, c'eſt le pain adorable des enſans, non des chiens*.

Prob. 2. ſi peccatoribus publicis Sacramenta adminiſtrari poſſent, iis præſertim qui cum in ſupremo ſint Reipublicæ gradu, ut per favorem Eccleſiæ opitulari, ſic & per odium nocere poſſunt: atqui tamen ne his etiam, qui quid exitus res habere poſſint, Sacramenta conferri licet, ſtatim ut ſunt publici peccatores. Prob. min. ex S. Chryſoſtomo Hom. 83. in Matth. ubi ſic Sacramentorum diſpenſatores compellat: *Non parva vobis imminet ultio, ſi quemquam ullius improbitatis conſcium hujus menſæ participem eſſe concedatis. Sanguis ejus de manibus veſtris exquiretur. Sive quis dux militiæ ſit, ſive Præfectus, ſive Princeps diademate coronatus, indigne ne accedat prohibe. Sed unde, inquies, ego illum atque illum, qualis ſit cognoſcere poſſum? non de ignotis, ſed de notis hæc diſputo.*

Prob. 3. quod univerſis mundi Catholici Ritualibus ante annos non plus 40. ſevere interdictum erat, ut menti Chriſti & Eccleſiæ adverſum, non poteſt haberi hodie ut inculpatum quid aut indifferens: atqui ante annos non plus 40. univerſis mundi Catholici Ritualibus ſevere interdictum erat, ne peccatori cuicumque notorio darentur Sacramenta. Factum hoc docebit vir eruditus adæque & parum ſuſpectus Bernardus Van-Eſpen: ſic ille Juris ſui part. 2. tit. 4. de Euchariſtia, c. 2. nu. 20. *Cum ergo Ritualia atque Synodalia Decreta velint* UNIVERSIM *publicos & notorios peccatores a Communione repelli, manifeſtum eſt a verbis & mente Eccleſiæ omnino deviare, qui hujuſmodi peccatores non prius volunt eſſe repellendos, quam per ſententiam Judicis ſint, ut notorii peccatores declarati. Quaſi non poſſint per notorietatem facti eſſe vere notorii & publici peccatores, antequam per ſententiam tales eſſent declarati. Nam forte ſcandalum non eſſet .·. aut Sacramentum .·. non daretur canibus, ſi notoriis peccatoribus notorietate facti adminiſtraretur publice Euchariſtia, quanvis necdum per ſententiam Domini Officialis ut tales condemnati eſſent?*

Quod

Quod dicit laudatus Canoniſta *univerſim* hic conſpirare cum Synodis Libros Rituales, probari facile poſſit: ſed ne in re minime dubia ludamus operam, horumce Librorum, quibus regere ſe debent Sacramentorum Miniſtri, aliquot appellabimus. Rituale Remenſe a Carolo Mauritio le Tellier editum an. 1677. hæc habet: *Et d'autant que le Seigneur defend dans l'Evangile de donner le Saint aux chiens, nous defendons à tous Cures & Vicaires d'admettre à la participation de la ſainte Euchariſtie les pecheurs publics, juſqu'à ce qu'ils ſoient corriges, qu'ils aient fait penitence, & repare le ſcandale qu'ils auront cauſe. Et nous eſtimons pecheurs publics ceux qui ſont notoirement excommunies ou interdits, les concubinaires publics, les uſuriers publics, les magiciens, les ſorciers, les blaſphemateurs publics, les ivrognes, les bateleurs & farceurs, les femmes publiques connues pour etre de mauvaiſe vie, les duelliſtes, ceux qui nouriſſent des inimities publiques, & qui ne veulent point ſe reconcilier; ceux qui retiennent notoirement & injuſtement le bien d'autrui, & qui ne veulent point le rendre: & generalement tous ceux qui ſont engages en quelque crime notoire & ſcandaleux.* Ibi lex univerſim & indiſtincte loquitur.

Rituale Alectenſe quod edi curavit Nicolaus Pavillon an. 1667. Inſtruct. 5. de Euchariſtia ſic interrogat & reſpondet pag. 74. *Qui ſont ceux qui ne doivent pas etre admis à la ſainte Communion? Ce ſont ceux qu'on ſcait publiquement en etre indignes, comme ſont les excommunies, les interdits, les infames; par exemple, ceux qui ſont reconnus pour concubinaires, les uſuriers*, &c.

Rituale Pariſienſe emiſſum a Lud. Ant. Card. de Noailles, pag. 59. *Fideles omnes*, inquit, *ad ſacram Communionem admittendi ſunt, exceptis iis qui juſta ratione prohibentur. Arcendi autem ſunt publice indigni, quales ſunt notorie excommunicati, interdicti, manifeſteque infames, ut meretrices, concubinarii, comœdi, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alii ejus generis peccatores, niſi de eorum pœnitentia & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.* Merito igitur Pontaſius v. *Pecheur public*, caſ. 1. in hæc ſcribit verba: *Le Rituel Romain, & tous les autres ne diſtinguent point entre la notoriete de droit & la notoriete de fait, & veulent qu'on refuſe la ſainte Communion a tout pecheur public, tel qu'il ſoit: la notoriete de fait ne l'en excluant pas moins que celle de droit, ainſi que le portoit la celebre deciſion ſignee par trente Docteurs de Sorbonne, à la requiſition de M. Pavillon Eveque d'Alet.* Huic Pariſienſium Theologorum deciſioni conſonat alia Lovanenſium, apud Van-Eſpen ibid. pag. 332.

Prob. 4. ſi nunquam ſufficiat facti publicitas ut quis arceatur a Sacramentis, non poterit arceri a ſynaxi ſacra mulier quæ vultus pectoriſque immodeſtia laſciviam ſpirat; non ebrioſus qui a mane in veſperum potat, obſcœna canit, & tripudiat in popinis; non is qui fraterno quem palam fudit, cruore madibus, Chriſti myſteria poſtulare audet: atqui hæc tam abſurda ſunt, tam a pietate aliena, quam quæ maxime; ergo. Qui plura de hoc argumento volet, adeat Conſultationes Canonicas Petri Gibert, quod Opus non ſine magnificis encomiis approbarunt quatuor, iique non Moliniſtæ Sorbonici Doctores.

Gibert to. 1. conſult. 12.

Ergo, inquies, valet in Gallia publicitas facti. Valet utique in iis

iis quæ juris ſunt divini, & contra quæ nulla humana lege præſcribi poteſt; quale iſtud eſt ne margaritæ projiciantur ante porcos. Valet & in iis quæ ex conſtanti uſu quamdam inducunt notorietatem juris, ut cum agitur de neganda duelliſtis aut comœdis ſepultura Eccleſiaſtica; valet & quantum ad reſervationem caſuum quorumdam, qui niſi publici ſint, non reſervantur. Sed non valet quantum ad alios innumeros caſus, ad quos ab Ultramontanis extendi ſolet. Sic nec excommunicatos, niſi denuntiati ſint, fugere tenemur, nec notorios Clericorum percuſſores, &c. Sic non ipſo facto a Beneficiis ſuis excidere credimus plures etiam ſceleſtos, qui iiſdem illico privati cenſentur extra Galliam, &c. De his plura & erudite congeſta videbis apud eumdem Gibertum ibid. p. 121. & ſeq.

Quod diximus nulla humana lege præſcribi poſſe adverſus ea quæ juris ſunt divini, abſit ut eo ſenſu dictum intelligatur, quod extet aliqua in Regno lex, unde ſuſpicio hæc induci queat. Notæ ſunt ex Chriſtianiſſimi Regis Declarationes: *Nous ſommes bien èloignès de vouloir ſoumettre la Religion à l'autoritè ſeculiere, ou autoriſer ceux qui forceroient les Miniſtres de J. C. à donner la Communion à des gens notoirement rebelles aux loix de l'Egliſe & de l'Etat.*

At, addes, an non præſumi poteſt concubinarium qui ad Euchariſtiam accedit, a peccato tandem reſipuiſſe.

Reſp. cum Giberto reſipiſcentiam hanc non ſupponi niſi factis & idoneæ morum converſione probetur, præſertim vero ejectione concubinæ. Et vero ſi converſus ſupponeretur quicumque accedit ad Sacramenta, non poſſent hæc negari comœdis; & hos enim rite converſos ſupponi oporteret. Deinde quoti ad Sacramenta accedunt, ut vulgatam impietatis ſuæ famam abſtergant, ſi poſſint? Quoti, quia non ſatis myſteriorum noſtrorum dignitatem compertam habent? quoti, quia hominem bene vel male confeſſum peccata, ab iis ſtatim mundari exiſtimant? aliud ſane S. Carolo Borromæo viſum eſt, cum hæc Parochis Documenta dedit, tit. Qui ad ſacram Communionem admittendi ſunt. *Neminem publicis peccatis irretitum ad Communionem recipiat Parochus, niſi prius ſcandalo publico ſatisfecerit; etiamſi abſolutionis a Pœnitentiariis, aut Confeſſoribus etiam Regularibus acceptæ teſtimonium produxerit.*

Saltem, inquies, erunt iis Sacramenta conferenda, quibus ea conferri jubebit Magiſtratus: huic enim obtemperandum eſt: *Non enim*, ait Optatus Milevitanus Lib. 3. *Reſpublica eſt in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt.*

Reſp. ſæculares Magiſtratus nihil habere juris in ea quæ vel ad fidem, vel Sacramenta pertinent. Qui ergo eo venirent temeritatis ut vel hæretico, vel uſurario notoriis Euchariſtiam dari præciperent, brevi iſta Apoſtolorum voce eſſent reprimendi: *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quam Deum*, qui foris canes eſſe voluit, *judicate.* *Act. 4. 19.*

Nec nocet deſumpta ab Optato ſententia, quam, ut loquitur Gabriel Albaſpinæus, *mirifice extollunt homines illi qui rebus ſtudent novis; putantque hujus ſenſum eſſe, imperatores non Eccleſiæ, ſed Eccleſiam eis ſubditam eſſe.* Neque enim credidit Optatus Eccleſiam quoad ſacra ſua ſubjectam eſſe principibus, ſed contra Donatum oſtendit orandum

eſſe

eſſe *pro Regibus & Poteſtatibus*, ut ii tueri pergant Eccleſiam quæ *eſt in Republica id eſt in Imperio Romano*, ibique longe magis, tuta eſt, quam ſi eſſet *in gentibus barbaris*, apud quas nec *Sacerdotia ſancta*, nec *pudicitia & virginitas, tuta eſſe poſſent*. Merito igitur Illuſt. Cameracenſium Archipræſul Franciſcus de Fenelon, in extemporanea Oratione quam præmiſit Conſecrationi Joſephi Clementis de Bavaria, hæc facunde eloquebatur: *L' Egliſe, il eſt vrai, eſt dans l'ètat, pour obèir au Prince dans tout ce qui eſt temporel. Mais elle n' en dèpend jamais pour aucune fonction ſpirituelle .·. elle eſt en ce monde pour le gouverner par rapport aut ſalut .·. Le monde en ſe ſoumettant à l' Egliſe, n' a point acquis le droit de ſe l' aſſujettir. Les Princes devenant les enfas de l' Egliſe, ne ſont point devenus ſes maitres*, &c. Atque idipſum eſt quod toties & præ ceteris palam atteſtati ſunt Reges Chriſtianiſſimi: ſic Ludovicus Magnus in celebri an. 1695. Edicto de Juriſdictione Eccleſiaſtica, Art. 34. *La connoiſſance des cauſes concernant les Sacramens .·. & autres purement ſpirituelles appartiendra aut Juges d' Egliſe: enjoignons a nos officiers & meme a nos Cours de Parlement, de leur en renvoyer la connoiſſance*, &c.

Concluſio noſtra quantum in ſe indubia eſt, tantum in praxi cautionis exigit & prudentiæ. Cavendum itaque & ſummopere cavendum, 1. ne pro notorio habeatur, quod vel paucis cognitum ſit, vel rumoribus nixum incertis, vel ſola vulgi credulitate aut imperitia fundatum. Idque etſi in pluribus locum habere poteſt, habet præſertim in iis quæ pertinent ad ſortilegium, magiam, & quandoque hereſim; 2. ubi ſentit Parochus fieri poſſe ut ad Sacramenta accedat quis ſuſpectæ famæ, æquum eſt ut eum amice conveniat; moneat de ipſo ſpargi multa, quæ tetri quid moribus ejus inurant, hortetur ut ſcandali caſus reſecet; 3. & id curare debet ut e ſuggeſtu, nemine tamen deſignato, contra eos inſurgat, qui & impii ſunt, & ne pro impiis habeantur, accedere volunt ad Deum, *quaſi gens quæ juſtitiam fecerit*; 4. non deferat Euchariſtiam, cum periculo tumultus & ſcandali, puta ſi notorius adulter necdum, ut poteſt, pellicem e domo ejecerit; 5. non habeat ut notorium in hoc vico peccatorem, qui tantum notorius ſit in alio, præſertim, ait Silvius hic q. 80. art. 6. ſi fama criminis non videtur eo facile perventura; 6. ubi viderit peccatorem tergiverſatione aliqua non improbabili ideam criminis a ſe propellere, conſulat Epiſcopum, & in dubiis mandata ejus exequatur; ne dum ſcandalo vult occurrere, ſcandalum innectat gravius, & incerta colligendo zizania certum eradicet triticum.

Idcirco conſultus Gibertus an pro publicis peccatricibus habendæ eſſent Moniales, quæ longam æſtatis partem quotannis tranſigebant in villa & extra Clauſtrum, idque ob cauſas reipſa futiles, iis Sacramenta, ſi publice peterent a Parocho, reponit neganda non eſſe. Etſi enim præſumi poterat Moniales illas excommunicationem incurriſſe, quia ſine neceſſaria (*) Epiſcopi licentia exierant e Clauſtro, tamen & id quoque poterat

(*) Neceſſariam dico Epiſcopi licentiam ob iſta Edicti April. 1695. verba, Art. 19. « Voulons que ſuivant & en execution des ſaints Decrets & Conſtitutions canoniques, » aucunes Religieuſes ne puiſſent ſortir des Monaſteres exemts & non exemts, ſous quelque prétexte que ce ſoit, ou pour quelque tems que ce puiſſe etre, ſans cauſe legitime, & qui ait été jugée telle par l' Archeveque ou Eveque diocesain, qui en donnera la permiſſion par écrit .·. Le tout ſous les peines portées par les dites Conſtitutions » canoniques. De hoc Articulo conſule Michaelem Duperray in prædictum Edictum, t. 1. p. 457.

terat præſumi, eaſdem non exiiſſe ſine Superioris Conventus licentia, quam ſufficientem exiſtimarent. Accedebat plures in Parochia eſſe qui nihil hic ſuſpicarentur mali; ac demum difficile eſſe ut is Monialium exitus lateret Epiſcopum, a quo proinde ſi non probaretur, neque etiam videbatur improbari; unde & interrogandus erat quid facto opus eſſet quoad Sacramenta.

Excepi in concluſione a regula communi Pœnitentiam & identidem Matrimonium. De pœnitentia conſtat neminem ab ea repelli debere, cum hæc pro iis potiſſimum inſtituta ſit qui laborant & onerati ſunt. Vetat quidem Bonifacius VIII. cap. 2. *De uſuris* in 6. ne manifeſti uſurarii *ad confeſſionem* admittantur, *niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent idoneam cautionem;* verum haud ſatis ſcio, num ea lex vigeat apud nos.

Quod ad Matrimonium pertinet, conſtat & ab ipſo communiter arcendos eſſe eos a quibus palam profanaretur; prout reſolvit Auctor Collat. Pariſ. tom. 1. lib. 2. coll 4. Unde Card. Noalius approbavit agendi rationem cujuſdam e Parochis ſuis, qui puellam cum homine lubricis cantibus, gallice *Opera*, deſerviente maritare renuerat, donec is ſpopondiſſet futurum ut periculoſo huic exercitio nuncium mitteret perpetuum.

Eſt tamen in uſu poſitum ut apud Germanos ubi miſti hæreticis vivunt Catholici, alii aliis connubio jungantur. Verum ſeu Matrimonia hæc ſint vel non ſint Sacramenta, conſtat exceptionem hanc ad alios caſus extendi non debere. Admitti quidem ad Matrimonium ſolent, qui quas in concubinas habuere, in uxores habere jam volunt; ſed quia ſic crimen ejurare cenſentur: an autem illud de facto & in corde ejurent, expendet ſagax Confeſſarius, eique prodeſſe poterunt quæ a nobis dicta fuere Tom. III. ubi de Confeſsariorum obligationibus, pag. 53. & ſeq.

Sed quid ſi publicus peccator emendatus ſit, ſed nondum publica ſit ejus emendatio, poteritne Miniſter, cui de ejus Pœnitentia conſtat, eidem privatim Sacramenta largiri? Poterit, imo & coram nonnullis aſſiſtentibus, qui peccatoris converſionem noverint ut ipſe. Ut tamen vitetur ſcandalum, curandum erit ut non ante ſpargatur Communionis rumor, quam diſseminatus fuerit rumor pœnitentiæ, aut ſaltem ut utriuſque fama pari gradu & modo diffundatur.

CONCLUSIO II. Peccatori occulto occulte petenti Sacramentum negari debet, niſi Miniſter peccatum ejus reſcierit per Confeſſionem. Idem faciendum, ſi coram iis petat, quos de crimine ejus certiores factos eſse conſtet.

Prob. tum ex Rituali Romano, ubi ſic: *Occultos peccatores, ſi occulte petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat;* tum quia hæc agendi ratio, neque ſcandalo eſt aſtantibus, qui cum petentis improbitatem noviſse ſupponantur, ægre ferrent Sacramenta ab eo impie profanari; nec detrimentum affert petenti, cui & detrahitur occaſio conſummandi exterius ſacrilegii, & nihil deperit famæ, cum jam ab ea exciderit; tum denique quia impietati cooperatur Miniſter, qui non obſtat eidem, cum ſine ulla juris alieni læſione obſtare poteſt.

Dixi, *niſi Miniſter peccatum didicerit in confeſſione*, quia quæ confeſſionis ſolius via ſciuntur, pro exterius ignoratis haberi debent, præſertim

cum

cum inde imminet rubor aut confuſio pœnitenti. Unde, ait Henno, ſi Sacerdos nonniſi *confeſſionali ſcientia* didicerit Titium peccatorem eſſe publicum & ſcandaloſum, nequidem eum tunc, etſi ſolus ſit cum ſolo repellere poterit. Aliter tamen ſentiunt nonnulli, quos *magni nominis* viros appellat Habertus: at ſi opinionem eorum non improbat, ſed nec approbat expreſſe; unde & hanc ſolum apponit limitationem: *Saltem*, inquit, *monendus videretur, qui minus ex malitia quam ex ſimplicitate Euchariſtiam ſine teſte peteret: conſtat enim experientia rudiores expleta confeſſione, pro more ad ſacram menſam pergere non attendentes fuerintne abſoluti, necne. In quo caſu, ubi ſupponitur nullum eſſe periculum infamiæ aut ſcandali, Sacerdos poteſt quærere ab hujuſmodi homine, num abſolutionis beneficium fuerit conſecutus.* Hæc ille, de quibus agemus nos ubi de Secreto confeſſionis.

Habert. t. 7. pag. 556.

CONCLUSIO III. Peccatori occulto Sacramentum publice petenti, negari non debet. Ita paſſim Theologi, qui, ut notat Lugo diſp. 8. n. 168. varias in id aſtruendum congerunt rationes, quæ parum vel difficile convincunt. Itaque

Probant 1. aliqui, quia peccator occultus jus habet ne infametur, porro infamaretur ſi palam a ſacra menſa abigeretur.

Sed contra: Non plus habet juris peccator occultus ne infametur, cum alioqui gravis Sacramenti injuria averti nequit, quam habeat jus ne infametur, cum de avertendo meo aut alterius temporali damno agitur: atqui fur occultus v. g. non habet jus ne infametur, cum aliter meum aut proximi damnum temporale averti non poteſt. Unde ubique licitum eſt eum qui gemmam meam occulte aufert, palam inclamare furem, ut reſtituat; ergo a fortiori.

Probant 2. alii exemplo Salvatoris, qui Judæ corpus ſuum ut & aliis Apoſtolis porrexit. Verum probatio hæc, niſi aliunde muniatur, non videtur omnino efficax: 1. quia Chriſtus indubie poterat Judam infamare, ſuumque ei corpus negare; ergo, niſi quid aliud obſtet, idem poterunt Miniſtri ejus; 2. quia qui ſemel gravem patitur injuriam, non ideo docet velle ſe eam ſemper pati.

Prob. itaque, & forte melius in hunc modum: quod Chriſtus ipſa ſua praxi prohibuit, & prohibere debuit, inculpate fieri non poteſt: atqui Chriſtus ipſa ſua erga Judam praxi prohibuit ne peccatoribus occultis negarentur Sacramenta, & id prohibere debuit. Quod prohibuerit patet ex totius Eccleſiæ ſenſu, quæ Chriſti actionem ſic ſemper interpretata eſt, ut nuſquam non crediderit peccatores occultos a ſacris myſteriis abigi poſſe: unde id tanquam aliquid ubique obſervatum tradit Auguſtinus Homil. 50. ubi ſic: *Nos vero a Communione prohibere quemquam non poſſumus, niſi aut ſponte confeſſum, aut in aliquo ſive ſæculari, ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum*. Jam vero quod id debuerit Chriſtus prohibere, ſic ſuadetur. Chriſtus Eccleſiam ſuam ſic inſtituere debuit, ut Sacramentorum participatio & bonis libera foret, & puſillis atque improbis non eſſet pene quotidiana ruinæ ſpiritualis occaſio; hæc enim incommoda ſi politici Legiſlatores a ſubditis ſuis arceant, quanto plus a ſuis arcere debuit Dominus & Legifer noſter: atqui ſi peccatoribus occultis Sacramenta denegare liceret, jam nec eorum partici-

cipa-

cipatio etiam bonis libera foret; eſſetque inſuper pene quotidiana ruinæ ſpiritualis occaſio puſillis & malis. Quoti enim etiam conſcientiæ puræ a Cœna ſancta abſtinerent, ne ab improbo Miniſtro cujus odium incurriſſent ejicerentur? quoti ejicerentur de facto, non quia mali, ſed quia ob virtutem ſuam malo Parocho diſplicerent? quoti ne ejicerentur, miſeris Sacramentorum nundinatoribus pecuniam & munera offerrent? quoti ejicerentur ob culpam levem, quæ imperito vel male affecto Paſtori gravior videretur, quam in ſe ſit? quoti ab uno publicam repulſam paſſi, ab alio ſtatim non ſine gravi ſimulatum periculo, publice admitterentur? quoti ob minus crimen expulſi, venirent in ſuſpicionem gravioris noxæ de qua ne cogitarunt quidem? Profecto quiſquis iſthæc, & alia quæ menti facile occurrent, incommoda penſaverit, ſentiet Eccleſiam modico tempore nihil niſi puram Babylonem futuram eſſe, ſi cuivis quemlibet ob privata delicta a ſanctis myſteriis extorrem facere liceret. Ergo exigebat ſapientia Chriſti ut res conſtitueret eo modo quo nunc in Eccleſia ſua conſtitutæ inveniuntur.

Objic. 1. Peccat graviter qui alteri graviter peccandi materiam præbet: ſed qui indigno cuivis Confirmationem v.g. aut Euchariſtiam adminiſtrat, ei gravis peccati materiam præbet; ergo.

Reſp. 1. patet ex mox dictis eum qui negaret Sacramenta non unius tantum ſed & multiplicis ruinæ cauſam eſſe futurum; quatenus ſcandala, judicia temeraria, detractiones, calumnias, & ut probabile eſt, ipſius demum Eccleſiæ ſubverſionem procuraret.

Reſp. 2. eum qui peccato infectus ad ſynaxim ſanctam accedat, jam intus ſacrilegii interioris reum eſſe, ſicut adulterii reus eſt qui mulierem alterius in corde concupiſcit. Exterioris autem ſacrilegii conſummatio, etſi pro viribus impediri debet, non tanti eſt ut cum bonorum omnium ſubverſione debeat impediri. Unde

Reſp. 3. diſt. maj. non licet præbere alteri materiam neceſſariam peccandi, C. materiam liberam, ſubd. non licet ſine gravi cauſa, C. cum cauſa gravi, N. Itaque non licet eam peccandi materiam præbere, qua quis uti ſine peccato non poteſt, quia hæc involvit peccatum tum illius cui præbetur, tum & illius qui præbet. Sic non licet puellę, quo patris & matris internecionem removeat, ſtupratoris libidini cedere. Verum licet, nec raro licet prębere materiam qua quis ad peccatum nonniſi ex malitia uſurus eſt. Sic licet uxori reddere debitum marito, qui non amore prolis, ſed ſolius voluptatis intuitu debitum petit. Licet avaro reddere pecuniam, qua is ad gravandum uſuris pauperem uſurus eſt; licet ab impio Miniſtro petere Sacramenta; quę ſacrilege dabit: quia æquę ſuppetunt ſic agendi cauſę.

Objic. 2. ex Lucio III. cap. 5. *De tempor. Ordinat.* Poteſt Superior ab Ordinibus arcere eos quorum *commiſſa ſecreta noverit;* ergo poteſt quis & ab aliis Sacramentis ob culpam ſecretam arceri.

Reſp. neg. conſeq. diſparitas eſt quod excluſio ab Ordinibus nullum abſolute loquendo poſt ſe incommodum trahat, cum excludi ab Ordinibus poſſit quis etiam innocens: at vero generalis Sacramenta ob culpas latentes denegandi facultas, tot inveheret mala, ut pene certam Eccleſię ruinam portendere videretur.

Inſt. Non plus juris habet peccator ad Euchariſtiam, quam alius quilibet ad Ordines; ergo ut is, ſic & ille repelli poteſt.

Reſp. neg. conſeq. non enim eo præciſe peccatorem occultum a Sacramentis arceri debere negamus, quia is ad ipſa jus habeat ſaltem ex natura rei; ſed quia poſita, ut eſt, Eccleſiæ conſtitutione, publica peccatoris hujus excluſivo innumera inveheret mala, ſponſæ Chriſti, adeoque & ipſi Chriſto longe funeſtiora, quam indigna Euchariſtiæ contrectatio. Adde Ordinum collationem ſemper in Eccleſia liberam fuiſſe; quod de Euchariſtia dici non poteſt: unde peccator plus reipſa juris habet, ſi non ad Euchariſtiam, ſaltem ne ab ea arceatur; quam homo quilibet juris habeat ad Ordines.

Objic. 3. Nunquam licet dare Sanctum canibus; cum id adverſetur præcepto, quod utpote negativum obligat ſemper & pro ſemper: atqui peccator etiam occultus eſt canis; publicitas enim nihil immutat in re; ergo.

Reſp. 1. hinc ſequi peccaſſe Chriſtum, qui juxta SS. Patres paucis exceptis, corpus ſuum dedit proditori Judæ.

Reſp. 2. diſt. maj. non licet dare Sanctum canibus, quos Chriſtus a Sancto excludi voluerit, C. quos Chriſtus noluerit excludi, N. Porro ex dictis conſtat Chriſtum nonniſi manifeſtos peccatores excluſiſſe a perceptione corporis ſui. Unde & hi ſoli canum nomine a Patribus intelliguntur. Utique occulti peccatores ſaltem exterius Chriſtum revereri videntur; publici vero eidem inſultant, aut inſultare præſumuntur.

Hinc patet præceptum Chriſti negativum quidem eſſe, ſed non generale prorſus & abſolutum; quod & aliis pluribus commune eſt: ſic præceptum iſtud: *Non revelabis ſecretum* alterius, ſub hac intelligitur conditione, niſi juſta cauſa exigat ut reveles. Idem eſt de iſto: *Si quid voveris, ne differas reddere*, &c.

Objic. 4. Non poſſum reddere gladium ei qui ſeſe interimere vult; ergo nec Euchariſtiam ei cui hæc mortem illatura ſit.

Reſp. neg. ant. generaliter intellectum. Si quis enim me meamque domum comburere velit niſi gladium ei ſuum reſtituero, potero ſuum ei enſem reddere: quia tunc gravius impendet malum, quam quod vitare velim; potiſſimum vero jurgia, diſſenſiones, furibunda odia, Paſtorum, Sacramentorumque deſpectus, & ipſa paulatim Religionis extinctio.

Inſt. Nullum eſt gravius crimen crimine indignæ Communionis; ergo quidquid tandem evenire poſſit, nihil eſt quod non debeat tentari ut avertatur.

Reſp. diſt. ant. & crimen illud crimen eſt reſpectu indigne communicantis, C. & eſt crimen reſpectu Miniſtri in noſtro caſu, N. Certe ſi nihil prorſus intentatum relinqui debeat, ut impediatur indigna Euchariſtiæ receptio, haud ægre ſibi perſuadebunt plures ſatius eſſe ut reveletur confeſſio hypocritæ, quam ut is inſtar novi Judæ ad menſam Domini accedere permittatur. Id ſaltem indubie permittent, qui cum Auctore recenti cenſent licitam eſſe revelationem Confeſſionis, cum agitur de ſervanda Regis vita. Inde autem quæ totius Chriſtianiſmi ſubverſio!

Inſt. 2. Si res ita ſit, concedenda erit Euchariſtia ei qui certo ſcitur vel eam conculcaturus pede, vel ipſa ad magicas artes uſurus: atqui conſequens ab omnibus Theologis rejicitur, & merito; ergo & rejiciendum antecedens.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. neg. maj. diſparitas eſt 1. quod Chriſtus jure ſuo ceſſerit quantum ad indignam ſui receptionem, ut patet ex ipſius erga proditorem diſcipulum agendi ratione; non autem eo ceſſerit quantum ad id ut pedibus conculcaretur; 2. quod denegatio Euchariſtiæ ei facta qui ea ad magiam abuſurus ſit, non ſubjaceat gravibus incommodis, quæ ſecum traheret ejuſdem propter alia quæcumque occulta peccata denegandæ neceſſitas. Ecquis Parochus niſi in caſu qui evidentia clarior ſit, magiæ uſum, vel fixum conculcandi Corporis Chriſti propoſitum cuipiam impingere auſit? Quis Parochianus futuræ hujus accuſationis metu non deterreatur a Communione? &c.

Objic. 5. Qui Euchariſtiam in loco ſordido reponeret, non eſſet a gravi noxa immunis: ſed ponit eam in loco ſordidis ſordidiori, qui impio tradit; ergo.

Reſp. diſt. maj. qui poneret in loco ſordido ſine cauſa gravi, C. ſecus, N. Unde ſi quis ne Euchariſtia vel flammis tradatur ab impio Calviniſta, vel pedibus atteratur, eam in ſordido loco recondat, merebitur nedum peccet.

Quæres 1. an non vitandæ impietatis cauſa poſſit impio tradi hoſtia minime conſecrata.

Reſp. negat. cum S. Thoma ibid. q. 80. art. 6. ad 2. quia *Sacerdos hoc faciens, quantum in ſe eſt, facit idololatrare illos qui credunt eſſe hoſtiam conſecratam, ſive alios præſentes, ſive etiam ipſum ſumentem: quia ut Auguſtinus dicit* in Pſalm. 98. *Nemo carnem Chriſti manducet, niſi prius adoret.* Unde conſultus Innocentius III. *de incauto Presbytero, qui cum ſe ſciret in mortali crimine conſtitutum, & Miſſarum ſolemnia non* poſſet *propter neceſſitatem quamlibet intermittere, Miſſam celebrare ſe* fingebat, *& ſuppreſſis verbis, quibus conficitur Corpus Chriſti, panem & vinum tantummodo pure* ſumebat; his reſpondet verbis cap. 7. de celebrat. Miſſar. *Cum falſa ſint abjicienda remedia, quæ veris ſunt periculis graviora... gravius videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud myſterium præſumpſerit ſimulare; cum non ſolum Deo, cui videtur illudere, ſed populo quem decipit, ſe aſtringat.*

Quæres 2. an relative ad Sacramenta dignus cenſeatur, quem non conſtat eſſe indignum: & utrum Miniſter aliquam adhibere debeat diligentiam, ut ſibi moraliter conſtet de dignitate petentis?

Reſp. non unam hic & parem pro Sacramentis omnibus regulam conſtitui poſſe. Quapropter inſpicienda eſt cujuslibet Sacramenti conditio, & Eccleſiæ praxis. Itaque cum agitur de Baptiſmo, qui Sacramentorum janua eſt, & hominem Dei & Eccleſiæ filium conſtituit, non ante eo adultum quemque initiare licet; quam moraliter conſtet eum & inſtructum ſatis & rite diſpoſitum eſſe. Unde graviter delinquet etiam laicus, qui ſecus fecerit, tum quia gravi alterius peccato cooperabitur; tum quia hoc ipſo quod Sacramentum hoc conferre vult, ſuſcipit in ſe munus diſpenſatoris, adeoque & grave debitum fideliter diſpenſandi. Gravius tamen peccaret Miniſter conſecratus, aut ad baptizandum ſpecialiter deputatus ab Eccleſia.

In Confirmatione digni habentur quos præſentant Parochi: qui a nemine præſentantur, ruſtici præſertim & inopes, ignari plerumque rerum ſalutis, quandoque interrogandi an confeſſionem præmiſerint; an non jam ante fuerint confirmati.

Quoad Euchariſtiam, uſu receptum eſt ut bonus præſumatur, cui nihil objici poteſt. Curandum tamen Parocho ut in eorum qui de novo in Parochia ſua domicilium figunt, vitam moreſque inquirat ſeu per aliquos quibus fidere poſſit, ſeu per litteras aut aliter interrogando eum a cujus Parochia tranſmigrarunt, an illic pie antea vixerint, an non incurrerint cenſuras, an quæ cum iis nomine uxoris habitat, uxor ſit legitima. Imo ſanxerat an. 1456. Synodus Lingonenſis graves ob cauſas *ut nulli ſe transferentes de una Parochia ad aliam, per Curatum in cujus Parochiam tranſitum fecerint, ad Sacramenta Eccleſiaſtica, ſine litera certificatoria proprii Parochi dimiſſi*, aut Epiſcopi *vel Officiariorum* ejus admitterentur. Verum diſciplina hæc, ſicubi inſtituta eſt, ſervari debet, non debet propria Parochi auctoritate introduci ubi nunquam viguit; prout notat Gibert Tom. I. de Sacram. Conſult. 7.

In Pœnitentia cujus Miniſter agit ut Judex, qui niſi cauſa diligenter expenſa ſententiam ferre non poteſt prudenter, Sacerdos moralem adhibere debet diligentiam, ut ſtatum & internam pœnitentis diſpoſitionem comperiat, priuſquam abſolvat eum vel liget.

In Unctione Extrema ſufficit ut ſciat Sacerdos moribundum vitam egiſſe Chriſtianam, vel ſi is forte ſit peccator publicus, aut paulo ante admiſerit grave aliquod crimen, quædam exhibuiſſe doloris ſigna. Sed de his alibi.

Quod attinet ad Ordines, tenentur Epiſcopi ad eos non admittere niſi quorum *genus*, *perſonam*, *ætatem*, *inſtitutionem*, *mores*, *doctrinam & fidem* ſeu per ſe, ſeu per alios prudentes viros, peritos divinæ legis, ac in Eccleſiaſticis functionibus exercitatos diligenter inveſtigaverint & examinaverint: ita præſcribit Trident. Seſſ. 23. De reform. cap. 7.

In Matrimonio, quod ubi conſummatum eſt, indiſſolubili vinculo alligat, & innumera inducit peccata, ſi vel invalide, vel ſine gratia ſacramentali contrahatur, curandum eſt ſummopere Paſtori, ut nonniſi habiles & rite diſpoſitos admittat. Circa Parochorum obligationes repete quæ dixi Tom. III. pag. 31. & ſeq. & Tom. VI. pag. 346.

CAPUT TERTIUM.

De effectu Sacramentorum.

Effectus Sacramentorum ad gratiam & characterem reduci ſolent: de his proin diſputandum in præſenti.

ARTICULUS PRIMUS.

De Gratia ſacramentali.

Expendemus 1. an Sacramenta producant gratiam; 2. qualem; 3. quo modo.

SE-

Digitized by Google

SECTIO PRIMA.

An Sacramenta producant gratiam.

NOt. 1. Gratia ſupernaturalis, quæ ſupernaturale eſt donum intellectuali creaturæ gratuito datum in ordine ad æternam ejus ſalutem, vel eſt actualis vel habitualis. Gratia actualis eſt donum ſupernaturale per modum actus tranſeuntis conceſſum, ut vel ſancta in intellectu cogitatio, vel pia in voluntate motio excitetur. Gratia habitualis, eſt ſupernaturalis quædam forma, permanenter inhærens animæ; eamque vel a ſtatu injuſtæ ad ſtatum juſtæ transferens, & tunc dicitur gratia prima; vel a ſtatu juſtæ transferens ad ſtatum juſtioris, & tunc dicitur gratia ſecunda: nempe vero gratia prima nullam ejuſdem generis gratiam in ſubjecto præexiſtentem ſupponit; gratia vero ſecunda aliam ſibi parem præſupponit, eamque adauget.

Not. 2. Sacramenta alia ſunt mortuorum, quæ vulgo recipiuntur ab homine ſpiritualiter mortuo per peccatum originale vel actuale grave; alia vivorum, quæ ordinarie recipiuntur ab homine jam per gratiam ſanctificantem vivificato. Quæritur itaque 1. an Sacramenta conferant habitualem gratiam, quæ etiam ſanctificans & juſtificans nuncupatur; 2. an ex iis nonnulla gratiam primam conferant, vel ſecundam.

Not. 3. Sacramentorum cauſalitas bifariam intelligi poteſt: 1. ita ut ſit mediata tantum & remota; puta ſi ritus exterior dicatur excitare fidem, qua excitata juſtificetur homo per ipſam; 2. ita ut ſit proxima & immediata, puta ſi ſacro ſigno indita ſit a Deo vis quæ fidem & gratiam producat.

Multiplex fuit & eſt ea in re hæreticorum error: 1. enim Manichæi teſte Auguſtino hæreſi 46. negabant Baptiſmum, & proinde alia Sacramenta, valere ad juſtificationem; 2. Pauliciani Baptiſmum volebant prodeſſe corpori non animæ, prout refert Euthymius Lib. 2. Panop. c. 21. 3. Meſſaliani vim juſtificandi totam tribuebant precibus, nullam Sacramentis; 4. Calviniani, Lutherani, & Sociniani, cum velint Sacramenta eſſe vel nuda juſtificationis per fidem receptæ ſigna, vel meras noſtræ in Deum pietatis teſtificationes, vim omnem ſanctitatis conferendæ a Sacramentis ablegare debent. Hinc Zvvinglius Tract. de Bapt. fol. 70. hæc nitide loquitur: *Externus Baptiſmus, qui aqua conſtat, ad peccatorum ablutionem nihil facit*: quia vero hunc Zvvinglii locum, ſimulque Calvinianos & Socinianos impetit Becmannus Lutheran. 3. part. loco 13. controverſia 1. ubi expreſſe ſtatuit Baptiſmum eſſe *efficax organon regenerationis, fidei, peccatorum remiſſionis, non vero nudum ſignum ac tantum ſignificans, nihil vero conferens;* non immerito conjici poteſt, ſanius hoc in puncto ut & in aliis pluribus ſentire diſcipulos, quam olim ſenſerint Magiſtri, Pſeudoreformationis artifices. Sit *Pag. mihi 946.*

CONCLUSIO. Sacramenta novę Legis gratiam producunt proxime & immediate.

Prob. 1. vel Sacramenta gratiam producunt, vel mera ſunt ſigna juſtificationis jam receptæ, ut recentioribus hęreticis placet: atqui Sacramenta non ſunt ſigna juſtificationis jam receptę. Quę enim ſemper in

Scriptura & Patribus exhibentur ut cauſæ juſtificationis, nuſquam autem ut ſigna ejuſdem jam receptæ, non poſſunt haberi pro meris juſtitiæ jam receptæ ſignis: atqui Sacramenta ſemper exhibentur ut cauſæ ∴ Prob. min. inductione. Sic de Baptiſmo dicitur ſimpliciter Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, &c. non autem niſi quis ſignum regenerationis ſuæ acceperit; & Act. 2. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum;* non autem in ſignum jam factæ ſibi remiſſionis peccatorum. Sic de Pœnitentia ait Chriſtus Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis;* ubi peccata miniſterio Sacerdotum remitti, non autem mere remiſſa ſignificari dicuntur. Sic de Unctione Extrema ait Jacobus cap. 5. v. 15. *Oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei;* non autem, ſignificabuntur remiſſa aut remittenda.

Haud perſpicue minus gratiæ cauſalitatem expreſſe Concilia & SS. Patres. Concilium Conſtantinopolitanum I. an. 381. *Confitemur*, inquit, *unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Milevitanum II. an. 416. Can. 2. *Parvuli ∴ ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione traxerant*. Ibidem anathemate damnantur, qui formam *Baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vere ſed falſe* intelligunt. Florentinum an. 1489. in Decreto Eugenii, *Noſtra Sacramenta*, inquit, & continent gratiam, & ipſam digne *ſuſcipientibus conferunt*. Tridentinum denique Seſſ. 7. in Decreto de Sacramentis in genere: *Per* Sacramenta, inquit*; omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur:* non negabunt Calviniani poſtremi hujus Concilii verbis veram exprimi cauſalitatem: atqui nihilo diſertius locuta ſunt cetera quæ attulimus Concilia: ergo vera Sacramentorum cauſalitas conſtans fuit & perpetua Eccleſiæ fides.

Idipſum omni ævo docuere SS. Patres, quos longa ſerie adducit Bellarminus Lib. 2. de Sacram. cap. 6. & 7. paucos, ne prolixior fiat noſtra hæc diſceptatio, referre ſufficiet. Tertullianus Lib. de Baptiſmo cap. 4. *Aquæ*, inquit, a Spiritu ſancto *ſanctificatæ, vim ſanctificandi combibunt*. & Lib. de reſurrect. carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur*, &c. S. Gregorius Nyſſenus Oratione in Baptiſmum Chriſti: *Baptiſma*, inquit, *peccatorum expiatio eſt, remiſſio delictorum, renovationis & regenerationis cauſa*. S. Auguſtinus citato toties Tract. 10. in Joan. *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat*. Non eſt quod hinc ſolito more argumentari ſolliciti ſimus: ad eo nimirum labore levant nos Lutherus & Calvinus, qui his Patrum textibus Eccleſiæ Romanæ fidem diſerte contineri perſpicientes, reſpondent, ille quidem in Libro contra Cochlæum, hæc *hominum eſſe dicta, ſibi ipſis ſæpius pugnantium, & pleraque humano ſenſu extra Scripturas docentium:* iſte vero Lib. 4. Inſtit. §. 26. Patrum locutiones in præſenti materia, eſſe *immodica Sacramentorum encomia, & dicendi figuras hyperbolicas*, quibus decepti Catholici *hyperbolica ſua dogmata promulgarunt*. Proh! quam male primævis Conciliis Patribuſque ceſſit, quod ante temperantis Lutheri, modeſtique Calvini tempora Sacramentorum operationem tractare præſumpſerint.

Prob. 2. ex abſurdis quæ pleno cornu invehit utriuſque Novatoris opinio,

nio, ſi enim Sacramenta tantum proſint mediate ob excitatam fidem, ſequitur 1. non valere Baptiſmum latina lingua collatum iis qui neſciunt latine: atqui falſum conſequens ex ipſis adverſariis, qui in Eccleſia Catholica latino idiomate baptizatos non rebaptizant; 2. infantes nulla lingua poſſe baptizari, quia nulla eſt lingua quæ fidem in iis excitare poſſit. Idem de fatuis dicendum. Id quidem concedit Zvvinglius, eo raptus furoris, ut infantes multos poſt Baptiſmum damnari, multos itidem ſine Baptiſmo ſalvari aſſeruerit: at in eo Novator Novatoribus ceteris diſplicuit; 3. non aliam eſſe Chriſtianis quam Judaicis Sacramentis virtutem, cum utraque fidem excitare poſſint: quod etſi a Lutheranis admiſſum eſt, pugnat expreſſe contra S. Paulum mille in locis; 4. parum fuiſſe Baptiſmi Joannis cum Chriſti Baptiſmo efficaciam; 5. validum eſſe quodcumque a quocumque collatum Sacramentum, etiam a mimo; cum quiſquis certa effert verba fidem excitare poſſit; 6. non majorem eſſe Sacramentorum vim, quam lecti vel auditi Evangelii; & hoc enim audientes excitat ad fidem; 7. lectionem formæ baptiſmalis perinde ac ejuſdem exercitium prodeſſe ad regenerationem; 8. Sacramenta æque iis qui adſtant prodeſſe, ac ſuſcipientibus: cum ut in his, ſic & in illis fidei motum ciere valeant.

Objic. 1. Se habent novæ Legis Sacramenta ad juſtificationem noſtram, ſicut ſe habuit circumciſio ad juſtificationem Abrahæ: atqui circumciſio reſpectu Abrahæ; merum fuit juſtificationis jam per fidem receptæ ſignaculum; juxta id Rom. 4. v. 12. *Signum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*, ſeu quam ante receperat, quam circumcideretur.

Reſp. neg. maj. quæ ſane non habetur in Scripturis, ex quibus unis argumentari debent Proteſtantes. Negati ratio eſt, 1. quod circumciſio ſi reſpectu Abrahæ ſignum fuit receptæ jam ſanctificationis, potuit in populo Judæo ejuſdem juſtificationis cauſa eſſe; de quo infra; 2. quod ſi circumciſio gratiam parere non potuerit, quia ad id elevata a Deo non fuerat, non ſtatim idem dicendum de Sacramentis Legis novæ, quæ, ut ex probationibus noſtris patet, inſtituta ſunt ut gratiam aut gratiæ augmentum producant.

Objic. 2. Si Sacramenta proxime juſtificent, Scriptura Sacramentis non autem fidei juſtificationem attribuere debuit: atqui econtra Scriptura tribuit juſtificationem fidei, non Sacramentis. Prob. min. ex Rom. 1. ubi *juſtus ex fide* vivere dicitur, non ex Sacramentis. Item ex Rom. 3. ubi ſic: *Unus eſt Deus qui juſtificat circumciſione ex fide, & præputium per fidem*. & Rom. 10. ubi non ait Apoſtolus: Corpore ſuſcipiuntur Sacramenta ad juſtitiam, ſed *corde creditur ad juſtitiam*. Denique Marci ult. dicit Chriſtus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit;* non vero, qui non crediderit, & baptizatus non fuerit condemnabitur; ſed tantum: *Qui non crediderit, condemnabitur;* ut oſtendat fide poſita etiam ſine Baptiſmo ſalutem haberi poſſe, non autem poſito Baptiſmo ſine fide; ergo.

Reſp. ad 1. 1. neg. maj. potuit enim & debuit Scriptura juſtificationem attribuere cum fidei, tum & Sacramentis: fidei quidem, quia hæc prima eſt in adultis ad juſtificationem diſpoſitio; Sacramentis vero quia hi ſunt vitæ & ſalutis fontes & cauſæ. Unde

Reſp. 2. neg. min. ita enim tribuitur juſtificatio fidei, ut ſimul tribuatur Sacramentis: qui enim dixit, *Juſtus ex fide vivit*, dixit quoque, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Ideo autem Marci ult. haud dictum fuit: *Qui non fuerit baptizatus*, ſed *Qui non crediderit, condemnabitur*: quia, ut notavit S. Bernardus, fides ſufficit cum Baptiſmo in voto, Baptiſmus vero etiam in re non ſufficit adulto ſine fide & converſione interna. Ceterum S. Marcus manifeſte loquitur de fide quæ Baptiſmum præcedit; ergo non loquitur de fide Calviniano ſenſu intellecta; hęc enim utpote per Baptiſmum excitanda, non pręcedit, ſed ſequitur Baptiſmum; ergo iterum loquitur Marcus de fide quę prævia ſit ad Baptiſmum diſpoſitio, & qua ſecluſa adultus utpote indiſpoſitus, gratiam percipere non poteſt.

Objic. 3. S. Petrus Epiſt. 1. c. 3. ſic loquitur: *Vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma; non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum*; ergo juſtificat Baptiſmus, non ratione ablutionis, ſed ratione conſcientię bonę, ſeu fidei interioris.

Reſp. neg. conſeq. ſenſus enim obſcuri hujus loci is eſt, Baptiſmum ſalvos facere, non quia corporis ſordes abſtergit, quod unum pręſtare poterant baptiſmata Judęorum, ſed quia mundat ſordes conſcientię, itaut vel jam nihil in anima remaneat quod remordeat conſcientiam, vel anima non vereatur coram Deo ſiſti, & ab eo interrogari; vel demum eadem anima Spiritu ſancto repleta promittat Deo plenum ac totale obſequium: vox enim gręca, quam per *interrogationem* vertit vulgatus Interpres, ſponſionem & promiſſionem ſignificat.

Quod addit ibid. S. Petrus, *Baptiſmum ſalvos facere per reſurrectionem Chriſti*, indicat vel fidem reſurrectionis hujus eſse diſpoſitionem pręrequiſitam in adulto qui ad Baptiſmum accedit; vel Baptiſmum ſuam habere vim a morte Chriſti reſurgentis, ſecundum id Pauli Rom. 4. v. 25. *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram.*

Objic. 4. ex cap. 14. Job, & Lucę 5. Solus Deus peccata mundare & remittere poteſt; ergo non res createę ut ſunt Sacramenta. Unde S. Hieronymus in c. 4. Iſaię, ad hęc Joannis Baptiſtę verba: *Ego vos baptizo in aqua: qui autem poſt me venit, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto*, ſic ait: *Ex quo diſcimus, quod homo aquam tantum tribuat, Deus autem Spiritum ſanctum, quo ſordes animę abluuntur, & ſanguinis peccata purgantur.*

Reſp. ad 1. diſt. ſolus Deus peccata remittere poteſt, ſed ea remittere poteſt vel per ſe, vel ope inſtrumenti, C. & ea neceſsario remittit per ſe ipſum, N. Sic ſolus Deus fidem dare poteſt, & tamen juxta Novatores eam excitat per Sacramenta.

Ad S. Hieronymum, docet is quidem & vere docet, hominem ſi ſolum ſpectetur ſecundum vires naturales, poſse ſolum abluere corpus, & certa proferre verba, quę nihil proſint: ſed non negat S. Doctor eumdem hominem ſecundum potentiam miniſterialem quam accepit a Chriſto, facere rem ſacram, qua tanquam inſtrumentali cauſa utatur Deus, ut hos vel illos in ordine naturali vel ſupernaturali effectus producat.

Inſt. Fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora: atqui poteſt Deus ſine inſtrumentis gratiam conferre; ergo.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. neg. maj. quæ ſi de homine vera eſſe poteſt, falſa eſt de Deo: alioqui male uſus eſt Chriſtus Apoſtolis ad converſionem Orbis, quem utique per ſe ipſum convertere potuit. Fruſtra in Cruce totum ſanguinem fudit, qui unica prece paternam iram ſedaſſet. Fruſtra cæco redditurus viſum, fecit lutum, & caligantibus oculis adhibuit, &c.

Objic. 5. Tertullianus qui Lib. de Pœnit. cap. 6. ſic loquitur de Baptiſmate: *Lavacrum illud obſignatio eſt fidei .·.· non ideo abluimur ut delinquere deſinamus; ſed quia deſiimus, quoniam jam corde loti ſumus*. Unde ſic: Illud non eſt organum efficiens gratiæ, quod fidem juſtitiamque prius receptam ſupponit: atqui ex Tertulliano Baptiſmus, &c.

Reſp. neg. min. generatim intellectam: Baptiſmus enim in infantibus nec fidem nec juſtitiam præſupponit. Unde non vocatur a Tertulliano obſignatio fidei, quia præviam fidem ſigillet, ſed quia nos Deo, cui fidem & obſequium pollicemur, obliget atque aſtringat. Hæc vero verba, *Non ideo abluimur*, &c. ſolum monent adultos, ut nonniſi emendata vita accedant ad Baptiſmum, & loto jam corde, ideſt corde quod priſtina peccata exhorreat atque deteſtetur. Hæc equidem deteſtatio aliquando poteſt eſſe tam intenſa, ut conſequenter ad eam mundetur quis ab omni peccato; ſed habet id ſe per accidens, nec efficitur ſine Baptiſmi voto.

Objic. 6. ex S. Auguſtino Serm. 30. de verbis Domini, *Baptiſma quod ſemel adhibetur, per fidem mundat*. Rurſus ex eodem, Lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Qui dat Spiritum ſanctum*, Deus eſt. *Imo quantus Deus eſt qui dat Deum. Neque enim aliquis diſcipulorum ejus*, Chriſti, *dedit Spiritum ſanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant, non ipſi eum dabant*. Unde ſic: Quod ſolum mundat per fidem, & abſque efficientia hominis, non producit gratiam proxime & immediate: atqui ex S. Auguſtino Baptiſmus, aliaque Sacramenta nonniſi per fidem mundant, & abſque efficientia hominis; alioqui enim daret homo Spiritum ſanctum, quod ita proprium eſt Chriſti ſolius, ut id ne unus quidem diſcipulorum Chriſti fecerit; ergo.

Reſp. neg. min. nam exigit quidem Auguſtinus fidem inſtar diſpoſitionis qua adultus ad juſtificationem ſe præparet, ſed nec eam per Baptiſmi ritum excitari ſupponit, ut ſupponunt Novatores, nec ſignis viſibilibus inſtrumentalem efficaciam abnegat; cum mirabundus quærat, *unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat*. Quod ſi S. Doctor ſigni exterioris efficacitatem non inficiatur, neque etiam inficiatur cauſalitatem Miniſtri. Unde negat quidem Apoſtolos dediſſe Spiritum ſanctum per *miſſionem*, ſicut datur a Filio, ſed non negat eos inſtrumentales fuiſſe cauſas deſcenſus ejuſdem Spiritus ſancti in corda eorum, qui pie diſpoſiti tingebantur. Id autem ut intelligi facile poſſit, ſatis eſt ut attendatur ad ſcopum Auguſtini in textu objecto e Libris de Trinitate, agit hic S. Doctor ut Filii divinitatem hinc probet, quod Filius det ſeu mittat Spiritum ſanctum: unde ſic diſcurrit, Qui Deus eſt, non poteſt mitti niſi a Deo; quia Deus non poteſt mitti niſi ab eo a quo procedit, & non procedit niſi a Deo: atqui Spiritus ſanctus mittitur a Filio; ergo Filius eſt Deus. Sed quia objici poterat & ipſos Chriſti Diſcipulos dediſſe ſeu miſiſſe Spiritum ſanctum, illico reponit Auguſtinus id falſum eſſe;

quia

Digitized by Google

quia mittere ſeu per modum principii ſupremi dare Spiritum ſanctum, nulli competit creaturæ. At non ideo negat Diſcipulis dediſſe Spiritum ſanctum ut cauſas inſtrumentales; cum ſtatim afferat ipſe hæc Act. 8. cap. verba: *Cum autem vidiſſet Simon Magus, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus, obtulit*, &c. Et vero ad illapſum Sancti Spiritus concurrebant ut cauſæ inſtrumentales, quibus orantibus ut deſcenderet, ipſe ſtatim deſcendebat: atqui ex Auguſtino, *orabant* Diſcipuli *ut veniret* Spiritus ſanctus, & veniebat; ergo.

Objic. 7. Si Sacramenta ſint cauſæ efficientes gratiæ, nemo eſt adultus qui per Baptiſmum non regeneretur: atqui falſum conſequens; ergo.

Reſp. neg. maj. *Qui crediderit*, ait Chriſtus, *& baptizatus fuerit, ſalvabitur*; ergo quædam neceſſariæ ſunt diſpoſitiones, ut quis regeneretur.

Inſt. Cum Vendelino Calviniſta: Si defectus diſpoſitionum impediat regenerationem, efficacior erit improbitas adulti baptizati, quam Spiritus regenerantis gratia: id porro abſurdum eſt.

Reſp. diſt. maj. efficacior erit improbitas adulti, quam gratia Spiritus, ſecundum totam ſuam poteſtatem non operantis, C. ſecus, N. Utraque diſtinctionis pars Scripturæ congruit. Si enim dictum eſt, *Emitte Spiritum tuum, & renovabis faciem terræ*, dictum eſt etiam, *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis*. Alias quæ hic proponi paſſent difficultates excutiemus Sectione ſequenti.

SECTIO SECUNDA.

Qualem Sacramenta producant gratiam.

Suppono ex dicendis ubi de Juſtificatione gratiam quam pariunt Sacramenta eſſe intrinſecam animæ & habitualem. Suppono iterum ex dictis gratiam vel eſſe primam vel ſecundam; Sacramenta item vel vivorum eſſe vel mortuorum. Hic ergo expendendum 1. quæ Sacramenta gratiam primam conferant, quæ ſecundam; 2. in quo ſita ſit gratia ſacramentalis; 3. an hæc pari recipiatur menſura ab iis qui æque vel inæqualiter diſpoſiti accedunt ad Sacramenta. Sit

CONCLUSIO I. Sacramenta mortuorum, per ſe & primario gratiam primam producunt; & per accidens ſecundam.

Prob. 1. pars: Sacramenta mortuorum, Baptiſmus ſcilicet & Pœnitentia, eam per ſe & primario gratiam producunt, ad quam conferendam inſtituta fuere a Chriſto: atqui Sacramenta mortuorum inſtituta fuere ad producendam gratiam primam. Primario enim inſtituta fuere ad delendum peccatum mortale, ſeu ad mortuos ſpirituales ſpiritualiter vivificandos; Baptiſmus quidem regenerando ſpiritualiter, Pœnitentia autem ſpiritualiter reſuſcitando; ergo.

Confirm. quia ſi Baptiſmus & Pœnitentia gratiam ſecundam parerent per ſe, uti poſt Ochamum ſentire perhibentur Nominales, nemo ad ea rite accedere poſſet, niſi jam per contritionem perfectam juſtificatus: atqui id dici non poteſt. Alioqui enim longe difficilior eſſet juſtificatio in nova Lege, quam fuerit in antiqua; quia ad juſtificationem in antiqua Lege ſatis fuiſſet perfecta contritio; quæ inſuper in nova requiret

Digitized by Google

ret ſuſceptionem Sacramenti ardui & difficilis, qualis eſt pœnitentia, eique annexa peccatorum confeſſio; ergo.

Prob. 2. pars: quia non raro contingit ut pœnitens vel perfecte conteratur ante ſuſceptionem Sacramenti, vel venialia tantum, aut mortalia jam remiſſa confiteatur; ſicque prima jam gratia donatus ſit, cum accedit ad Sacramentum: atqui tunc pœnitens ſecundam gratiam neceſſario recipit. Vel enim ſecundam, vel nullam recipit: atqui poſtremum hoc dici non poteſt; cum ex Tridentino Sacramenta gratiam conferant non ponentibus obicem; & obicem non ponat, ſed econtra, qui charitate perfecta inſtructus accedit. Idem ſervata proportione dicendum de Baptiſmo, quem ſuſciperet adultus eadem ſuccenſus dilectione, quam in Pœnitente noſtro ſuppoſuimus.

An autem ut ſecundam gratiam Sacramenta mortuorum, ſic & per accidens primam Sacramenta vivorum pariant, prout cum S. Thoma hic q. 79. cenſent non pauci, expendemus potiſſimum ubi de Euchariſtia & Extrema Unctione.

Conclusio II. Singula Sacramenta gratiam ſacramentalem, ſeu uniuſcujuſque Sacramenti propriam producunt: hæc vero gratia eſt ipſamet gratia ſanctificans, prout annexum habet jus ad gratias actuales, quibus Sacramenti finis obtineri poſſit.

Prob. 1. pars, 1. ex Tertulliano qui Lib. de reſurrect. carnis c. 8. ſic loquitur: *Caro abluitur, ut anima emaculetur. Caro ungitur, ut anima conſecretur. Caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur. Caro corpore Chriſti veſcitur, ut anima de Deo ſaginetur.* Unde ſic: Ea Sacramenta propriam pariunt gratiam, quorum alia animam mundant a peccato, alia eamdem conſecrant, alia illuminant, aut ſaginant de ipſo Deo: atqui ex Tertulliano, Sacramentorum alia animam mundant, alia mundatam conſecrant Deo, &c.

Prob. 2. Quæ ordinantur ut media ad fines diverſos, ea juxta ſuavem providentiæ viam differre debent, prout differunt fines: atqui gratiæ ſacramentales ad fines longe diverſos ordinantur ut media. Sic v.g. Baptiſmus, ac proinde fluens a Baptiſmo gratia, ordinatur ad vitam catholice peragendam; Confirmatio ad tuendam fidem cum ipſius vitæ diſpendio; Euchariſtia ad fovendam charitatem, ad victoriam tentationum, ad fugam peccati etiam levioris; Pœnitentia ad majus odium peccati, ejuſque debitam expiationem; Unctio Extrema ad robur contra impatientiam, &, quæ tunc efficaciores imminent, diaboli inſidias; Ordo ad obeunda pie ac religioſe divini miniſterii officia; Matrimonium denique ad caſtam filiorum procreationem, educationemque ſanctam; ad mutuam conjugum fidem, ad ferenda conſtanter communis jugi onera; ergo.

Prob. 3. tum quia alioqui eadem eſſet gratia ſacræ ordinationis, quæ conjugii; tum quia Sacramenta nonniſi materialiter & penes ritum alia ab aliis differrent; tum quia haud neceſſum fuiſſet ut ſeptem inſtituerentur a Chriſto; quandoquidem in uno percipi potuiſſet quidquid in aliis percipitur gratiæ.

Prob. 2. pars: Vel gratia ſacramentalis idem eſt ac gratia ſanctificans, una cum jure ad gratias actuales cum opus fuerit recipiendas, vel

vel eſt habitus alter ab eadem gratia ſanctificante diſtinctus, ut contendunt adverſarii: atqui habitus ille novus & gratis admittitur & fruſtra. Gratis quidem, quia ſine probatione; fruſtra vero, quia gratia ſanctificans a Sacramento producta, una cum jure ad actuales gratias quibus indiguerit homo, plane ſufficit ad obtinendum Sacramenti effectum. Ut enim obtineri poſſit Sacramenti effectus, ſatis eſt ut fidelis homo & habitu ad effectum ſupernaturalem ordinato, & gratiis ad eumdem effectum diſponentibus inſtruatur: atqui in ſyſtemate noſtro inſtructus eſt homo fidelis & habitu ad effectum ſupernaturalem Sacramenti proprium ordinato, & tempore ſuo actuales recipit gratias, quibus effectum hunc habere valeat; ergo.

Objic. 1. Si gratia ſacramentalis ſit idem habitus cum gratia ſanctificante, gratia unius Sacramenti non differret a gratia alterius: atqui falſum conſequens; ut patet ex prima Concluſionis parte.

Reſp. diſt. maj. non differret ſpecie phyſica, C. ſpecie morali, N. Itaque ubi unus ſupponitur habitus, ibi non ſunt extrema duo quæ phyſice differant. At quæ phyſice non differunt, moraliter differre poſſunt, & differunt de facto cum jura tribuunt diverſa: porro gratia ſanctificans prout oritur verb. grat. a Confirmatione jus tribuit diverſum ab eo quod dat eadem gratia, prout oritur a Baptiſmo. Hęc enim nacta eſt fomitem mitigare, ne concupiſcentia noceat; illa confert robur, *ne Chriſti opprobria Chriſtianus erubeſcat*, ſed nomen ipſius audacter confiteatur. Adde quod habitus gratiæ baptiſmalis in Confirmatione intendatur: habitus autem remiſſi & intenſi, licet non differant phyſice; quia magis & minus non mutant ſpeciem phyſicam, differunt tamen moraliter, cum ad diverſos tendunt effectus.

Auguſt. in Pſ. 30.

Objic. 2. Cum Sacramenta fines habeant longe diverſos, debent & effectus valde diverſos habere: atqui unus idemque gratiæ ſanctificantis habitus ad tot diverſos effectus ſufficere non poteſt; ergo.

Reſp. diſt. min. unus idemque habitus nude & ſolitarie ſumptus, non poteſt ſufficere, C. junctus cum jure ad gratias actuales ad finis effectuſque conſecutionem neceſſarias, N.

Inſt. 1. Vel actuales illæ gratiæ una cum Sacramento conferuntur, vel non: quidquid dixeris, erit contra te.

Reſp. jus ad actuales gratias una cum Sacramento conferri; gratias vero non conferri niſi tempore & loco debitis. Fieri enim poteſt, ut qui actu Confirmatione inſignitur, nullo actu contra fidem tentationi exponatur, at deinceps gravi ejuſdem abnegandæ periculo ſubjaceat.

Hinc patet infantem qui nondum adepto rationis uſu moritur; proindeque antequam actualis gratiæ capax ſit, non recipere completum Sacramenti effectum.

Inſt. 2. Ideo juxta nos darentur vi Sacramenti actuales gratiæ tempore & loco debitis, quia his indigeret homo verb. grat. ad profitendam conſtanter fidem in tempore perſecutionis: atqui hiſce gratiis non indiget homo. Qui enim per conſueta, quæ Deus nulli præſertim juſto denegat auxilia, fidem confiteri poteſt, non indiget gratia ſacramentali qua eamdem confiteri valeat: atqui poteſt homo per auxilia conſueta fidem confiteri; eamque de facto ad extremos uſque habi-

Digitized by Google

habitus confeſſi ſunt innumeri martyres, qui ne baptizati quidem erant, nedum confirmati eſſent; ergo.

Reſp. ad 1. diſt. min. non indiget homo his gratiis abſolute, C. non indiget ſecundum quid, & ad fidem certius digniuſque confitendam, N.

Ad 2. diſt. pariter min. poteſt homo per conſueta gratiæ auxilia fidem confiteri, nec poteſt tam certo, tamque facile, de via communi, C. ſecus, N. Gratia enim ſacramentalis & uberior eſt, & ſpecialior: unde dubio procul contra fidem peccant innumeri, qui ſcopulorum inſtar firmi manſiſſent, niſi oblatam ſibi in Sacramento Confirmationis gratiam recipere neglexiſſent. Et quamvis non ita Sacramentis alligatus ſit Deus, quin de via extraordinaria per ſeipſum conferre poſſit uberes gratias, quas per Sacramenta conferre ſolet, certo videtur conſtare ſpeciales id genus gratias iis ſolum impendi, qui in voto Sacramenta a quibus ex pendent, recipiunt; vel, quod in idem recidere poteſt, ingemunt quod eadem tempore ſuo recipere neglexerint.

Inſt. 3. Vel gratiæ quæ intuitu Sacramenti reciperentur, eſſent efficaces, vel non: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. alioqui eorum qui Sacramentum Confirmationis recepiſſent, nemo excideret a fide; quod experientiæ repugnat. Non 2. ad quid enim gratia quæ nihil addit gratiis ceteris, quibus juxta communem providentiæ uſum homo etiam ſine Sacramentis inſtrui ſolet?

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. dico Sacramentorum gratiam in genere eſſe uberiorem, certioremque gratia non ſacramentali; haud tamen ſemper eſſe efficacem, quia ut & alia quælibet ſuo per hominis reſiſtentiam effectu privari poteſt, & ſæpe privatur.

Adde quod qui recepta v. g. Confirmatione peccant contra fidem, plerumque nihil ſervent juris ad gratiam Sacramenti; quia jus illud per præcedentia peccata amiſere. Nempe vero gratia ſacramentalis iis ſolum debetur; qui receptioni ejus obicem non ponunt: porro obicem ponunt, qui abjecto Deo vertunt ſe ad creaturam. Imo, ait Edmundus Simonet Tom. 7. p. 99. obex huic gratiæ apponitur *non ſolum propter mortale peccatum, ſed etiam propter leves culpas, omnino deliberatas & frequentes, propter nimiam animi evagationem voluntariam, propter nimiam rerum temporalium, & aliarum ad cultum Dei non pertinentium ſollicitudinem*. Hac de cauſa tot videre eſt Sacerdotes, qui quo pluries ſacra faciunt, eo videntur fieri tepidiores, donec diabolico quodam miraculo, ſenſim inter Euchariſtiæ ignes frigeſcant.

Quemadmodum autem juſtum eſt, ut qui ab habituali gratia excidit, excidat a jure ad actuales Sacramenti gratias, quia ſublato primario effectu effectum ſecundarium tolli convenit; ſic & divinæ bonitati congruum videtur, ut redeunte per pœnitentiam habituali gratia, redeat etiam jus ad gratias actuales: quod intelligo ſecundum ea quæ diximus agendo de reviviſcentia Sacramentorum.

Objic. 3. Gratia nulla homini debita eſſe poteſt: atqui debita eſſet gratia ad quam homo jus haberet; ergo.

Reſp. diſt. maj. gratia nulla homini debita eſſe poteſt titulo juſtitiæ rigoroſæ, quia tunc non eſſet gratia, utpote quæ non eſſet gratuita, C. titulo

titulo divinæ benignitatis, quæ certa certis Sacramentis jura miſericorditer allegavit, & tales ritus ad tales effectus acceptare dignata eſt, N.

Quæres an Sacramenta in voto producant gratiam ſacramentalem.

Not. Sacramentum in voto nihil eſt aliud quam ipſum Sacramenti realiter ſuſcipiendi deſiderium; & iſtud quidem vel explicitum eſt & formale, vel implicitum ſeu virtuale. Explicitum quidem cum quis actu expreſſo realem Sacramenti receptionem deſiderat; ſeu actu requiſitas ad legitimam ſuſceptionem diſpoſitiones habet, ſeu non, puta quia etiamnum lethali peccato adhæret. Implicitum vero cum quis etſi de Sacramento non cogitat hic & nunc, facit & vult id omne quod ad plenam ſui juſtificationem neceſſarium eſt, ut ſi perfecte de peccatis conteratur, aut genuinum amoris Dei ſuper omnia actum eliciat: qui enim alterutrum facit, cenſetur velle id omne quod ad obtinendam ſalutem neceſſarium eſt. Hinc Tridentinum Seſs. 14. c. 4. *Etſi*, inquit, *contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc* Pœnitentiæ *Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam.* Jam ad propoſitum.

Reſp votum Sacramenti non conferre gratiam ſacramentalem, quaſi actu & de facto ſuſceptum eſſet Sacramentum, adeoque juſtificare ſolum ex opere operantis. Ratio eſt 1. quia nulla eſt ratio cur Sacramenta in voto potius conferant gratiam ſacramentalem, quam characterem imprimant: atqui hunc non imprimunt; alioqui non magis baptizari poſſet, qui ſincerum habuiſſet votum Baptiſmi, quam qui jam rebaptizatus fuiſſet; 2. quia ſi Sacramentum in voto pareret gratiam ſacramentalem, poſſet bis & tertio effectum ſuum producere; quoties nempe ardens ejus deſiderium cum charitate perfecta haberetur, ac deinceps cum reciperetur de facto; 3. quia gratia ſacramentalis nonniſi operi operato reſpondet: atqui in voto Baptiſmi v.g. nullum eſt opus niſi operantis; 4. quia, ut notat Boudartius hic p.81. Sacramenta mortuorum re ſuſcepta ex attrito faciunt contritum, adeoque ſi his in voto ſuſceptis reſponderet Sacramentalis effectus, conferrent gratiam tantum attritis, quod nec dici poteſt, nec a quopiam dicitur.

Abſit tamen ut ſterile ſit Sacramenti votum, quia licet vi ipſius non conferatur Sacramentalis gratia, confertur tamen juſtificatio, ejuſque appendices actuales gratiæ: unde quod deeſt ex parte Sacramenti, compenſatur ex parte Dei: atque hinc Tridentinum, alludens forte ad id Auguſtini in cap. 6. Joan. *Crede & manducaſti*, ait Seſs. 13. c. 8. *illos, qui voto cæleſtem panem* edunt *fide viva quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem* ſentire; quatenus ex opere operantis habitualem vitam recipiunt, ei æquivalentem qua donantur qui reipſa ad cæleſtem menſam accedunt. Quapropter præſens quæſtio, ſi cujus, at modicæ eſt utilitatis.

Idem & melius de ea dixeris, quam movent otioſi quidam ſpeculatores, an ſcilicet Sacramenta gratiam producant in ultimo ſui eſſe, an in primo ſui non eſſe. Nobis ſcire ſufficiat Sacramenta, quæ in actu tranſeunte conſiſtunt, tunc operari cum completa ſunt ratione materiæ & formæ, ſeu hæc illam præcedat aut ſequatur. An Euchariſtia, quæ

ſola

ſola eſt Sacramentum permanens, non ante operetur, quam completa ſit ejus manducatio, alibi expendemus.

Conclusio III. Sacramenta ſolo numero diſtincta, ut duo Baptiſmi, æqualem in ſubjectis æque diſpoſitis, inæqualem vero in ſubjectis inæqualiter diſpoſitis gratiam producunt. Sacramenta vero ſpecie diſtincta, ut Euchariſtia & Baptiſmus inæqualem.

Probantur 1. & 2. pars, quam expreſſe tradit Angelicus Doctor 3. p. q. 69. art. 8. quia Sacramentum quodlibet de lege communi operatur ut cauſa naturalis; atqui cauſa naturalis æqualem in ſubjectis æque diſpoſitis, diſparem vero in iis quæ diſpari modo diſpoſita ſunt effectum producit. Sic duo ejuſdem menſuræ ignes eumdem in duobus ejuſdem prorſus naturæ lignis calorem; diverſum vero in lignis quorum ſiccius aliud, aliud minus ſiccum fuerit, indubie producunt; ergo.

Confirm. ex Tridentino juxta quod recipit unuſquiſque per Baptiſmum juſtitiam *ſecundum propriam* ſuam *diſpoſitionem*; ergo qui cum majori diſpoſitione abluitur, plus juſtitiæ, qui cum minori, minus recipit, ac proinde æqualem qui cum æquali. *Seſſ. 6. c. 7.*

Prob. 3. pars: Sacramenta quo ſunt in ſeipſis excellentiora, eo potiores effectus parere debent; atqui ex Sacramentis ſpecie diſtinctis alia aliis ſunt excellentiora. Minor patet ex Tridentino Seſs. 7. Can. 3. ubi ſic: *Si quis dixerit hæc ſeptem Sacramenta inter ſe ita eſſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius; anathema ſit*. Et vero tametſi hominum non eſt dignitatem Sacramentorum metiri, quis neget Euchariſtiam quid eſſe Unctione Extrema vel ipſo Baptiſmo præſtantius? Quis Ordinis Sacramentum facile non præponat Matrimonio? Utut eſt ſi majorem confert Euchariſtia gratiam, quam Baptiſmus, id etiam præ Euchariſtia habet Baptiſmus, quod, niſi ſit obex, totam cum culpa pœnam remittat.

Objic. contra 1. part. 1. cum Paludano, Infantes qui poſt receptum Baptiſma moriuntur, Angelorum lapſorum ruinas implere debent, ac proinde eorum alii plus recipient gloriæ, quam alii, prout nobilioris aut nobilis minus Angeli ſedem invadent; atqui decet ut plus receperint gratiæ, qui plus habituri ſunt gloriæ; ergo infantium alii plus gratiæ recipiunt, quam alii, &c.

Reſp. totum id a nobis ſponte conceſſum iri, ſtatim ut probaverit Paludanus infantes deſtinatos eſſe ſeu implendis ſimpliciter, ſeu implendis inæqualium Angelorum ruinis. Quamquam ſi res ita foret major in uno quam in alio exceſſus gratiæ, non tam Baptiſmo, quam divinæ benevolentiæ tribuendus foret; uti notat ſubtilis Doctor in 4. diſt. 4. quæſt. 7. num. 3.

Objic. 2. Tridentinum cit. cap. 7. Seſs. 6. docet juſtitiam ſingulis concedi prout vult Spiritus Sanctus: atqui gratia quæ datur prout vult Spiritus Sanctus, non datur æqualiter; quia Spiritus & ſpirat ubi vult, & quomodo vult; ergo.

Reſp. diſt. min. non datur æqualiter, cum Spiritus Sanctus non vult eam dari æqualiter, C. ſecus, N. Porro quod ſaltem de via ordinaria baptiſmalem gratiam æqualiter dari velit Spiritus iis qui æqualiter diſpoſiti ſunt, inæqualiter vero iis qui ſunt inæqualiter diſpoſiti, docet ibid.

Tri-

Digitized by Google

Tridentinum, cum ait gratiam ab unoquoque ſecundum propriam ejus diſpoſitionem recipi.

Objic. 3. Saltem Sacramenta quæ a ſanctioribus conferuntur Miniſtris, plus tribuunt gratiæ, ut docet Sanctus Thomas 3. p. quæſt. 64. art. 1. ad 2. ergo generaliter loquendo falſum eſt parem æque diſpoſitis gratiam conferri.

Reſp. diſt. ant. plus tribuunt gratiæ ſi ſubjectum inveniunt magis diſpoſitum, C. ſi æque diſpoſitum inveniant, ut ſunt infantes, ſubd. plus tribuunt gratiæ ideſt impetrant gratiam actualem ſuo tempore conferendam, C. plus tribuunt gratiæ ſacramentalis, N. Itaque fieri aliquando poteſt, prout notat Silvius ibid. art. 5. ut Miniſter & aſtantes juſti orationibus & devotione ſua bonum aliquem motum ſuſcipienti impetrent, quo is dæmonis inſidias amoveat, ſeque ad uberiorem in Sacramento gratiam recipiendam præparet; tunc autem major hęc gratia, non ęque diſpoſito, ſed melius diſpoſito tribuetur. Quod ſi par ſit, ut eſt in infantibus, ſubjectorum diſpoſitio, par etiam erit gratia ſacramentalis, licet eorum alter plures impoſterum gratias recipere poſſit, ob preces in ſui gratiam factas ſeu a pio Miniſtro, ſeu a piis parentibus. Atque id & non aliud in objecto loco docet S. Thomas, ubi ſic habet: *Effectus Sacramentorum non datur melior per meliorem Miniſtrum. Aliquid tamen annexum*, ſeu actualis quędam gratia *impetrari poteſt recipienti Sacramentum, per devotionem Miniſtri; nec tamen Miniſter illud operatur, ſed impetrat operandum a Deo.*

P. 216. Objic. 4. Quę operantur quantum poſſunt, ęqualem ſemper operantur effectum: atqui Sacramenta operantur quantum poſſunt. Quę enim operantur ut cauſę naturales, operantur quantum poſſunt: atqui, &c.

Reſp. diſt. min. Sacramenta operantur quantum poſſunt, ſed habita ratione ſubjecti, C. quantum poſſunt ſimpliciter, & nulla habita ratione diſpoſitionum ſubjecti, N. Sicut igitur ignes duo ejuſdem gradus, etſi agant quantum hic & nunc poſſunt, haud tamen eumdem pariunt effectum in ſubjectis plane diſparibus; ſic Baptiſmi duo quorum alter fervidę charitatis viro, alter homini tantum non extinctę virtutis homini confertur effectus longe diſcrepantes parere debent.

Ex his colliges, 1. iis qui crebro accedunt ad Sacramenta enixe curandum, ut quo puriori poterunt oleo animę ſuę lampadem inſtruant; perſuaſi ſcilicet ſe quo ſanctiores convivii demum ingreſſi fuerint, eo longe ſanctiores receſſuros eſſe. Qui vero poſt geminata Sacramenta ſemet ſui ſimillimum ſemper eſſe detegit, vereatur improperium iſtud: *Amice qu modo huc intraſti non habens veſtem nuptialem?* Matth. 22.

Colliges 2. poſſe aliquando Sacramentum nobilius parciorem edere effectum, quam minus nobile, ſi hoc ab homine longe plus diſpoſito recipi contingat. Neque id mirum, quia cum juſtitia ſit omnium Sacramentorum finis, poteſt hęc ab interiori Sacramento piiſſime recepto plenior produci, quam a digniori multo remiſſius ſuſcepto: qua ferme ratione ſol, etſi terreno igne pręſtantior, minus quandoque calefacit.

Colliges 3. adultum, qui cum aliquo ad peccatum veniale affectu baptizatur, plus adhuc recipere gratię, quam recipiat parvulus; quia adultus qui credet, ſperat, & lethalia ſua peccata deteſtatur, pias habet diſpo-

diſpoſitiones, quæ deſunt infanti. Caret is quidem veniali noxa quam habet alter; ſed noxa hæc, cum gratiæ infuſioni non obſtet, nec ejuſdem intentioni penitus obſiſtere debet.

SECTIO TERTIA.

De modo quo Sacramenta gratiam producunt.

DUo hic nobis inveſtiganda, 1. an Sacramenta novæ Legis, quæ ſola ſcrutamur in præſenti, gratiam producant ex opere operantis, an ex opere operato; 2. an ſi ex opere operato, eamdem producant phyſice an moraliter. Agendum in primis ut accuratæ terminorum definitiones inſtituantur. Itaque

Gratia bifariam produci poteſt, nimirum ex opere operantis, & ex opere operato. Gratia dicitur produci ex opere operantis, cum datur propter meritum congruum vel condignum ſeu Miniſtri ſeu ſuſcipientis. Gratia vero confertur ex opere operato, cum datur vi & efficacia operis externi a Chriſto inſtituti & ſubjecto debite applicati; idque independenter ab omni actu ſeu Miniſtri ſeu ſuſcipientis tanquam meritorio gratiæ quæ confertur.

Dixi, independenter ab omni actu *tanquam meritorio;* quia etſi negant Catholici omnes gratiam ſacramentalem conferri propter actus ſuſcipientis tanquam meritorios, aut tanquam cauſas gratiæ ejuſdem efficientes; non negant tamen, imo diſerte docent, quidquid turpiter calumnientur heterodoxi, prædictos actus requiri tanquam diſpoſitiones ſine quibus non confertur adultis gratia. Unde ajunt diſpoſitiones illas eo ferme modo ſe habere ad efficientiam Sacramentorum, ſicut extinctæ facis ad accenſam facem approximatio habet ſe ad accenſionem ejuſdem facis. Quemadmodum enim extincta fax nihil virtutis confert accenſæ faci, nec tamen accendi ab iſta poteſt, niſi & ad eam admoveatur, & idonea ſit quæ flammam concipiat; ſic Sacramenta & totam a ſeipſis, ſeu a divina inſtitutione vim ſuam habent, & nullam mutuantur a ſuſcipiente, & tamen nihil niſi in ſubjecto rite diſpoſito operari poſſunt. Exclament igitur cum Calvino Novatores, *Catholicorum ſententiam exitialem eſſe, peſtilentem ac diabolicam, dum juſtitiam ſine fide pollicetur*, rideri merebuntur, non confutari, niſi his forte Tridentini Concilii verbis Seſs. 14. de Pœnit. c. 4. *Falſo quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre, quod nunquam Eccleſia Dei docuit nec ſenſit.* *L. 4. Inſt. c. 14. §. 14.*

Imo non deſunt qui exiſtiment Proteſtantes & Pſeudoreformatos re minus a Catholicis differre, quam differant verbis. Ecquid enim aliud quam vim agendi ex opere operato indicant hæc Ludovici le Blanc in Theſibus ſuis Sedanenſibus verba: *Ex nullo pacto tenetur Deus verbum* ſeu prædicationem *virtute ſui Spiritus comitari, ut fidem in illis potius quam in illis creet; Sacramentis autem ex certa pactione adeſt virtus divina, per quam gratiam quamdam ſalutarem communicant omnibus illis, qui ſecundum ordinem a Deo poſitum illa participent.* Profecto quæ ex pactione divina divinam habent vim producendæ gratiæ in iis omnibus a quibus

ordinate participantur, vim habent juſtificandi ex opere operato. Concinunt verba hæc Bechmanni Lutherani pag. mihi 946. *Noſtra, eaque vera ſententia eſt, Baptiſmum per elevationem & concurſum Dei, eſſe efficax organon regenerationis, fidei .·. non vero nullum ſignum ea tantum ſignificans, nihil vero conferens;* prout, inquit inferius, dicunt Calviniani, *quamvis non omnes idem ſentiant.* Idem, & apertius ſi poteſt, aſtruit M. Antonius de Dominis ex Spalatenſi Archiepiſcopo apoſtata: ſic ille Lib. 5. de Republ. Chriſtian. c. 4. *Iſte ſit Eccleſiæ Catholicæ, etiam puræ & incorruptæ ſenſus perpetuus; Sacramenta nempe gratiam ex opere operato, hoc eſt, ex ſe, & non ex merito ſuſcipientis contuliſſe.*

Eæ tamen locutiones, quæ Catholicam ſpirare fidem videntur, pluribus ſuſpectæ ſunt Catholicis, Bellarmino præſertim Lib. 2. de Sacramentis in genere, c. 2. & Tournelyo ibid. p. 137. quia, inquiunt, ſi penitius inſpiciatur ſyſtema Novatorum, totam Sacramentorum efficientiam eo reducere videbuntur, ut excitent fidem, qua ſecluſa non confertur juſtificatio. Fatendum tamen non videri ſyſtema iſtud Novatoribus omnibus ex æquo attribuendum; nec jam eos inter & Catholicos tantum fore diſcrimen, ſi agnoſcerent Sacramenta virtute ſibi indita a Chriſto parere fidem & ex fide juſtitiam. Utut eſt de præciſa Pſeudoreformatorum opinione, quæ propter æternas ipſorum contradictiones vix poteſt capi, ſit

CONCLUSIO I. Sacramenta producunt gratiam ex opere operato. Eſt de fide, ut patet ex Seſſ. 7. Concilii Tridentini Can. 8. ubi ſic ſtatuitur: *Si quis dixerit per ipſa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam .·. anathema ſit.*

Prob. 1. ex Scriptura. Epheſ. 5. v. 26. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Joan. 1. *Ego*, ait Præcurſor, *baptizo vos in aqua, ille* Chriſtus *vos baptizabit in Spiritu ſancto.* I. Petri 3. *Salvos nos fecit Baptiſma.* Quibus conſonant alii quos paſſim citavimus textus, præſertim Sectione præcedenti. Unde ſic: Ut Sacramenta effectus ſuos ex opere operato parere cenſeantur, duo ſufficiunt, 1. ut textus qui vim Sacramentorum indicant, in ſenſu litterali exprimant virtutem agendi ex opere operato; 2. ut iidem textus in ſenſu litterali intelligi debeant: atqui utrumque conſtat. Primum quidem vel ex ipſis terminis liquet. Sicut enim cum in Scripturis dicitur ſol illuminare montes, & vinum lætificare cor hominis; ii effectus ab utraque cauſa ex opere operato, ſeu ex indita iiſdem cauſis virtute produci cenſentur; ſic cum aqua mundare, regenerare, ſalvum facere dicitur, id, niſi quid obſit, ex virtute ſibi indita facere cenſenda eſt; 2. iidem textus in ſenſu litterali accipi debent. Debet enim Scriptura litteraliter explicari, quoties nihil eſt quod exigat eam ad metaphoricos ſenſus detorqueri, prout docent omnes cum Auguſtino: atqui nihil eſt quod exigat ut citati Scripturæ textus ad ſenſus metaphoricos detorqueantur. Si quid enim exigat ut prædicti textus ad metaphoram detorqueantur, utique vel quia repugnat ut Deus regenerandi vim alligaverit ſignis ſenſibilibus; vel quia litteralis eorumdem textuum intellectio repugnet aliis Scripturæ aut Traditionis textibus: atqui neque repugnat ut Deus vim regenerandi

attri-

attribuat ſignis ſenſibilibus: cum qui per ſe juſtificare poteſt, per quodcumque inſtrumentum juſtificare poſſit: neque ullus afferri poteſt Scripturæ aut Traditionis textus, qui ſenſum litteralem excludat, ut patebit ex ſolutione objectionum; ergo.

Confirm. Vel Baptiſmus Chriſti operatur ex opere operato, vel ex opere operantis: atqui non operatur ex opere operantis. Nam ex citato Joannis textu, ſummum erat inter Præcurſoris & Domini Baptiſmata diſcrimen, quantum ſcilicet inter Baptiſmum aquæ, & Baptiſmum Spiritus ſancti: atqui ſi Chriſti Baptiſmus nonniſi ex opere operantis juſtificabat, non ſtabat, ſed maxima ſui parte evaneſcebat diſcrimen illud. Quia ſcilicet & ipſe Præcurſoris Baptiſmus ex opere operantis juſtificare poterat, & *a ventura ira* ſalvare, ut dicitur Luc. 3. nec dubium eſt quin Præcurſor vividius aliquando fidem excitaverit, quam Magiſter, qui paucos admodum convertit: ergo.

Prob. 2. Producere gratiam ex opere operato, eſt eam producere independenter a merito tum Miniſtri tum ſuſcipientis: atqui Baptiſmus gratiam hoc modo producit. Nam vere regenerantur infantes a Miniſtris etiam hæreticis abluti: atqui regenerantur independenter a quocumque vel recipientis vel Miniſtri merito: & ſine ulla utriuſque diſpoſitione, quæ gratiam allicere poſſit. Unde Auguſtinus Lib. 4. contra Creſconium c. 16. *Non eorum*, inquit, *meritis a quibus miniſtratur, nec eorum quibus miniſtratur conſtat Baptiſmus, ſed propria ſanctitate atque veritate propter eum a quo inſtitutus eſt.*

Prob. 3. Sacramenta juxta Patres ſtupendo & ineffabili modo operantur: atqui ſi ex ſolo operantis opere juſtificarent, jam nihil ſtupendi, nihil inſoliti occurreret in eorum operandi modo. Minor patet, quia nihil mirum eſt, quod quis per opera bona gradum ſibi faciat ad juſtificationem: cum hæc ſolita ſit & familiaris providentiæ agendi ratio. Prob. itaque major ex Patribus: S. Gregorius Nyſſen. Orat. de Baptiſmo; poſtulanti quo pacto regeneret baptiſmalis aqua, reſpondet: *Oſtende mihi modum nativitatis quæ fit ſecundum carnem; & ego tibi vim regenerationis quæ ſecundum animam fit, exponam .'.' ubique divina vis & efficacia incomprehenſibilis, nullaque vel ratione, vel arte explorari poteſt.* S. Auguſtinus, citato toties Tract. 80. in Joan. exclamat attonitus: *Unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat & cor abluat?* Idem Lib. 19. contra Fauſtum, cap. 11. *Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta ſacrilegos facit; impie quippe contemnitur, ſine qua non poteſt perfici pietas;* ergo.

Objic. 1. ex citatis Scripturæ textibus nihil ad aſtruendam Sacramentorum efficacitatem colligi poteſt, ſi eorum aliqui metaphorice intelligi debeant; alii vero nonniſi opus operantis indicent: atqui citatorum textuum alii intelligi debent metaphorice, cur enim verbum, *mundans in aqua*, magis litteraliter explicari debeat, quam verbum iſtud, *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto* ET IGNE? alii vero nonniſi opus operantis indicant: an enim verba hęc, *mundans in aqua*, plus exprimunt efficacię quam iſta Rom. 1. *Evangelium virtus Dei eſt in ſalutem omni credenti?* & tamen Evangelium nonniſi ex opere operantis prodeſt; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 1. 2. dico 1. haud neceſſum eſſe ut verba hęc

in igne metaphorice intelligantur, cum certum ſit Apoſtolos ſacra Pentecoſtes die in igne fuiſſe baptizatos, & innumeris cumulatos donis, quę recenſentur Act. 2. Dico 2. eſſe cur vox *in igne* metaphorice ſumatur, non vox *in aqua*; quia familiare eſt ut homo in aqua baptizetur non in igne. Hinc ſemper adhibuit Eccleſia aquam ad regenerationem, ignem vero nunquam. Et certe, ſi vox *aqua*, cum de Baptiſmo agitur, ſumatur metaphorice Joan. 3. prout Calvino placet, pari ratione dici poterit eam ubicumque de eodem Sacramento ſermo eſt, ſumi metaphorice. Id autem ſi ſemel admiſſum fuerit, unde tandem probabitur, quod nobiſcum admittant Novatores, aquam eſſe materiam Baptiſmi.

Ad 2. 2. per Evangelium quod Dei virtus eſſe dicitur, non debet intelligi ille tantum ſonus qui fidem excitat, & credenda proponit, ſed tota Chriſti lex, quæ univerſaliter ſumpta & gratiam & Sacramenta gratiæ cauſas includit, & per eadem Sacramenta eſt Dei virtus. Unde quod ait objecto Evangelium nonniſi ex opere operantis juſtificare, plane falſum eſt. Et vero juſtificantur infantes per virtutem verbi Evangelici, ut docet S. Auguſtinus: atqui tamen non juſtificantur ex opere operantis; ergo.

Objic. 2. Si Sacramenta ex opere operato juſtificent, poterit quis credere per ſe aquam mundari: atqui falſum conſequens ex Auguſtino. Sic ille in qq. veteris & novi Teſtamenti, q. 59. *Nec cœleſte donum poterit conſequi, qui ſe per aquam non per fidem mundari credit.*

Reſp. ad 1. neg. min. qui enim ſe in aquę lavacro tanquam per cauſam inſtrumentalem mundari credit, id unum credit quod didicit a Scriptura.

Ad 2. notat Bellarminus objectas in vetus & novum Teſtamentum quæſtiones non eſſe Auguſtini, ſed hæretici alicujus, cui, ut ceteros prętermittam errores, viſum fuit Melchiſedech non fuiſſe hominem, ſed Spiritum ſanctum. Hinc nulla hujus Operis mentio vel in Indice Poſſidii, vel in Auguſtini Retractationibus.

Neque tamen objecta verba benignam fugiunt interpretationem: neque enim credere debet adultus quiſpiam ſe per nudam aquam mundari, ſed per aquam cum fide Trinitatis conjunctam, vel per aquam quę ad Sacramenti dignitatem elevata eſſe credatur, aut ſaltem adhiberi prout eſt quid in tali ſocietate ſacrum.

Objic. 3. Si Sacramenta parerent gratiam ex opere operato, eſſet aliquid ſaltem apud Patres, quod huic operationi patrocinaretur: atqui falſum conſequens; imo vox ex *opere operato*, in qua verbum deponens paſſive ſumitur, barbara eſt, & majeſtate Eccleſię indigna.

Reſp. ad 1. neg. min. etſi enim vox operis operati non magis apud Patres inveniatur, quam vox conſubſtantialis apud Patres Antinicenos, utraque tamen apud eos reperitur quoad rem nomine ſignificatam. Neque jam recens eſt operis operati nomen, cum eo uſus ſit S. Thomas in 4. diſt. 1. q. 1. art. 5. & qui ante S. Thomam floruit Innocentius III.

Nec nocet fictitia nominis barbaries: quippe ut notat Auguſtinus, qui in Pſal. 138. ut melius intelligeretur, maluit dicere *oſſum oſſi*, quam *os oſſis*, *Melius eſt ut nos reprehendant Grammatici, quam ut non intelligant populi*. Jactitent ergo Calviniani ſermonis ſui puritatem, quę tamen

tanta

tanta non eſt ut ob eam miraculum conclamare liceat: plus erubeſcant; cum iis de quibus loquitur Auguſtinus Lib. 1. Confeſs. c. 18. ſi ſecluſa aſpiratione pronuntient *ominem*, quam ſi intercluſa reſpiratione *enecent hominem;* nobis eæ præ ceteris placebunt voces, quibus & potentius aſtruitur dogma, & plenius occurritur cavillis hæreticorum. Atque in eo facem præferet Scripturæ verſio, non qualem edidere Calviniani Interpretes, ſeu corruptores, ſed qualem jam ab initio conſecravit Eccleſia; hic enim verbum deponens paſſive ſumitur nec infrequenter, ut Pſal. 118. v. 52. *Memor fui judiciorum tuorum a ſæculo, & conſolatus ſum.* Idem eſt de verbo promereor, quod paſſive ſumitur Heb. 13. ubi ſic: *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus.*

Objic. 4. Opinio quę fideles idololatriæ periculo exponit, procul amandari debet: atqui opinio quæ ritus externos inducit tanquam efficientes gratiæ cauſas, exponit periculo idololatriæ. Quis enim ſigna quibus mundari ſe credet, venerari abnuat?

Reſp. neg. min. non enim magis adorabit Chriſtianus homo etiam male eruditus luſtralem aquam, chryſmate aut oleum, quam adorare debuerint Judæi, vel ſerpentem cujus aſpectu, Deo ſic ordinante, ſanabantur; vel lutum quo redditus eſt cæco viſus, vel fimbriam cujus tactu ſanata eſt mulier jam dudum languida: alioqui Deus ipſe populo ſuo laqueum ſtruxiſſet. Et vero norunt fideles aquam de ſe nihil eſſe niſi aquam; Deum nulli elemento alligatum eſſe; elementa quælibet econtra alligata eſſe divinæ potentiæ, vi cujus operantur, quidquid operantur; ergo non elementa ſed auctorem elementorum colent & reverebuntur.

Objic. 5. Quæ operantur virtute diſpoſitionis, quæ ineſt ſubjecto, non operantur ex opere operato: atqui Sacramenta novæ Legis operantur virtute diſpoſitionis quæ ſubjecto ineſt; ergo.

Reſp. neg. min. tum quia Sacramenta operantur in infantibus, in quibus nulla eſt diſpoſitio; tum quia in adultis ipſis diſpoſitio comparata ad effectum Sacramenti, non ſe habet niſi per modum removentis prohibens, non vero per modum actus de congruo vel condigno meritorii.

Inſt. 1. Quæ majorem operantur gratiam, ubi major eſt diſpoſitio, minorem ubi minor, ea non operantur niſi virtute prævia diſpoſitionis: atqui ex Tridentino & Theologis omnibus, Sacramenta majorem operantur gratiam, ubi major eſt diſpoſitio, &c.

Reſp. diſt. maj. quæ majorem operantur gratiam, ubi major eſt diſpoſitio tanquam effectiva gratię, ejuſve meritoria de congruo vel de condigno, non operantur niſi virtute diſpoſitionis, C. ubi major eſt diſpoſitio, quæ tantum removeat prohibens, & non ſit meritoria, N. atqui Sacramenta majorem operantur gratiam, ubi major eſt diſpoſitio, diſt. min. & diſpoſitio hæc non ſe habet ut meritoria gratiæ ſacramentalis, ſed ſolum ut removens obicem, C. & ſe habet ut quid meritorium gratiæ ſacramentalis, N. Itaque Sacramenta operantur ut cauſæ naturales: jam vero cauſæ naturales plus pariunt effectus in ſubjecto ut par eſt diſpoſito, quam in minus diſpoſito, nullumque prorſus in ſubjecto prorſus indiſpoſito: verum tunc manifeſtum eſt nullam ex ſubjecti diſpoſitione vim communicari cauſæ naturali, ſed permitti dumtaxat ut ejus activitas exerat ſe quantum poteſt. Sic ſol majorem luminis copiam effundit

dit per cryſtallum melius diſpoſitum; nec tamen cryſtallus principium eſt luminis efficiens. Sic quoque cum juxta illud Chriſti dictum, *Habenti dabitur*, divitiis augetur homo, qui ſibi jam alias opes labore ſuo peperit, poſteriores divitiæ non reſpondent labori ut cauſæ efficienti vel meritoriæ, ſed tanquam occaſioni, vel conditioni, ſine qua non conferrentur ei cui conferuntur.

Inſt. 2. Atqui major gratia majori reſpondet diſpoſitioni tanquam cauſæ efficienti vel meritoriæ; ergo nulla ſolutio. Prob. ſubſumptum: quævis pia diſpoſitio eſt actus bonus & ſupernaturalis: atqui actus quilibet bonus & ſupernaturalis meretur gratiam ſaltem de congruo, & majorem, cum melior eſt & ſanctior; ergo diſpoſitio habet ſe ut cauſa gratiæ meritoria.

Reſp. ad 1. neg. ſubſ. ad 2. diſt. min. actus ſupernaturalis meretur gratiam ſed non ſacramentalem, C. ſacramentalem, N. Itaque actioni cuilibet piæ ſua reſpondet gratia: ſed & ſua quoque gratia ſignis ad eam producendam a Deo inſtitutis reſpondere debet. Unde qui ſecluſo Sacramento nonniſi parem pietati ſuæ gratiam reportaſſet, aliam, eamque longe digniorem recipit ex facta ſibi Sacramenti applicatione. Sic qui attritus accedit ad Pœnitentiam induitur juſtificatione, quæ non reſpondet attritioni, ſed ſoli Sacramento. Unde tunc habenti datur, & quod meruit de congruo, & quod mereri non potuit, nimirum gratia ſanctificans.

Inſt. 3. Atqui gratia diſpoſitionibus correſpondens eſt ipſa gratia ſacramentalis; quæ proinde diſpoſitionibus retribuitur tanquam meritoriis, ac proinde ex opere operantis; ergo iterum nulla ſolutio.

Prob. ſubſ. idem de aliis Sacramentis eſto judicium, ac de Sacramento Pœnitentiæ, quod quis recipiat jam vere contritus: atqui huic veræ contritionis diſpoſitioni reſpondet & gratia vere ſacramentalis, & reſpondet tanquam cauſę meritorię: 1. quidem ei reſpondet gratia ſacramentalis; quia contritio utpote inadęquata Sacramenti materia operari debet ut quid Sacramenti; ac proinde parere gratiam ſacramentalem; 2. & hęc gratia contritioni reſpondet ut cauſę meritorię. Contritio enim debet operari ſecundum id quod eſt: atqui contritio de ſe eſt meritoria; ergo.

Reſp. ad 1. neg. ſubſ. in ſenſu objectionis: alioqui enim verum eſt gratiam ſacramentalem hoc ſenſu reſpondere diſpoſitionibus, quod major aut minor conferatur relative ad diſpoſitiones; ad diſpoſitiones, inquam, non quę vim influant in Sacramentum, ſed quę majori ejuſdem activitati locum & quaſi ſpatium prębeant: quo pacto etſi ſiccitas ligni non dat igni vim ſuam, facit tamen ut hic facilius & plenius effectum ſuum producat.

Ad 2. neg. min. nam in contritione prout eſt pars Sacramenti duo ſpectari poſſunt, 1. quod ſit ſupernaturalis motus Spiritus ſancti; 2. quod motui huic contingat eſſe partem inadęquatam Sacramenti. Utrique ſua quidem correſpondet gratia; ſed contendo eam, quę contritioni correſpondet pro meritorię, non eſſe ſacramentalem. Unde ſi gratia ſacramentalis id habeat ut certo modo, certoque in gradu pręſervet a futuris lapſibus, modo hic & gradus ſolius Sacramenti efficacię adſcribendi

erunt,

erunt, non autem contritioni conſideratę in ratione principii activi & meritorii. Unde rurſus ſequitur hominem, qui vi contritionis ſolius cum voto Sacramenti juſtificatur, non alio quoad habitum juſtificari modo quam Judęi in antiqua Lege, ac proinde nulla donari gratia ſacramentali; etſi ęquivalentem a Deo qui exterioribus ſignis alligatus non eſt, recipere poſſit, imo & majorem quandoque recipiat.

Ad 3. diſt. min. contritio active ſumpta eſt meritoria, C. ſumpta paſſive prout eſt pars Sacramenti, N. Itaque contritio ſumpta pro pio animę actu eſt meritoria, eique tunc rependitur gratia minime ſacramentalis, qualis nempe rependeretur extra Sacramentum: at eadem contritio ſumpta paſſive, ſeu prout eſt pars Sacramenti, non magis eſt meritoria, quam ceterę ejuſdem Sacramenti partes.

Objic. 6. Si Sacramenta gratiam ex opere operato pariant, vel phyſice vel moraliter: atqui neutrum dici poteſt.

Reſp. neg. min. utrum autem dici debeat, patebit ex ſequenti Concluſione, cujus ad intelligentiam

Not. cauſa duobus modis operari poteſt, phyſice nimirum & moraliter. Cauſa phyſice operatur, cum per ſe & reali ac immediato influxu producit effectum; ſic calorem ignis & ſol lumen phyſice parit, reali nempe motu & contactu. Cauſa operatur moraliter, cum etſi phyſico influxu effectum non pariat, movet tamen aliam cauſam liberam ad eum producendum; movet, inquam, imperio, conſilio, precibus, vel ſui poſitione, & ex pacto. Sic herus homicidium famulo pręcipiens, eſt cauſa moralis homicidii; ſic ſchedula cujus ad exhibitionem ſolvitur alicui pecunia, cauſa eſt moralis cur pecunia hęc ſolvatur, vi ſcilicet pacti quod debitorem inter & creditorem pręceſſit.

Cauſa phyſica ſicut & moralis dividitur in primariam & inſtrumentalem. Primaria agit propria ſua virtute & motu, vel phyſice ut cum faber lignum dividit; vel moraliter, ut cum creditor repetit ſummam pecunię. Inſtrumentalis non ſua ſed cauſę principalis virtute agit, vel phyſice, ut ſerra qua utitur faber ut lignum ſecet, vel moraliter ut ſyngrapha debitoris, quam exhibet creditor ut debiti ſolutionem exigat.

Cauſa moralis & finalis in eo conveniunt, quod utraque cauſam phyſicam movet, eamque movendo, per eam influit in effectum: differunt vero quod finalis cauſa moveat, non quia eſt, ſed ut ſit; cauſa autem moralis moveat, non ut ſit, ſed quia jam eſt.

Certum eſt novę Legis Sacramenta eſſe ſaltem cauſas morales gratię: quia quę ipſa ſui poſitione movent & determinant Deum ad conferendam gratiam, neceſſario ſunt cauſę morales gratię; ſicut moralis eſt homicidii cauſa, qui hominem movet ad homicidium: atqui Sacramenta novę Legis ipſa ſui poſitione Deum movent & determinant ad gratię collationem; ergo ad minimum ſunt cauſę morales; imo & nomen cauſę moralis melius quam alię cauſę merentur, quia Deum certius ac infallibilius movent, vi ſcilicet pacti ab ipſo Deo inſtituti.

Quęritur an tota Sacramentorum cauſalitas eo reducatur. Negant Thomiſtę, & phyſicam agendi vim Sacramentis ineſſe putant, quam tamen alii aliter exponunt. Affirmat e contrario Scotus cum ſuis. Sit

CONCLUSIO II. Sacramenta gratiam non producunt phyſice.

Prob. quod phyſice gratiam producit, debet phyſice & quoad entitatem exiſtere eo inſtanti quo gratiam producere ſupponitur: atqui Sacramenta, quæ in uſu poſita ſunt, ut Baptiſmus, & alia præter Euchariſtiam non exiſtunt phyſice, quo inſtanti gratiam producere ſupponuntur; ergo. Major & minor ſeorſim probandæ veniunt. Itaque

Prob. maj. quod phyſice non exiſtit, phyſice nihil eſt: atqui quod phyſice nihil eſt, vim agendi phyſicam habere nequit. Nam vis phyſica eſt modus habendi ſe phyſice: atqui quod phyſice nihil eſt, non poteſt habere phyſicum ſe habendi modum. Sic v. g. phyſice ambulare vel ſedere nequit, niſi qui phyſice exiſtit; ergo quod non eſt phyſice, phyſice operari non poteſt: ergo ut aliquid phyſice ſeu gratiam, ſeu aliud quodlibet operetur in certo inſtanti, neceſſum eſt ut in tali inſtanti phyſice exiſtat.

Prob. itaque prima minor. Sacramentum gratiam non producit, niſi poſtquam pronuntiata eſt ultima ſyllaba: atqui cum prolata eſt ultima formæ ſyllaba, jam non exiſtit Sacramentum phyſice: ut enim phyſice exiſteret Sacramentum, deberet ſecundum omnes ſui partes exiſtere; cum phyſica Sacramenti entitas ex omnibus formæ ſyllabis eſſentialiter conſtet: atqui cum pronuntiatur ultima formæ ſyllaba, non exiſtit amplius Sacramentum ſecundum omnes ſui partes. Non enim exiſtunt hęc verba, *Ego te baptizo*, cum proferuntur iſta, *Et Spiritus ſancti*; imo nec exiſtit ultima hæc ſyllaba, quæ totam claudit actionem; ſtatim enim ut prolata eſt, jam nihil eſt phyſici; ergo cum gratia nonniſi poſt completam hujus ſyllabæ prolationem pariatur, non producitur ab aliquo quod phyſice exiſtat, ac proin phyſice produci non poteſt.

Reponunt aliqui ſingulas formę ſyllabas, eo quo pronuntiantur inſtanti, non nihil gratię ſanctificantis producere. Alii vero priores formę ſyllabas eo ſenſu exiſtere cum pronuntiantur poſteriores, quod hę cum illis unionem habeant continuatam: ita poſt Silvium Gonet, qui etiam contra Suarem addit, Sacramenta gratiam producere in inſtanti dumtaxat extrinſeco; quando ſcilicet verum eſt dicere, nunc primo non eſt Sacramentum, ſed immediate antea erat; non autem in inſtanti intrinſeco, quod revera nullum eſt, *cum ſucceſſiva non deſinunt per ultimum ſui eſſe, ſed per primum ſui non eſſe*. Porro, inquit idem, licet in hoc inſtanti extrinſeco jam Sacramentum non ſit in ſe, eſt tamen in ſua virtute, nempe in termino per ipſum producto, in quo recipitur virtus productiva gratię, *hujuſmodi vero terminus, eſt ultimum mutatum eſſe, quod menſuratur illo inſtanti extrinſeco terminativo motus*. Hęc ille, quę ſi cuipiam clariſſima videbuntur, non mihi.

Gonet diſp. 3 n. 100. & 103.

Refelluntur quoad 1. quia gratia, cum ſit aliquid indiviſibile, utpote quę ſit ſpiritualis, tota ſimul produci debet. Et vero ſi Miniſter poſt prolatam unam aut alteram formę baptiſmalis vocem excederet e vivis; quam, quęſo, juſtificationem recepiſſet infans? an totalem? non dicent. An dimidiatam? novum eſt iſtud in Eccleſia & inauditum.

Refelluntur quoad 2. continuitas enim quęcumque fingatur inter varias formę partes, non magis efficit ut omnes formę partes ſimul & in eodem inſtanti exiſtant; quam continuitas partium fluvii fugientis efficiat ut eædem partes ſimul tempore exiſtant in loco: atqui nemo dixerit

conti-

continuitatem partium fluvii efficere ut eædem partes exiſtant ſimul in loco; ergo. Certe ſucceſſivæ temporis partes unionem habent inter ſe, & tamen cum exiſtit pars præſens, non exiſtit pars præterita.

Quod ad aliam attinet Goneti reſponſionem, hæc ipſa ſua incomprehenſibilitate ruit. Quid enim eſt illud *ultimum mutatum eſſe*, quod virtutem gratiæ productivam recipit? an forma vel materia Sacramenti? ſi ita eſt, recurret tota difficultas, nimirum quomodo phyſice agat, quod phyſice nihil eſt. An aliquid poſterius materia & forma, gratia vero prius? Ergo 1. Sacramenta gratiam immediate non producunt, ſed mediante eo termino; ergo 2. quod phyſice nihil eſt, habebit virtutem phyſice producendi terminum; quod eſt præcipuum controverſiæ caput, deberetque probari, non gratis ſupponi. Deinde quæro an fictitia hæc virtus quæ gratiæ productiva dicitur, corporea ſit, an ſpiritualis. Si corporea, quomodo attingere poteſt ens ſpirituale, quale eſt gratia? Si ſpiritualis, quomodo reſidere poteſt ſeu *ſubjectari*, in illo *terminativo motus*, quod non ſecus ac Sacramentum ipſum pro corporeo habent ipſi Thomiſtæ?

Prob. 2. ſimul & confirmatur probatio præcedens. Baptiſma ficte ſuſceptum reviviſcit, adeoque effectum ſuum operatur, pluribus quandoque annis poſtquam ſuſceptum eſt; idemque, juxta Gonetum eſt de ceteris Sacramentis: atqui tunc non operatur phyſice, cum tunc phyſice eſſe deſierit & jamdudum; ergo.

Reſpondent aliqui cum Goneto ibid. n. 81. Sacramenta quæ non imprimunt characterem, moraliter ſolum operari cum reviviſcunt; ea vero quæ characterem imprimunt reviviſcere, quia tunc *character qui eſt præſens in anima incipit habere effectum ſuum*; prout docet S. Thomas in 4. diſt. 4. q. 3. art. 3. q. 3.

Sed 1. ſi Sacramenta ſaltem aliquando operantur moraliter; ergo nihil Sacramentorum dignitati deperit ex eo quod dicantur operari moraliter; ergo iterum nullius ſunt momenti rationes quæ pro aſtruenda phyſica Sacramentorum cauſalitate adducunt adverſarii ex Scriptura & Patribus. Utique enim ſi Patrum textus etſi generales limitari debeant ab adverſariis, quidni & a nobis ad efficaciam ubicumque moralem flecti poſſint, ſi graves id exigant cauſæ.

Nihilo ſolidius videtur quod dicunt Baptiſmum, aliaque ejuſdem conditionis Sacramenta reviviſcere vi characteris ſemel impreſſi. Neque enim effectus Sacramenti, ſed Sacramentum ipſum parit gratiam: atqui character eſt nudus Sacramenti effectus; ergo non in characterem refundi debet gratia, ſed in ipſum Sacramentum. Et vero non aliter agit character in adultis quam in infantibus: atqui character non parit gratiam in infantibus, ſed ſimul cum gratia producitur; ergo.

Prob. 3. quia inter cauſam phyſicam & effectum ejus debet eſſe proportio quædam ſaltem remota: atqui inter Sacramenta, quæ ſigna ſunt viſibilia & corporea, & gratiam quæ eſt quid ſpirituale, nulla eſt etiam remota proportio; cum materiale & immateriale ſint in genere prorſus diverſo; ergo.

Reponunt Sacramentorum efficaciam, unum eſſe e fidei noſtræ myſteriis, quod ratione explicari nequit. Sed ſi Sacramentorum vis inter myſteria recenſetur, ut quid ejuſdem vis explicandæ modus, quem Eccleſia

Theo-

Digitized by Google

Theologorum libertati permittit, novum in myſterium erigitur? ut quid exponitur vis illa eo modo qui cum ab hæreticis refelli facile poſſit & irrideri, anſam errori præbet impugnandi & modum & ſubſtantiam occaſione modi? ut quid denique in re libera obſcurum per obſcurius exponitur.

Prob. 4. cauſa phyſica debet ſubjectum in quo operatur, attingere per contactum realem ac phyſicum, ſaltem mediate; quomodo ſol per calorem a ſe diffuſum operatur in terræ viſceribus; alioqui cauſa hæc ageret in diſtans, quod ſaniori Philoſophiæ repugnat: atqui Sacramenta non poſſunt phyſice attingere animam in qua operantur, ſed ſolum corpus; imo nec ſemper corpus attingunt, ut cum impenditur abſolutio homini ſurdo; vel benedictio nuptialis iis qui per procuratorem contrahunt; ergo.

Prob. 5. quia nulla eſt cauſa, cur Sacramenta potius phyſice parere dicantur gratiam habitualem, quam actuales, quæ vi eorum conferuntur gratias: atqui iſtas non pariunt phyſice, prout fert communis opinio etiam adverſariorum, ut notat Lugo diſp. 4. n. 52.

Prob. 6. quia non eſt tribuenda Sacramentis nobilior operandi ratio, quam Chriſti paſſioni; cum illa iſtius inſtrumenta ſint, totamque ab ea vim ſuam mutuentur: atqui paſſio Chriſti non eſt cauſa gratiæ noſtræ phyſica, ſed meritoria ſolum ſeu moralis, ut docet Tridentinum Seſſ. 6. cap. 5. ergo.

Objic. 1. Scriptura expreſſe docet hominem renaſci *ex* aqua, ſalvum fieri *per* lavacrum regenerationis, mundari *in* verbo vitæ: atqui particulæ illæ veram & phyſicam cauſalitatem exprimunt. Alioqui ambigi poſſet, an omnia *per* Verbum phyſice facta ſint; an *ex* illo phyſice ſint omnia; an vere univerſa *in* ipſo conſtent; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ut enim e citatis vocibus erui non poſſit cauſalitas phyſica, ſufficit ut iis utatur Scriptura non ſolum ubi de phyſicis cauſis, ſed etiam ubi de moralibus agitur: atqui res ſic ſe habet. Sic Apocal. 1. dicitur quod *Chriſtus lavit nos a peccatis noſtris* IN *ſanguine ſuo*. Sic Hebr. 9. idem *Chriſtus* PER *proprium ſanguinem ſemel in ſancta* introiiſſe dicitur, *æterna redemptione inventa*: atqui tamen Chriſtus neque nos phyſice lavit a peccatis in ſanguine ſuo; neque phyſice per ſanguinem in cœlum introivit, &c. unde ut detegatur cauſalitas prædictis particulis expreſſa, videndum eſt cui eas materiæ applicet Scriptura. Sic omnia per Verbum phyſice creata eſſe intelligentur, quia nulla eſt creatura quæ eſſe poſſit cauſa phyſica etiam inſtrumentalis creationis, ut docent Philoſophi; item quia divinitatis characteres Verbo apprime conveniunt, proindeque & potentia creandi. Unde patet ſolutio ad 2.

Objic. 2. SS. Patres, ut & nos alibi obſervavimus, Sacramentorum efficaciam admirantur, eamque ut explicent, ad ſolam Dei omnipotentiam recurrunt: atqui nulla foret tantæ admirationis ratio niſi Sacramentorum cauſalitas eſſet phyſica. Quid enim tam mirum quod præſente ſyngrapha moveatur quis ad debiti ſolutionem? ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ſeu enim phyſica ſit ſeu moralis Sacramentorum efficacia, eſt cur miremur & attoniti miremur, quod Deus ad infirmi & egeni elementi præſentiam, atque ad vocem hominis plerumque pec-

cati

Digitized by Google

cati ſordibus involuti, tam cito tam infallibiliter, tam ſtabiliter animam ex hoſte & infenſa per gratiam ceteraque S. Spiritus dona ſibi reconciliet, atque in ea manſionem faciat. Et vero ſi miretur Orbis univerſus ſtetiſſe ſolem ad nutum Joſue, etſi idem Joſue non fuerit niſi moralis cauſa tanti effectus, quis non obſtupeſcat, ad vocem Sacerdotis quandoque ſceleſti, illabi e cœlis in terras ſolem juſtitiæ, ut pectus immundum ſubeat? An & quouſque juſta ſit petita e ſyngrapha comparatio, expendam paulo infra. Hic ſolum animadvertam adverſarios qui admittunt potentiam obedientialem in quolibet ad quodlibet, haud multum mirari debere cur Deus per Sacramenta faciat id, quod ab ipſo per muſcam fieri poſſe confitentur.

Non eſt pluris quod objiciunt alii SS. PP. comparare Sacramenta cauſis naturalibus, v. g. *utero virginali*, *aquæ ferventi*, *ſemini*, &c. id enim eo ſolum conſilio factum eſt, ut indicaretur Sacramenta vere gratiam parere. An autem phyſice id fieret an moraliter non expenderunt Patres, metaphyſicis hujuſmodi quæſtionibus parum intenti. Et vero ſi urgeantur id genus comparationes, facile quis ſibi perſuadebit Sacramenta cauſas eſſe gratiæ naturales.

Inſt. cum Yſamberto: Quæ vim ſanctificandi combibunt, quæ a Spiritu ſancto fecundantur, quæ efficiuntur idonea ad regenerandum, hæc utique phyſica gratiæ inſtrumenta cenſeri debent: atqui Sacramenta noſtra ∴ Prob. min. tum ex Tertulliano, qui Lib. de Bapt. cap. 4. *Aquæ*, inquit, *ſanctificatæ* a Spiritu Dei *vim ſanctificandi combibunt*. tum ex precibus per quas in benedictione fontis baptiſmalis poſtulat Eccleſia a Deo, *ut dignetur aquis impertiri vim regenerandi ∴ ut Spiritus ſanctus arcana ſui numinis admiſtione eas fecundet; ut ſanctificatione concepta ab immaculato divini fœtus utero in novam renata creaturam progenies cœleſtis emergat;* ergo.

Reſp. neg. maj. alioqui enim, ut bene notat doctiſſimus Tournely, & ipſa, quæ ſingulis Dominicis benedicitur luſtralis aqua, phyſica virtute abigeret dæmones & morbos fugaret; cum etiam poſtulet Eccleſia ut Deus *huic elemento virtutem ſuæ benedictionis infundat;* atque *ad abigendos dæmones, morboſque pellendos divinæ gratiæ ſumat effectum*. His ergo precibus poſtulat Eccleſia rem ipſam, aut indicat futuros rei effectus poſito quod nullus ponatur obex. Ad modum vero quo idem producitur effectus non attendit Eccleſia. Et vero quid plus præſtabit in fidelium cordibus juſtificatio phyſice producta, quam moraliter? Quid Chriſtianorum intereſt an aquæ vim phyſicam ſanctificandi combibant, an ſolum moralem, modo hæc & certo operetur, & ſine violenta terminorum expoſitione admitti poſſit?

Objic. 3. cum Goneto: Ex Conciliis Florentino & Tridentino Sacramenta novæ Legis gratiam continent: atqui cum id verificari nequeat vel de continentia locali, quia gratia non continetur in Sacramentis *ut aqua in vaſe, vel medicina in pixide*, ait S. Bonaventura; vel de continentia per inhæſionem; quia gratia, utpote accidens ſpirituale rei corporeæ inhærere non poteſt; non aliter quam de efficientia virtuali verificari poteſt. Jam vero efficientia hæc male diceretur virtualis, niſi Sacramenta eo pene modo gratiam continerent quo ſol calorem efficit.

Alio-

Digitized by Google

Alioqui enim Sacramentorum efficientia eo erga gratiam ſe haberet modo, quo erga pecuniam ſyngrapha debitoris : atqui nonniſi abuſive dici poſſet pecuniam in debitoris ſyngrapha contineri, quia ad ejus exhibitionem tenetur debitor pecuniam refundere, ergo male etiam diceretur Sacramenta gratiam continere, & eſſe gratiæ vaſa, niſi eam phyſice continerent atque producerent.

Reſp. 1. retorquendo argumentum, quod hic ſæpius & facile fieri poteſt: 1. enim Sacramenta cum reviviſcunt, ſunt vaſa gratiæ, eamque vere producunt: atqui tamen tunc non agunt niſi moraliter ex Silvio & Suare; ergo ut verificetur ratio loquendi a Conciliis uſurpata, non requiritur efficientia virtualis phyſice operans; 2. Concilia & Patres eodem generali modo dicunt auxilia ſpecialia quæ a Sacramentis derivantur, produci ab iiſdem, quo producitur gratia habitualis : atqui tamen receptum eſt actuales gratias, quæ diu ſæpe poſt accepta Sacramenta producuntur, nonniſi moraliter produci a Sacramentis; 3. ajunt quoque Patres, ſanguinem & paſſionem Chriſti mundare nos a peccatis juſtificare nos, &c. ajunt inſuper viros ſanctos operari miracula, dare ſanitatem, viſum reſtituere cæcis, ſurdis auditum, &c. atqui tamen neque ſanguis Chriſti juſtificat phyſice; neque viri ſancti miracula phyſice operantur, ſed moraliter ſolum quatenus ægrotantium ſanitatem fuſis precibus impetrant a Deo; ergo. *Vide Lugo ibid. n. 51. & ſeq.*

Reſp. 2. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. 1. neg. maj. ut enim Sacramenta eo erga gratiam modo ſe præciſe non habeant, quo ſyngrapha erga debitum, ſatis eſt ut ſyngrapha ſit potius moralis occaſio ſolvendæ pecuniæ, quam cauſa; contra vero Sacramenta ſint potius cauſa moralis gratiæ quam occaſio: atqui 1. res ita ſe habet de ſyngrapha. Illud enim non tam eſt ſolutionis cauſa quam occaſio, quod non facit ut quis debeat & certo donet, ſed ſolum ut conſtet de debito: atqui ſyngrapha non facit ut quis debeat, vel certo donet, ſed tantum ut conſtet de debito, cujus memoriam revocat. Hinc ſublato etiam chyrographo tenetur debitor ſolvere, nec ſemper ſolvit ad præſentiam chyrographi; ergo ſyngrapha, ſaltem communiter loquendo, nec moralis eſt cauſa, nec, ſi ſtricte loqui velis, conditio debiti ſolvendi : ſed tota hujus debiti cauſa eſt vel promiſſio debentis, vel actio propter quam promiſit.

At vero Sacramenta potius ſunt cauſa quam occaſio gratiæ; non enim concurrunt revocando tantum in memoriam promiſſionem Dei, ſed inducendo obligationem, & ideo movendo Deum ut gratiam conferat, ratione primæ inſtitutionis & promiſſionis, quæ ſicut facta eſt ſub eorum conditione, ita nonniſi ipſis poſitis obligat: quomodo merita Chriſti vere ſunt humanæ ſalutis cauſa; quia poſita eorum acceptatione a Deo, Deum per ſe movent ad procurandam hominis ſalutem.

Et vero ea non ſunt meræ occaſiones, quę dum Chriſti nomine exercentur, ſunt velut actiones Chriſti ipſius continuatę, adeoque ſi non meritorię, ſaltem per ſe certo imperatorię : atqui Sacramenta ſunt velut actiones Chriſti continuatę. Hinc, ut ponderat S. Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. c. 14. idem S. Paulus, qui aliquando Evangelium vocat ſuum, nunquam ſuum vocat Baptiſmum, quia Baptiſmus eſt Chriſti actio plus quam hominis; ergo Sacramenta juxta nos mero ſigno comparari non poſ-

poſſunt, hederæ v. g. quæ dumtaxat vinum ſignificat, non autem ipſum præbet niſi præbita pecunia, imo nec ſic ſemper.

Non deſunt tamen qui cum Juenino negent min. Ecquid enim, inquit ille, vetat ne Sacramenta gratiam continere dicantur ut ſyngrapha pecuniam, cum ad ſyngraphæ exhibitionem tenetur debitor ex præcedenti pacto pecuniam numerare. Certe ſi talis admitti non poſſet comparatio, maxime quia docent PP. Tridentini Sacramenta operari ex opere operato: atqui hæc ratio non valet. Hæc enim operis operati doctrina ſolum ſignificat Sacramenta gratiam independenter a merito Miniſtri conferre iis omnibus, qui ad ea rite diſpoſiti acceſſerint; ergo hinc colligi nequit phyſica Sacramentorum operatio, quam ſtatuere noluerunt Patres Concilii, quibus cordi erat non ut Catholicorum opiniones, ſed ut errores hæreticorum profligarent.

Objic. 4. Si Sacramenta phyſice non operantur, jam ſunt conditiones ſine quibus non: atqui falſum conſequens. Minor patet 1. ex unanimi conſenſu Theologorum, quos inter ſufficiat adduxiſſe S. Thomam: ſic ille in 4 diſt. 1. q. 1. art. 4. *Quidam dicunt quod Sacramenta non ſint cauſæ quaſi facientes aliquid in anima, ſed cauſæ ſine quibus non .:. & eſt ſimile de illo qui accipit denarium plumbeum facta tali ordinatione, ut qui habuerit unum de illis denariis habeat centum libras a Rege, qui quidem denarius non dat illas centum libras, ſed ſolus Rex accipienti ipſum. Et quia pactio talis non erat facta in Sacramentis veteris Legis, ut accedentes ad ipſa gratiam acciperent, ideo dicuntur gratiam non conferre .:. Sed hoc non videtur ſufficere ad ſalvandum dicta Sanctorum;* quia alioqui, ut ſubjungit S. Doctor, Sacramenta non eſſent cauſa gratiæ, ſed cauſa per accidens, nec differrent a Sacramentis veteribus *ſecundum rationem cauſæ, ſed ſolum quantum ad modum ſignificandi, in quantum hæc* nova *ſignificant gratiam ut ſtatim dandam, illa vero non;* 2. quia pura conditio non cauſat effectum, neque in eum influit, ſed requiritur tantum ut cauſa agat; ſic approximatio ignis ad lignum non influit in calorem: atqui erroneum eſt, Scripturæque, Conciliis & Patribus repugnans, dicere quod Sacramenta in gratiam non influat; 3. quia Concilium Florentinum ita ſtatuit Sacramenta noſtra gratiam parere, ut hoc deneget antiquis: porro ſi Sacramenta noſtra nihil eſſent aliud quam mera conditio, nullum eſſet illud diſcrimen; vetera enim Sacramenta erant ſaltem conditiones, ad quarum præſentiam Deus gratiam conferebat; ergo conſtat minor.

Prob. itaque major. Conditio ſine qua non, ea eſt quæ licet non determinet, ita ſe habet reſpectu effectus, ut is ea poſita ponatur, & ſublata tollatur: atqui ſic ſe habent Sacramenta in ſyſtemate noſtro. Iis enim poſitis ponitur effectus, non quia Deum determinant, ſed quia determinavit ſe Deus ad ponendum hunc effectum quoties ſigna hæc ponerentur; ergo.

Reſp. 1. argumentum hoc adverſariis ſolvendum eſſe, pro iis ſaltem caſibus in quibus juxta ipſos Sacramenta tantum moraliter operantur, puta cum Sacramenta ficte ſuſcepta reviviſcunt.

Reſp. 2. ad 1. neg. maj. conditio enim pura nihil habet activi, nihil quod influat in effectum: atqui Sacramenta vere influunt in effectum; ergo

ergo non ſunt puræ conditiones ſine quibus non. Et vero conditio ſine qua non, non movet agens principale ad actionem, ſed tantum removet id quo actio ejus prohiberetur: atqui Sacramenta Deum ad gratiæ infuſionem movent moraliter quidem, ſed tamen vere; ergo. Hinc

Ad 2. neg. min. ea enim moraliter determinant Deum, quæ Chriſti merita moraliter determinantia ſibi annexa habent, ut eo ſenſu includunt & exhibent aliquid humanæ juſtificationi æquivalens; quod profecto non efficit denarius plumbeus, cujus comparationem rejicit S. Thomas: atqui talia ſunt Sacramenta; ergo non ſunt meræ conditiones quæ non determinent.

Non nego conditiones aliquo latiori & improprio ſenſu vocari poſſe cauſas morales, quatenus aliquo modo ad operandum movent: verum longe aliter movent quam cauſæ etiam morales. In his ſiquidem motio habet ſe in ratione principii efficientis; in illis motio, ſi quam admitti placet, non eſt principium efficiens, ſed id ſolum quod complet caſum & circumſtantiam, quo principium actionem ſuam exerere debet. Sic ſi juſſerit herus famulum ſuum pecuniam dare Petro, quoties gallus cantaverit, galli cantus mera erit conditio, heri vero mandatum pura cauſa, quia famulus non a cantu galli, ſed ab heri juſſione efficienter movebitur. Sic rurſus ſi præceperit Confeſſarius, ut pœnitens quolibet Feſto die infirmos viſitet, Epiſcopus vero novum inſtituat Feſtum, præceptum Confeſſarii alio longe modo pœnitentem movebit, quam Epiſcopi inſtitutio: Epiſcopus enim, etiam neſciens, complebit quidem caſum, in quo tenetur pœnitens infirmos juvare; at ſolum Confeſſarii præceptum efficienter determinabit; unde ſi pœnitens infirmis deſit, Confeſſarii ſolius non autem Epiſcopi legem tranſgredietur. Atque hæc diſtinctio eſt neceſſario admittenda, ne cogamur fateri uſum ſeu ſumptionem Euchariſtiæ eſſe moralem gratiæ cauſam, adeoque & partem Sacramenti intrinſecam, non ſecus ac corpus Chriſti; quod idem de diſpoſitione requiſita, ſeu obicis ablatione in aliis Sacramentis dicendum eſſet.

Non nego varias fieri poſſe hypotheſes in quibus res eadem poſſit eſſe conditio & ſimul cauſa moralis. Sic ſi conſulam Petro ut de quacumque illata ſibi injuria pœnas repetat, injuria qua ſubinde afficietur, poterit eſſe vel mera conditio ſine qua non, ſi nempe Petrus non ex vindicta pœnas ſumat, ſed ut conſilio meo obtemperet; vel ſimul eſſe & conditio & cauſa moralis, ſi nimirum Petrus ex motivo vindictæ; non ſecus ac ex conſilio meo ulciſcatur. Sint ergo, ſi volent adverſarii, ſint Sacramenta conditiones; ſed ſint ſimul conditiones quæ quaſi plenæ Chriſti meritis Deum potenter & perpetuo determinent: tunc porro neceſſum eſt ut in iis imbibatur tota ratio cauſæ veræ moralis. De his plura nec contemnenda videris apud Lugo diſp. 4. ſect. 5. num. 71. & ſeq.

Objic. 5. Idem ſit de ceteris Sacramentis judicium ac de Pœnitentia; neque enim hujus major eſt efficacia quam aliorum: atqui Pœnitentia gratiam phyſice producit. Eo enim modo gratiam producit Sacramentum Pœnitentiæ, quo Sacerdos pœnitentem abſolvens: atqui Sacerdos gratiam producit phyſice. Prob. min. 1. quia alioqui mendaciter diceret,

Ego

Ego te abſolvo, niſi vere & realiter dimitteret peccata, ac proinde gratiam produceret; 2. quia Sacerdos Pœnitentiæ Miniſter, gerit Judicis vices, ſicut & pœnitens vices rei: atqui Judex in humanis vere & phyſice per auctoritatem ſibi a Principe commiſſam reum abſolvit; non autem alium excitat ad dandam reo abſolutionem, eamve ipſi impetrat; ergo. Ita & late Gonet diſp. 3. n. 62. poſt Suarem diſp. 9. ſect. 2.

Reſp. ad 1. & 2. neg. min. ad 1. 3. neg. ant. qui enim moralis eſt cauſa alicujus effectus vere dicere poteſt, *Ego id operor*. Sic Chriſtus vere poſſet dicere, *Ego vos per ſanguinem meum juſtifico*, licet juſtificatio noſtra nonniſi moraliter per Chriſti ſanguinem peracta fuerit. Sic quoque dicere poſſet Epiſcopus in Ordinatione, *Do tibi poteſtatem offerendi Sacrificium*, licet poteſtatem hanc non phyſice pariat ſed ſolum moraliter. Et vero qui ignem ſtupis applicat vere eſt cauſa combuſtionis, & tamen non producit phyſice combuſtionem.

Ad 2. 3. Reſp. 1. longum eſſe diſcrimen inter Judicem in foro Pœnitentiæ, & Judicem politicum. Is ſcilicet in animam non agit, & ſive abſolvat, ſive condemnet, nec facit hominem reum nec innocentem, ſed utrumque ſupponit: at vero Pœnitentiæ Miniſter animam vere abluit per gratiam, aut peccato infectam relinquit: quæ ſtupenda adeo ſunt Dei ipſius operatio, ut creatura in eadem actione phyſica concurrere poſſe non videatur. Unde ſeu Judex politicus phyſice operetur, ſeu non, nihil pro phyſica Sacerdotis actione colligi poteſt; præſertim cum abſolutionis verba phyſice eſſe deſierint, quando effectum ſuum producunt.

Reſp. 2. neg. min. verba enim Judicis politici ſunt quidem phyſica, ſicut & verba Sacerdotis, ſed nonniſi moralem effectum, & nonniſi moraliter producunt. Quis enim eſt judicialis ſententiæ effectus, is ſolum ut hic vel ille venia vel pœna dignus reputetur: atqui is effectus ſolum moralis eſt, nec alio quam morali modo produci poteſt; ergo.

Objic. 6. Humanitas Chriſti per ſuas actiones miracula phyſice producebat; ergo cum Sacramenta ſint actiones ipſius Chriſti, debent gratiam vi phyſica producere.

Reſp. 1. neg. ant. etſi enim humanitas Chriſti prodigia quædam operari potuerit phyſice per dotes ſibi inditas, puta aquis inambulare, poſito quod ei jam ab initio dos agilitatis conceſſa fuerit; haud tamen ex Scriptura vel Traditione deduci poteſt, eam ad miracula quæcumque vi phyſica concurriſſe: unde id poſt Barradium & alios plures negant Lugo hic n. 66. & Martinon diſp. 21. n. 76.

Reſp. 2. neg. conſeq. 1. quia etſi actiones a Chriſto perſonaliter exercitæ gratiam phyſice parere potuerunt; non ideo idem erit de actionibus, quæ nonniſi moraliter ſunt actiones Chriſti, quatenus ejus nomine a Miniſtris ejus exercentur; & quæ ſæpe ſunt ratione agentis vitioſę; 2. quia humanitas Chriſti animas vel corpora ſanantis phyſice coexiſtebat ſanationi huic: at vero Sacramenta non coexiſtunt phyſice infuſioni gratię; cum jam deſierint quo tempore producitur gratia.

Objic. 7. Veri admodum ſimile eſt Deum Sacramentis indidiſſe cauſalitatem, quam potuit maximam: atqui phyſicam dare potuit; ergo.

Reſp. 1. neg. maj. quia in his materiis id ſolum veriſimile eſt, non quod mens noſtra optimum aut maximum imaginatur; ſed quod & revelationi

Digitized by Google

tioni congruit; & rationi non adverſatur: porro quod Sacramenta quę phyſice deſierunt, phyſice operentur, & repugnat rationi, & ex Scriptura oſtendi non poteſt; ergo.

Confirm. Ad dignitatem Sacramenti ea utique ſufficit efficacia; quæ Chriſti meritis & paſſioni tribuitur: atqui hæc ſolum eſt moralis; ergo.

Reſp. 2. neg. min. ſicut enim oculus corporeus ad videndum Deum elevari non poteſt, ſic nec ſignum materiale elevari poteſt ad productionem gratiæ, quæ eſt in genere penitus diverſo.

Quod ait Gonet Dei bonitatem commendari ex eo quod res corporeas ad gratiæ productionem evexerit; non videtur ſerium ſatis. An enim divinæ bonitati quidquam decedet, ſi morali non autem phyſico modo gratiam per Sacramenta producat. Certe ſi Sanctus quis cæco viſum reddat, æque is gratus erit ac memor, ſeu phyſice ſeu ſolum moraliter uſum lucis receperit.

Inſt. Ignis infernus tametſi materialis vere & phyſice torquet ſubſtantias pure ſpiritales; ergo pariter Sacramenta licet corporea gratiam parere poſſunt.

Reſp. 1. neg. ant. cum Scotiſtis, qui tartareos ſpiritus nonniſi moraliter, ſeu, ut ajunt, intentionaliter per ignem torqueri docent, *miris* quidem, ſed *tamen veris modis*, ut loquitur Auguſtinus Lib. 21. de Civit. Dei, cap. 10.

Reſp. 2. neg. conſeq. etſi enim concipi poſſit ignem, qui ſpiritibus præſens eſt, in eos phyſice vim ſuam exercere; haud tamen concipi poteſt Sacramentum, quod jam eſſe deſiit cum producitur ejuſdem effectus, phyſice operari. Ut ergo aliquid probarent Thomiſtæ, oſtendendum foret dæmones phyſice torqueri igne jam extincto, ſeu qui ſecundum omnes ſui partes eſſe deſierit. Id porro nec oſtenderunt hactenus, nec deinceps oſtendent. Adde hæc aliaque id genus argumenta duplici laborare vitio, primum, quod obſcurum per obſcurius probent: ſecundum quod ex materiis prorſus alienis petita ſint. Quaſi vero cum agitur de Sacramentis, remotiſſimas aliorum Tractatuum partes indagari oporteret.

Objic. 8. Ut Sacramentum gratiam phyſice parere dicatur, ſufficit ut attingat unionem gratiæ cum anima; quemadmodum ut homo hominis cauſa dicatur, ſatis eſt ut attingat unionem animæ cum corpore: atqui Sacramentum unionem gratiæ cum anima attingit; ergo.

Reſp. data majore quæ nihil clari habet, ſed ad caliginem videtur fabricata, neg. min. quia quod jam nihil eſt cum gratia unitur animæ, unionem hanc phyſice parere nequit: atqui Sacramentum jam phyſice nihil eſt cum gratia unitur animæ; ergo fieri nequit ut unionem utriuſque producat, quæ proinde a Deo ſolo phyſice produci poteſt. Idem eſt de unione animæ cum corpore, quæ in ſolum animæ rationalis creatorem poteſt refundi, non in hominem qui ſolum ultimam diſpoſitionem ponit. Et vero ſi Sacramentum prædictam unionem attingens, gratiam parere diceretur, homo attingens unionem cum corpore, diceretur animam rationalem producere; quod tamen falſum eſt.

CONCLUSIO III. Sacramenta gratiam moraliter operantur.

Prob. 1. vel Sacramenta moraliter operantur, vel phyſice, vel meræ

ſunt

ſunt conditiones: atqui nec operantur phyſice, nec meræ ſunt conditiones, ut probavimus; ergo.

Prob. 2. modus operandi modum ſequitur eſſendi, ex trito axiomate: atqui Sacramenta ut Sacramenta ſunt ſolum entia moralia. Sacramenta enim non ſunt ſolum res phyſicæ, ſed res quæ ex ordinatione Dei gratiam ſignificant: atqui res quæ quocumque modo aliquid a ſe diverſum ſignificant, ſunt neceſſario entia moralia. Etſi enim res ipſæ phyſicæ, ſint quid phyſici, earum tamen deputatio ad hoc vel illud, eſt quid morale. Sic moneta, etſi ſecundum ſubſtantiam auri vel argenti eſt ens phyſicum, prout tamen hunc vel illum valorem habet, eſt ens morale, quia ut ſic componitur ex metallo & inſtitutione Principis, qui certum metallo valorem tribuit; ergo.

Prob. 3. quia ut Sacramentis non alia quam moralis cauſalitas attribuenda ſit, tria ſufficiunt, 1. ut cauſalitas phyſica vix ac ne vix quidem intelligi poſſit; 2. ut cauſalitas moralis ſit in rei veritate cauſalitas proprie dicta; 3. ut ſufficiat ad explicanda Patrum Conciliorumque teſtimonia, in quibus vis & efficientia Sacramentorum maxime commendatur: atqui 1. phyſica cauſalitas plena eſt ambagum & obſcuritatis, vixque ab aliis quam ab aſſertoribus ſuis intelligi poteſt, ut diximus proxime; 2. cauſalitas moralis eſt vera & proprie dicta cauſalitas, ut fatetur ipſe Suarez, & hinc patet, quod qui cædem imperat, vera ſit homicidii cauſa: inde & David Uriam interfeciſſe dicitur; 3. demum eadem cauſalitas ad explicanda Patrum Conciliorumque dicta ſufficit, prout etiam ex dictis liquet. Et vero ſi Scriptura ſimpliciter & ſine addito dicat, ſanguinem Chriſti mundare ab omni peccato, fidem ſalvare, eleemoſynam liberare a morte; licet mundatio, ſalus, liberatio a morte ab iiſce cauſis non phyſice ſed moraliter profluant; quidni Sacramenta ſimpliciter dicantur parere gratiam, licet non alia quam morali efficientia donentur?

Objic. 1. ex Joan. 6. *Caro* Chriſti in Euchariſtia *vere eſt cibus*, ac proinde vere nutrit: ſed quod moraliter tantum operatur, non vere nutrit; ſed quaſi metaphorice tantum; ergo.

Reſp. neg. min. vere enim nutrit id quod animam impinguat, & adverſus hoſtis tentationes munit: atqui quod moraliter gratiam parit, utrumque abunde præſtat; ergo.

Objic. 2. Si Sacramenta ſint morales cauſæ gratiæ, profecto quia Deum movent ad ejus infuſionem: atqui Sacramenta Deum hoc pacto movere non poſſunt. Vel enim movent ratione ſui, vel ratione ſuæ a Chriſto elevationis: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. quia ablutio in Baptiſmate v. g. eſt quid maxime indifferens, & aliunde in mentem agere nequit. Non 2. cum enim elevatio Sacramenti ſit eidem extrinſeca, jam non a Sacramentis, ſed a Chriſto Sacramentum elevante moveretur Deus; ſicque rueret vis tota Sacramenti.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. & dico Sacramenta nec ratione ſui tantum, nec tantum ratione elevationis, ſed ex concurſu utriuſque Deum movere ut gratiam largiatur. Nempe vero movent ut entia moralia; quod autem moralia ſint, nec ex ſolis materia & forma habent, nec ex ſola elevatione, ſed ex utriuſque concurſu.

Objic. 3. Poteſt Sacerdos ob malum finem baptizare: atqui fieri nequit ut actio hæc quæ mala eſt, Deum moveat ad collationem gratiæ; quod

tamen deberet facere, ſi actio Sacramentorum eſſet moralis; ergo.

Reſp. diſt. min. fieri nequit ut actio hæc quatenus mala eſt. C. quatenus eſt actio Chriſti, ejuſque nomine exercita, N. Si enim actus baptizandi, ſub primo reſpectu aliquid mali, eſt utique ſub ſecundo reſpectu aliquid optimi, quodque utpote Chriſti meritis grave & quaſi fecundatum, vim Dei movendi ſervat intactam.

Objic. 4. Aliter movent ſigna Dei, quam ſigna diaboli: atqui ſigna magica diaboli eumdem moraliter movent; ergo ſigna Dei, quæ ſunt Sacramenta, alio quam morali modo movere debent.

Reſp. 1. neg. maj. cujus robur totum in antitheſi fictitia ſitum eſt. An enim quia Angeli mali hominum peccato moraliter cooperantur, dicendum erit Angelos bonos bonis juſtorum operibus vi phyſica cooperari, ne par horum & illorum actio eſſe intelligatur?

Reſp. 2. neg. min. nam, ut bene obſervat Lugo diſp. 4. n. 67. dæmon nativa ſua indole fallax, mallet eum cui quidpiam promiſit, ludificare, quam ſtare promiſſis. Unde non tam vi pacti conventi, quam propria nequitia movetur ad ſervandam fidem: neque hanc ſemper ſervat, quia id non patitur Deus: quo fit ut nulla ejus ſigna effectum habeant infallibilem. At vero Sacramenta & infallibiliter Deum movent, & per ſe ipſa tanquam totidem Chriſti actiones movent.

Objic. 5. Miniſter Sacramenti dicitur gratiam conferre: atqui ſi nonniſi moraliter Deum moveat, non poterit dici conferre gratiam. Tunc enim Miniſter habebit ſe ut creditor qui exhibita debitori ſyngrapha, hunc movet ad collationem pecuniæ: atqui creditor ille nullibi gentium dicitur pecuniam dare ſeu ſolvere; ergo.

Reſp. ad 1. diſt. maj. dicitur gratiam conferre ut cauſa inſtrumentalis, C. ut cauſa primaria, parive cum ea gradu concurrens, N. Sic diſtincta min. neg. conſeq. Solutio patet ex dictis.

Reſp. ad 2. diſt. Miniſter ſe habet ut creditor, ſe, inquam, habet quantum ad aliquid, C. quantum ad omnia, N. Geminum enim eſt præcipue diſcrimen inter Miniſtrum qui Sacramenta, & creditorem qui ſchedulam exhibet. Primum quod Miniſter ex Chriſti inſtitutione habeat vim certam obtinendi effectus; creditor vero ſæpe ſæpius voces obtineat, & nihil ultra. Secundum, quod ad objectionem magis facit, quod creditor non poſſit dici ſolvere, quia ſolvit non qui jus habet ad debitum, ſed qui debitum contraxit; contra vero Miniſter dici poſſit gratiam dare, quia nihil eſt in ejus perſona quod huic *dantis* appellationi reſiſtat; modo tamen nonniſi inſtrumentaliter dare intelligatur.

Objic. 6. Grande eſt vetera inter & nova Sacramenta quantum ad efficaciam diſcrimen: atqui ſi Sacramenta novæ Legis moraliter ſolum, non autem phyſice agant, corruet diſcrimen illud; ergo.

Pro ſolutione difficultati hujus, ſit

SECTIO QUARTA.

De efficientia Sacramentorum antiquæ Legis.

Circa diſcrimen Sacramentorum novæ & antiquæ Legis, quædam ſunt de quibus Catholicos inter & Proteſtantes conſtat; quæ-

Digitized by Google

quædam de quibus Catholici cum hæreticis, vel inter ſe diſputant.

Conveniunt omnes differre utriuſque legis Sacramenta, 1. ritu externo; 2. numero, qui apud Judæos major, brevior eſt apud nos; 3. facilitate, Baptiſmi v. g. præ circumciſione; 4. nobilitate, quatenus noſtra a Chriſto inſtituta ſunt & promulgata, antiqua vero a Moſe promulgata. Verum an ſicut ritu, ſic efficacia & juſtificandi virtute differant, non ita convenitur.

Prima ea de re ſententia eſt Lutheri, qui Lib. de Captiv. Babyl. ſic loquitur cap. de Baptiſmo: *Error eſt Sacramenta novæ Legis differre a Sacramentis veteris Legis penes efficaciam ſignificationis, ideſt quod noſtra efficaciter ſignificent faciendo quod figurant, non illa*. Idem hodieque tuentur Lutherani: *Noſtrates*, ait Bechmannus pag. mihi 940. contra Pontificios docent *Sacramenta v. T. fuiſſe efficacia organa conferendæ gratiæ & ſalutis*. Lutheranis conſentiunt Calviniani, ut liquet ex his Calvini verbis Lib. 4. Inſtit. cap. 14. nu. 23. *Penitus explodendum eſt Scholaſticum illud dogma, quo tam longum diſcrimen inter veteris & novæ Legis Sacramenta notatur, perinde ac ſi illa non aliud quam Dei gratiam adumbrarent, hæc vero præſentem conferrent*. Addit ſubinde veteres ſuis in Sacramentis *parem nobiſcum percepiſſe Chriſti gratiam*.

Conſtat duo involvi in hac Novatorum opinione, quæ culpanda ſint. Primum, quod ut vetera ſic & nova Sacramenta ſolius fidei excitativa eſſe velint. Secundum, quod parem veteribus Sacramentis gratiæ menſuram attribuere videantur ac novis: hæc enim gratiæ æqualitas licet a Calvino rejecta, ejus de fide ſolum excitata ſyſtemati admodum cohæret. An non autem culpari hinc etiam debeant, quod Moſaica Sacramenta perinde ac Evangelica ex pacto & promiſſione Dei virtutis aliquid habuiſſe contendant, unde hominis juſtitiam operarentur, non una eſt Catholicorum opinio. Inter propoſitiones duodecim ab Illuſt. Bajocenſium Epiſcopo die 5. Maji præſcriptas, erat hæc num. V. *Noſtra ſicut & veteris Legis Sacramenta propter ſuum Auctorem tali efficacitate donantur, ut non modo gratiam contineant, verum etiam digne ſuſcipientibus eam conferant ex opere operato*; quæ quidem theſis a citato Præſule damnata eſt ut *falſa, temeraria, erronea, & Decreto Eugenii IV. contraria*. Ex adverſo pugnarunt prædictæ concluſionis vindices in Epiſtola quæ an. 1708 juris publici facta eſt, ſuamque hanc opinionem ab Auguſtino, Gregorio Magno, Bernardo, Innocentio III. Scoto, Durando, Gabriele Biel, Hugone Victorino, Eſtio, Salmerone, Pererio, Lorino, Lugo, Azorio, Goneto item propugnatam fuiſſe contenderunt. Addidiſſent ſane noſtris diebus eam a Tournelyo pro Catholica habitam fuiſſe, ut quæ & a *multis Scholaſticis Doctoribus* defenſa, & *nullo Decreto, nullo Canone* reprobata fuerit.

Lettere a M. de Bayeux p. 149.

Tourn. p. 178.

Secunda igitur opinio eorum eſt qui gratiam in veteribus Sacramentis collatam fuiſſe volunt non tantum ex merito operantis, ſed etiam præter illud, ſeu ex opere operato. Ita Paludanus & Durandus in 4. diſt. 1. q. 5. qui tamen cenſet Sacramenta quędam minus proprie dicta, & quę deſtinabantur ad effectum cujus ad aſſecurationem gratia neceſſaria non erat, cujuſmodi erant legales expiationes, gratiam non contuliſſe.

Tertia opinio eſt S. Bonaventurę, qui cum Durando agnoſcit vetera

Sacramenta gratiam ex opere operato contuliſſe ; ſed addit id ea non feciſſe per ſe & primario, ſed per accidens ſolum & indirecte: quia nec directe ad aliud quam ad futurorum ſignificationem inſtituta erant, nec annexam habebant Dei de danda gratia promiſſionem, *Quia tamen*, ait Eſtius cui S. Bonaventuræ opinio plurimum placet, Sacramenta illa *ſignificabant id quod fides credit, in eorum ſuſceptione erat fidei proteſtatio, atque ideirco per accidens & ſecundario hæc Sacramenta juſtificabant.*

Quarta opinio eorum eſt qui de Circumciſione aliter ac de ceteris Sacramentis ſentiendum exiſtimant ; adeout illam vel ex opere operato, vel quaſi ex opere operato gratiam regenerativam ſaltem infantibus contuliſſe velint; cetera vero Sacramenta nonniſi ex opere operantis.

Quinta demum opinio eorum eſt, qui ne ipſam quidem Circumciſionem per ſe gratiæ productivam fuiſſe ſentiunt: & hi vel negant illam in remedium peccati originalis a Deo fuiſſe inſtitutam; vel ſi id fatentur, totam ejus efficaciam a fide Miniſtri, parentumve aut ſuſcipientis ſuſpenſam fuiſſe volunt.

Ab his omnibus quantum ad alia a Circumciſione Sacramenta receſſit Magiſter Sententiarum qui Lib. 4. diſt. 1. ait *ex operibus legis neminem juſtificatum fuiſſe, etiamſi ex fide & charitate fierent;* quia impoſuerat ea Deus *in ſervitutem, non in juſtificationem, & ut figura futuri eſſent.* Ut a certioribus ad dubia magis progrediamur, ſit

CONCLUSIO I. Sacramenta Legis antiquæ in uſu gratiam conferebant quocumque tandem modo.

Prob. 1. ſi Sacramenta Moſaicæ Legis nullam, ſaltem ex opere operantis, gratiam producebant, nihil prorſus merebantur Judæi ad ea cum fide & charitate accedentes, prout innuit Magiſter Sententiarum, niſi benigne & forſitan violente explicetur: atqui falſum eſt id & erroneum. Omne enim virtutis opus, ſi charitate informetur, bonum eſt & meritorium: atqui uſus veterum Sacramentorum, ſicut & eorumdem collatio, erat opus virtutis; ſcilicet actus latriæ, quo ſupremo enti aliquid debiti honoris pendebatur; ergo poſito quod fieret, ut debebat fieri, erat meritorius.

Prob. 2. ex Canone Miſſæ in quo petimus ut Deus ſacrificium noſtrum, ideſt actionem qua ſacrificium peragimus, acceptum habeat ſicut acceptavit munera pueri ſui Abel, & ſacrificium quod illi obtulit Abraham, & ſummus Sacerdos ſuus Melchiſedech: atqui actiones Deo gratæ & acceptatæ non potuerunt eſſe ſine merito, nec proinde ſine gratia quæ merito reſponderet. Jam vero haud deterior fuit conditio ſacrificiorum quæ ſub Lege, quam quæ ante Legem oblata ſunt. Hinc toties teſtantur Scripturæ piorum Judæorum ſacrificia ſuaviſſimi coram Deo fuiſſe odoris, ut Levit. 1. 3. 6. & 26. quod & ipſe Deus, igne cœlitus emiſſo victimas conſumens, pluries teſtatus fuit, ut Levit. 9. II. Reg. 6. & 24. III. Reg. 8. & 18. ubi de ſacrificiis ab Aaron, Davide, Salomone, & Elia oblatis agitur; ergo.

Et vero, ut bene arguit S. Bonaventura in 4. diſt. 1. q. 5. quis a merito vacuam exiſtimet actionem qua B. Virgo par turturum in templo obtulit, & id tamen dicendum foret, ſi legalium uſus nihil iis profuiſſet, a quibus ex fide etiam & charitate uſurpabatur.

Prob.

Digitized by Google

Prob. 3. quia gratiam meretur quiſquis pie divinis legibus obſequitur: atqui divinis obſequebantur legibus Judæi cum Sacramenta ſuſcipiebant; ergo merebantur. Unde Beda in cap. 10. Marci, ait, quod *Sacramenta veteris Legis ſuo tempore cuſtodire, vitam conferebat æternam*: porro, ut animadvertit S. Thomas in 4. diſt. 1. qu. 1. art. 5. qu. 2. nihil ad æternam vitam perducit, quod non ſit meritorium; ergo.

Objiciuntur duo, 1. quod Lex vetus fuerit in jugum & onus impoſita ex Act. 15. ac proinde non in juſtificationem; 2. quod nullum opus inutile poſſit eſſe meritorium: porro animalium occiſio prorſus erat inutilis. Verum hæc frivola ſunt quam maxime. Unde

Reſp. ad 1. quod qui onus ſibi a Deo impoſitum ex animo & charitate ſubit, Dei voluntatem implet, ac proinde ſine merito eſſe nequit.

Ad 2. equidem victimarum occaſio de ſe inutilis erat; ſed quatenus ad cultum Dei, Dei ipſius juſſu ordinata, potuit, ſi rite fiebat, eſſe utilis & meritoria.

Conclusio II. Sacramenta Legis antiquæ, præter Circumciſionem de qua ſpeciatim loquemur, non conferebant gratiam ex opere operato.

Prob. 1. quod gratiam operatur ex opere operato, hominem juſtificat efficaciori quo poteſt fieri modo: atqui vetera Sacramenta non juſtificabant, & multo minus juſtificabant efficaciori modo qui concipi poſſit. Quæ enim erant partes Legis ſecundum ſe totam infirmæ & inutilis, non juſtificabant præſtantiori modo: atqui Sacramenta erant partes Legis ſecundum ſe totam infirmæ & inutilis, quæque nihil unquam ad perfectum adducere potuit. Prob. min. ex Hebr. 7. ubi ſic loquitur Apoſtolus: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit Lex*. Quibus verbis præcluditur evaſio eorum, qui Legem infirmam a S. Paulo vocari volunt, non quia talis ſemper fuiſſet, ſed quia talis erat ex quo per Chriſtum fuerat abrogata. Hic enim non dicitur inutilis Lex quia reprobata; ſed reprobata, quia inutilis & infirma: porro quod reprobatur ut inutile & infirmum, per ſe juſtificare non potuit.

Prob. 2. ex ejuſdem Epiſtolæ cap. 9. v. 9. & 10. *Munera & hoſtiæ offeruntur*, id eſt olim offerebantur in antiqua Lege, *quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis & potibus, & variis baptiſmatibus & juſtitiis carnis uſque ad tempus correctionis*, ſeu Legis novę quæ veterem in aliquid melius mutatura erat, *impoſitis*. & cap. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit* Chriſtus: *Hoſtiam & oblationem noluiſti*. Unde ſic: Quæ per ſe, ſeu ex opere operato juſtificant, auferunt peccata, nec carnis modo, ſed & conſcientiæ juſtitiam tribuunt: atqui antiqua Legis Sacramenta nec peccata auferebant, nec conſcientiæ ſed carnis tantum tribuebant juſtitiam; idque ante adventum Chriſti, & factam ab eo Legis abolitionem; cum jam a primo ſuo in mundum ingreſſu teſtetur Chriſtus Deum hujuſmodi Sacramenta, hoſtias & oblationes noluiſſe, ſeu non acceptaſſe quaſi quæ ad peccati emundationem inſervire poſſent; ergo.

Nec dicas citatos textus intelligi debere de veteribus Sacramentis prout a Chriſto ſejuncta erant, ita ut in ſe ſumpta, egena forent & inutilia;

utilia; non autem prout a futuro Meſſia vim acceperant juſtificandi. Hæc enim reſponſio cum Apoſtoli textu cohærere non poteſt: 1. quia alioqui par foret veterum ac Chriſtianorum Sacramentorum conditio, non quidem forte quoad gradum, ſed ſaltem quoad ſubſtantiam juſtificationis; cum aqua Baptiſmi v. g. a Chriſti virtute ſecluſa, nihil ſit niſi aqua, & ad ſanctificationem vi propria concurrere non poſſit. Quo igitur recidet immenſum illud diſcrimen quod inter utramque Legem conſtituit Apoſtolus, in Epiſtola, quam Judæi ipſi nonniſi a viro Moſaicæ Legis peritiſſimo ſcribi potuiſſe confitentur? Quomodo ſtabit quod docet & toties docet idem Gentium Doctor, vetera Sacramenta a novis eo diſtingui modo, quo umbra a veritate, veritas a figuris? *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum*, ait idem ibid. cap. 10. 2. vel virtus futuri Meſſiæ veteribus Sacramentis annexa erat ex inſtitutione Dei, vel non. Si 1. ergo infirma & egena non erant, utpote quæ ad perfectum adducere poſſent, & de facto eos a quibus recipiebantur, juſtificarent virtute ſibi indita. Si 2. ergo tam impoſſibile erat ut per ſe juſtificarent, quam impoſſibile ſit ut aqua ſolitarie ſumpta infantem vel adultum regeneret.

Quidni vero, inquies, dicatur cum S. Bonaventura vetera Sacramenta gratiam ex opere operato contuliſſe, ſed tantum per accidens?

Reſp. hanc S. Doctoris expoſitionem gravibus de cauſis rejiciendam videri; & quidem 1. quia nullum pro ea affertur argumentum quod ſufficiat, ut deinceps patebit; 2. quia cenſet S. Doctor vetera Sacramenta gratiam contuliſſe ex opere operato ſine ulla Dei promiſſione: id autem in terminis repugnat; cum id ſolum gratiam ex opere operato parere valeat, quod ad talem tantumque effectum ex divina inſtitutione elevatum fuerit: porro ubi ſignum aliquod divina inſtitutione ad effectus ſupernaturalis productionem elevatur a Deo, ibi neceſſario ſpondet Deus gratiam iis omnibus qui tali ſigno rite & legitime uſi fuerint; 3. quia gratia, quam S Bonaventura conſequenter ad fidem per Sacramenta collatam eſſe credit, vel reſpondebat gradui fidei hujus, vel eo major erat. Si 1. ergo ſecluſa fide & charitate quæ juſtificationem proxime parere poſſent, Sacramentum juſtificationem operari non poterat; ac proinde quidquid de facto percipiebatur juſtitiæ, pendebat ab opere operantis. Si 2. ergo vetera Sacramenta ſicut & nova ex attritis v. g. faciebant contritos; ergo inſuper adducebant ad perfectum; ergo iterum Lex tam potentibus munita mediis, nec infirma, nec inutilis, nec mundandæ conſcientiæ incapax dici potuit ab Apoſtolo.

Prob. 2. ex Patribus. S. Baſilius Lib. de Spiritu S. c. 14. *Quid*, inquit, *confers lavacra cum lavacris, quæ ſolam nominis appellationem habent communem, rerum vero tanta eſt differentia, quanta eſt inter ſomnia & veritatem, inter umbras imagineſque, & inter ea quæ revera ſubſiſtunt*: atqui quæ conferrent gratiam ex opere operato ut & noſtra Sacramenta, aliter cum iis convenirent quam ſola nominis appellatione, neque ab iis ut a veritate ſomnia, aut a realitate imagines diſcreparent; ergo.

S. Chryſoſtomus Orat. de Baptiſmo Chriſti, edit. novæ tom. 2. p. 370. *Judaica expiatio*, inquit, *nequaquam a peccatis liberabat, ſed a corporis ſordibus tantum: noſtra vero talis non eſt.·. nam & a peccatis liberat, & animam*

mam emundat, & Spiritus gratiam largitur. Quæ verba theſim noſtram expreſſe continent.

S. Auguſtinus in Pſal. 73. *Sacramenta*, inquit, *non eadem* in utroque Teſtamento, *quia alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Salvatorem. Sacramenta novi Teſtamenti dant ſalutem, Sacramenta veteris promiſerunt Salvatorem* ∴ *Mutata ſunt Sacramenta, facta ſunt faciliora, pauciora, ſalubriora, efficaciora*, & quæſt. 25. in Lib. Num. *Si per ſe attendantur* antiquæ Legis Sacramenta, *nullo pacto poſſunt mederi: ſi autem res ipſæ quarum hæc Sacramenta* ſeu ſigna *ſunt inquirantur, in eis inveniri poterit purgatio peccatorum*. Ea ſane ſolum ex opere operantis proſunt, quæ eos ſolum a peccatis purgant, qui in iis rem per ipſa ſignificatam ſedulo inquirunt, aliunde vero nec *dant ſalutem*, nec *ullo pacto* mederi poſſunt: atqui ex S. Auguſtino ſic ſe habebant antiquæ Legis Sacramenta; ergo.

Prob. 3. ex Decreto Eugenii IV. quod habes Tom. 13. Concil. pag. 534. ubi ſic: *Novæ Legis ſeptem ſunt Sacramenta* ∴ *quæ multum a Sacramentis differunt antiquæ Legis. Illa enim non cauſabant gratiam, ſed eam ſolum per paſſionem Chriſti dandam eſſe figurabant; hæc vero noſtra & continent gratiam, & ipſam digne ſuſcipientibus conferunt*; ergo opinio noſtra, eſt Eccleſiæ Romanæ doctrina, ut notat Habert cap. 4. q. 4. quam idcirco docet Catechiſmus Romanus part. 2. n. 27. ei proinde adhærendum, non quidem ut articulo fidei (neque enim, ait Tournelyus, mens Eugenii fuit ut totidem fidei articulos Armenis ad credendum præſcriberet) ſed ut ſententiæ, quæ ab ipſa Eccleſiarum omnium matre plurimum habet commendationis. *Tourn. l. 180.*

Objic. 1. Sacramenta novæ Legis gratiam per ſe operantur: atqui Scriptura de veteribus perinde ac de novis loquitur. Nam Jacobi 5. de Unctione Extrema dicitur: *Orent Presbyteri ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum*. Act. 8. v. 17. de Confirmatione: *Tunc imponebant* Apoſtoli *manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum ſanctum*: atqui haud abſimilibus verbis exprimit Scriptura veterum Sacramentorum efficaciam. Sic enim Levit. 4. verſ. 28. *Si peccaverit anima per ignorantiam* ∴ *& cognoverit peccatum ſuum, offeret capram*. v. 35. *Rogabit pro eo* Sacerdos, *& pro peccato ejus, & dimittetur ei*. & Deuteron. 34. v. 9. *Joſue repletus eſt Spiritu ſapientiæ, quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas*. Sic quoque Reg. I. c. 10. Saul vi unctionis ſibi per Samuelem factæ *mutatus eſt in alium virum*: ergo.

Reſp. ad 1. 1. neg. min. nunquam enim de novis Sacramentis dictum eſt, quod eis non delectetur Deus; quod infirma ſint, inutilia, & ideo reprobanda: atqui id de veteribus dictum fuit. Primum quidem a Pſalte Pſalm. 50. ſecundum autem ab Apoſtolo in textibus ſupra citatis; ergo.

Reſp. 2. diſt. min. iiſdem verbis exprimit Scriptura veterum Sacramentorum efficaciam reſpectu pœnæ & immunditiæ legalis, ut docet S. Thomas 1. 1. q. 103. hanc enim legalem maculam, quæ quatenus talis in exteriori imputatione ſita erat, remittebat ex opere operato, C. reſpectu gratiæ ſanctificantis, N. Si enim vetera Sacramenta & Sacrificia vim habuiſſent expiandi peccata quoad culpam & æternæ pœnæ reatum, duo contigiſſent 1. ut expiatio hæc non ſoli tribueretur contritioni, ſed

P 4 &ſi-

& ſimul ſacrificiis; 2. ut expiatio hæc ad omnia prorſus peccata ſe extendiſſet, etiam cum ſejuncta erat a contritione perfecta, prout in Sacramento Pœnitentiæ contingit : atqui utrumque falſum eſt. Primum quidem, ut patet ex citato Pſal. 50. ubi Propheta : *Holocauſtis non delectaberis : ſacrificium Deo Spiritus contribulatus*, &c. Secundum vero, ut liquet ex ipſis qui objiciuntur textibus. Hi enim diſerte indicant nonniſi ſingulare peccatum, furti v. g. aut ignorantiæ, per ſingula ſacrificia remiſſum fuiſſe. Imo nulla, ex Auguſtino, erant pro ſuperbiæ peccato ſacrificia, quaſi *inſanabile judicaverit Moyſes* hoc ſcelus *illa dumtaxat curatione, quæ per ſacrificia gerebatur*, ait S. Doctor q. 25. in Lib. Num.

Quod ſpectat ad objectos textus de inauguratione Joſue & Saulis, ii ad rem non faciunt : quia hujuſcemodi ritus non erant Sacramenta; ſed tranſeuntes cæremoniç, quç pertinebant ad gratiam miraculorum apud Iſraelitas non infrequentem.

Inſt. 1. Sic habet Moyſes Levit. 6. v. 6. & 7. *Offeret arietem, & dabit eum Sacerdoti :.: qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro ſingulis quæ faciendo peccavit;* ergo omnia peccata remittebantur per ſacrificium arietis.

Reſp. neg conſeq. in eo enim loco non agitur de omnibus peccatis, ſed ſolum de omnibus certç ſpeciei peccatis, furtis ſcilicet, ut ex ipſa priorum capitis verſuum lectione manifeſtum eſt. Et vero cur tot alia pro peccatis ceteris inſtituta fuiſſent ſacrificia, ſi omnia ſolo arietis ſacrificio perempta fuiſſent? cur tam generaliter pronuntiaſſet Apoſtolus impoſſibile eſse ut auferantur peccata hircorum & taurorum ſanguine?

Ergo, inquies, inutilia erant ſacrificia, quç exemplo veterum Patriarcharum, Abelis, Noe, Abrahç, &c. tanto cum apparatu obtulere David, Onias & alii, idque non modo pro viventibus ſed & pro mortuis, ut patet ex II. Machab. c. 12. atqui abſurdum conſequens.

Reſp. neg. maj. quia quç ex virtute propria non proſunt, ex pietate operantis prodeſse poſsunt, & de facto proderant plerumque in V. T. ob Chriſti aliquando paſsuri fidem, quam in ſe occaſione Sacramentorum accendebant, & ſolemni quodam ritu proteſtabantur Judçi fideles. Ceterum ſatis frequens erat ut ſacrificiorum virtus ad effectus mere temporaneos ſe extenderet; quales fuere ceſsatio luis dirç quç Judeos depopulabatur, & ad ſacrificium Davidis ceſsavit; vita Heliodoro reddita ob ſacrificium Oniç; remiſſio pœnç temporalis in altera vita a mortuis Judçis luendç. Ita doctiſs. Tournelyus. *Sup. L. 5. c. 7. art. 4.*

Inſt. 2. Hçc habet S. Paulus I. Cor. 10. de veteribus Hebrçis : *Omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt : bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Unde ſic : Spiritalis eſca, ſpiritalis & potus a Chriſto profluens, nihil aliud eſse potuit quam gratia ſanctificans : atqui Judçi & eſcam & potum ſpiritalem in Sacramentis ſuis reperiebant ex Apoſtolo; ergo neceſsum erat ut Sacramenta hçc gratiam parerent ſanctificantem.

Reſp. 1. neg. maj. hic quippe per ſpiritalem eſcam & potum intelligit ſolum Apoſtolus manna & aquam de rupe ſcaturientem, quç eo modo ſpiritalia dicuntur, quo petra ipſa dicitur Chriſtus; quia nimirum utrumque vel indicabat potentiam Chriſti Iſraelitas in deſerto nutrientis,

vel

vel ejuſdem aliquando venturi, & fideles corpore ac ſanguine ſuo refecturi ſignum erat, quod a fide ſola non autem a ſenſibus percipi poſſet. Et vero qui locum hunc objiciunt Proteſtantes, gratis ſupponunt Judæos eamdem non modo cum Judæis aliis, ſed & cum Chriſtianis eſcam ſpiritalem manducaſſe; nec id gratis tantum, ſed & contra Dei verbum ſupponunt. Enim vero ſi Hebræi eamdem nobiſcum ſpiritalem eſcam manducaſſent, dediſſet eis Moyſes panem de cœlo verum, quem Chriſtus dedit nobis: atqui falſum conſequens ex Chriſto, qui Joan. 6. v. 31. ait expreſſe: *Non Myſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.*

Præterea dato quod hic loquatur Apoſtolus de eſca ſpiritali quam cum Chriſtianis communem habuerint Judæi; unde, quæſo, oſtendent eſcam hanc Judæis ex opere operato profuiſſe? An non quoad ſubſtantiam communis eſſe potuit, quoad modum vero communicationis inſigniter diſcrepare?

Reſp. 2. neg. min. manna enim & aqua de rupe profluens, nec erant nec eſſe poterant veri nominis Sacramenta, de quibus hic loquimur; tum quia alioqui facile decies per diem Sacramentis refecti eſſent Judæi, quod ridiculum eſt; tum quia mannæ & aquæ de petra manantis, idem omnino erat apud Hebræos uſus, qui cibi & potus alio tempore ſumpti; Sacramentum autem nonniſi religioſo modo tractatur; tum denique quia Sacramentum ritus eſt ſtabilis; manna autem Judæis nonniſi ad breve tempus inſerviit.

Inſt. 3. Scopus Apoſtoli eſt ut Chriſtianos moneat, ne deficiant ab operibus bonis, ſibique ſatis eſſe putent quod Baptiſmum & Euchariſtiam habeant; quandoquidem veteres Judæi, etſi pluribus adjuti mediis omnes pene perierunt: atqui comparatio hæc abſona foret, niſi ut nova, ſic & vetera Sacramenta gratiam ſanctificantem contuliſſent. Statim enim reſpondiſſent Chriſtiani, ſe præ Judæis ſalvos fore; quia Judæi umbras ſolum, Chriſtiani realitatem haberent; ergo.

Reſp. neg. maj. & min. quia tota objectio ratiocinationem Apoſtoli invertit: neque enim hic argumentatur Apoſtolus a toto ad totum, ſed a parte totius unius ad partem totius alterius: ideſt non diſcurrit a populo Judæo ad Chriſtianum, ſed ex iis quæ magnæ Judæorum parti contigerunt, non autem ceteris, colligit cavendum eſſe ne dum Chriſtiani plures ſaluti ſuę bene conſulant, multo plures ejuſdem detrimentum patientur. Hęc igitur eſt, non contorta, ſed genuina Paulini textus interpretatio: Judęi *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, omnes mare tranſierunt, omnes in Moyſe baptizati ſunt, omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt; & tamen non in pluribus eorum bene placitum eſt Deo*, qui idcirco *proſtrati ſunt in deſerto*: atqui *hæc in figura facta ſunt noſtri*; ergo ſi *malorum concupiſcentes* ſiamus *ſicut & illi*, ſi *idololatræ, ſicut quidam ex ipſis*, &c. etſi paria inter nos habeamus ſalutis media, longe diſparem ſortiemur exitum, nec minus puniemur quam Judęi, imo magis; quia *deteriora meretur ſupplicia*, qui ſanctioribus abutitur mediis.

Inſt. 4. Ex Auguſtino in Pſalm. 77. *Idem in myſterio Judæorum fuit cibus & potus, qui noſter*: atqui non idem fuiſſet Judęorum cibus qui noſter,

Digitized by Google

ſter, niſi & cibum habuiſſent cum Chriſtianis communem; & cibus ille eodem in ipſis quo in nobis modo operatus fuiſſet; ergo.

Reſp. diſt. maj. idem Judæorum cibus fuit & potus, qui noſter, idem, inquam, ſignificatione, C. idem virtute & efficacia, N. Itaque cum manna ſignificaret panem verum ad nos in temporum plenitudine miſſum e cœlo; aqua vero ſcaturiens e rupe percuſſa, Spiritus Sancti dona quæ nobis e Chriſti latere in Cruce percuſſo fluxerant; conſtat cibum & potum Hebræi populi fuiſſe ſignum cibi & potus Chriſtianis aliquando præbendi: ſed nec idem fuit utriuſque gentis cibus quoad ſubſtantiam, nec idem quoad virtutem; idque & nihil aliud docet S. Auguſtinus, ſic enim pergit: *Significatione idem, non ſpecie; quia idem ipſe Chriſtus, illis in petra figuratus, nobis in carne manifeſtatus.*

Inſt. 5. Auguſtinus Tract. 26. in Joan. hæc habet: Veteres eamdem nobiſcum *ſpiritualem eſcam manducaverunt, non eamdem corporalem: illi manna, nos aliud .·.· ſpecie viſibili, quod tamen hoc idem ſignificaret virtute ſpirituali.* Et q. 84. in Levit. *Moyſes*, ait, *ſanctificabat viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum.* Unde ſic in forma: Signa, quæ licet a noſtris materialiter diverſa, eamdem cum noſtris ſpiritualem virtutem habebant, adeo ut per ipſa Moyſes ſanctificaret populum Dei, hæc, inquam, ſigna a noſtris penes vim & efficaciam non diſtinguebantur: atqui ex Sancto Auguſtino, ſigna ſeu Sacramenta Judæorum, licet *ſpecie viſibili* ſeu materialiter a noſtris diverſa, eamdem cum noſtris ſpiritualem virtutem habebant, &c. ergo.

Reſp. neg. min. ait quidem Auguſtinus, mannam & aquam quibus nutriti ſunt Judæi, idem ſpiritualiter ſignificaſſe, quod ſpecies panis & vini in Euchariſtia ſignificant, nempe corpus Chriſti manducandum, & bibendum ejus ſanguinem; ſed non ait eamdem fuiſſe mannæ & Euchariſtici panis virtutem: alioqui enim vetera Sacramenta, nec Sacramenta tantum, ſed & communia Judæorum alimenta, non ſolum promiſiſſent Salvatorem, ſed & ſalutem dediſſent; quod ſupra negavit Auguſtinus. Unde quod ſcribit S. Doctor q. 84. in Levit. *Moyſen viſibilibus Sacramentis ſanctificaſſe*, non de interna, ſed de legali dumtaxat ſanctitate intelligi debet. Et vero ſanctitatem a Moyſe collatam opponit Auguſtinus ſanctitati per Chriſtum collatæ. *Moyſes*, inquit, *ſanctificavit viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum: Dominus autem inviſibili gratia per Spiritum ſanctum, ubi eſt totus fructus etiam viſibilium Sacramentorum.*

Idem ſibi velle videtur S. Ambroſius Lib. 7. in Luc. n. 166. cum enim ait: *Sanctificavit Lex, juſtificat gratia*, ſanctificationem juſtificationi opponere videtur: quod ſi de ſanctificatione propria intelligatur, probari non poterit eam juxta ipſum ex opere operato peractam eſſe.

Objic. 2. S. Leo Serm. 2. in die Pentecoſtes ſic loquitur: *Sine hac Spiritus* ſancti *gratia nulla ſunt inſtituta Sacramenta, nulla unquam celebrata myſteria, ut eadem ſemper fuerit virtus chariſmatum, quamvis non eadem fuerit menſura donorum.* Unde ſic: Quæ non diſtant a Sacramentis noſtris penes virtutem agendi, ſed ſolum penes menſuram gratiæ, hæc gratiam ex opere operato pariunt ut & noſtra Sacramenta: atqui ex S. Leone Sacramenta vetera non diſtant a noſtris penes virtutem, &c. ergo. Idem docet S. Doctor Serm. 3. de Nativ.

Reſp.

Reſp. neg. min. quæ S. Leoni perperam attribuitur. Totus enim S. Pontificis ſcopus eſt, ut oſtendat Chriſti gratiam omnibus omnium ætatum hominibus propoſitam fuiſſe in ſalutem, adeo ut per eam Patriarchæ, Prophetæ & Sacerdotes, eodem afflati fuerint Spiritu, quo Apoſtoli ſub nova Lege; ſicque myſterium Pentecoſtes *non fuerit inchoatio muneris, ſed adjectio largitatis; nec minus adepti ſint qui credidere Chriſtum promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum*. Unde rurſus: *Non itaque*, inquit, *novo conſilio Deus rebus humanis, nec ſera miſeratione conſuluit; ſed a conſtitutione mundi unam eamdemque omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Gratia enim qua ſemper eſt univerſitas juſtificata Sanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta*. Hæc quidem gratia, juxta S. Leonem, quacumque occaſione pia diffundebatur, adeoque non in Sacramentis tantum, ſed & in myſteriorum celebrationibus; verum an ex opere operato a Sacramentis & myſteriis produceretur, ne minimum quidem expendit S. Doctor. Certe ſi ita ſenſiſſet B. Pater, jam non modo Judaicos ritus pro infirmis & egenis habere non potuiſſet, ſed & ſub Lege parem, niſi majorem quam ſub Chriſto gratiam datam fuiſſe confiteri debuiſſet. Cum enim de myſteriorum celebritatibus perinde ac de Sacramentis loquatur, & innumera forent apud Judæos Sacramenta, myſteria & figuræ, horum multitudo facile ſuppleviſſet, id quod unicuique Sacramento ſpeciatim ſumpto deeſſe potuiſſet virtutis & efficaciæ. Fuit ergo, juxta S. Doctorem, eadem virtus chariſmatum ſeu donorum, quia tunc ſicut & hodie *juſtificata eſt univerſitas Sanctorum*; nec minus vere futura prædicebant Prophetæ veteres, quam novi: ſed non fuit eadem vis inſtrumentorum; aut ſaltem eamdem fuiſſe ex textu objecto probari non poteſt. *Ser. 3. de Nativ.*

Objic. 3. plura rationis momenta: 1. quod Sacramenta populo Dei data eſſent ut media ſalutis, prout nos ab initio confeſſi ſumus: ſed ſalutis media non fuiſſent, niſi potuiſſent gratiam vi ſua conferre; 2. qui Sacramento pie utebatur, plus recipiebat ſpiritualis lucri, quam qui eodem non utebatur, aut qui per ſignum a Sacramento diverſum & arbitrarium, fidem ſuam profitebatur: atqui tamen æqua fuiſſet utriuſque conditio, niſi Sacramenta vim habuiſſent juſtificandi; ergo.

Reſp. ad 1. diſt. Sacramenta vetera erant media ſalutis, ſed media ſui generis, infirma ſcilicet, & quæ per ſe ſola non ſufficerent, C. media de ſe efficacia, N. Itaque nec conferri cum noſtris poſſunt vetera Sacramenta, nec tamen ſi ſecundum annexas ſibi appendices ſpectentur, pro ſignis mere indifferentibus haberi debent: 1. quia inſtar Legis, cujus partes præcipuæ fuerunt, totidem erant Pædagogi, ad Chriſtum deducentes; 2. quia monebant Judæos ut ultra juſtitiam legalem, aliam quæ cordis eſt, juſtitiam inquirerent; 3. quia religioſam eorum frequentationem remunerare potuit Deus largioribus gratiis, haud quidem debitis operi exercito, ſed ejus occaſione per ſummam Dei miſericordiam conceſſis. Unde concipi poteſt Judæos ritibus externis ad fidem & pietatem motos fuiſſe, Deum vero quaſi motum hac pietate, ad eam ultra condignum, ſi ita loqui fas eſt, remunerandam.

Ad 2. neg. min. qui enim ſignis a Deo inſtitutis pie utebatur, pietatis & fidei merito meritum jungebat obedientiæ; hoc autem merito carebat, qui vel arbitria uſurpabat ſigna, vel nulla.

CON-

Digitized by Google

Concluſio III. Sacramenta Moſaica gratiam producebant ex opere operantis.

Prob. 1. Sacramenta gratiam producebant, ex Concluſione I. atqui non producebant ex opere operato, ut vidimus Concluſione II. ergo cum inter utramque operandi rationem nullum vere ſit medium, ſupereſt ut eadem Sacramenta gratiam ex opere operantis produxerint.

Prob. 2. idem operari debuerunt Judaica Sacramenta, quod legitima Judaicarum ſolemnitatum celebratio: atqui hęc pie & cum fide peracta, non temporalia tantum ſed & cœleſtia bona, adeoque & gratiam ſine qua hęc obtineri non poſſunt, pariebat. Id enim aperte docet Iſaias c. 56. v. 4. his verbis: *Qui cuſtodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum .·.· nomen ſempiternum dabo eis*: nomen, inquam, ſempiternum in Libro vitę, & in civitate nova Jeruſalem, ſecundum id ejuſdem Iſaię c. 64. *Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te*; & Apoſtoli Hebr. 11. v. 16. *Non confunditur Deus, vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.*

Prob. 3. ex S. Thoma, cui univerſa pene Schola lubens adhęret. Sic ille 1. 2. q. 103. art. 2. *Poterat mens fidelium tempore Legis per fidem conjungi cum Chriſto incarnato & paſſo; & ita ex fide Chriſti juſtificabantur: cujus fidei proteſtatio erat hujuſmodi cæremoniarum obſervatio, in quantum erant figura Chriſti. Et ideo pro peccatis offerebantur Sacrificia quædam in veteri Lege: non quia ipſa Sacrificia a peccato emundarent, ſed quia erant quædam proteſtationes fidei, quæ a peccato mundabant.*

Objic. Sacramenta vetera ex Apoſtolo infirma erant & egena: atqui egena dici non poſſent, ſi ex adjutorio fidei peperiſſent gratiam. Nova ſiquidem Sacramenta non poſſunt dici egena: atqui tamen nonniſi ex fidei auxilio gratiam pariunt; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. egenum eſt enim reſpectu juſtificationis, id quod non per ſe, ſed ſolum dependenter ab alio tanquam cauſa, juſtificationem parit: atqui ex probatis vetera Sacramenta juſtificationem non pariebant per ſe, ſed dependenter a fide tanquam ejuſdem juſtificationis cauſa. Unde juſtificatio conſequens ſoli fidei reſpondebat, aut ſaltem ſoli divinę miſerationi, quę forte ut Sacramenti, ſic & fidei defectum quandoque occaſione Sacramenti ſupplebat; ergo.

Ad 2. diſt. min. Sacramenta noſtra non pariunt juſtitiam niſi ex auxilio fidei, ideſt ſupponunt fidem ut conditionem pręviam, ſeu ut quid removens obicem, C. ideſt a fide ſuam habent vim juſtificandi, N. Solutio patet ex dictis Sect. pręced.

Concluſio IV. Certum non eſt Circumciſionem inſtitutam fuiſse in remiſſionem peccati originalis. Ita poſt antiquos plures Eſtius in Paulum c. 4. ad Rom. qui tamen aliud docet in 4. diſt. 1. §. 30.

Prob. Ille effectus Circumciſioni certo attribui non poteſt, qui neque ex Scripturis neque ex Patribus certo colligitur: atqui talis eſt peccati originalis per Circumciſionem remiſſio. Et quidem 1. nedum effectus ille erui poſſit e Scriptura, parum eſt quin inde contrarium erui poſse videatur. Vix enim concipi poteſt quod Scriptura primarium Circumciſionis effectum ſemper reticuerit, ſatiſque habuerit effectus ejuſdem ſecundarios recenſerę, etiam dum in commendanda illius utilitate tota

erat,

Digitized by Google

etat: atqui ſi Circumciſio in remedium originalis noxę inſtituta fuerit, dicendum erit nobiliorem ejus effectum ſemper ſuppreſsum fuiſse in Scripturis. Nam Geneſ. 17. v. 10. & 11. ubi imponitur pręceptum Circumciſionis, *Circumcidetur*, ait Deus, *ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos*: porro non dicit, *Ut ſit in remedium peccati*, ſed *ut ſit in ſignum fœderis*, ejus nimirum ſingularis benevolentię, qua Deus ſtirpem Abrahę proſequebatur; cultus item religioniſque quam Deo ſpondebat gens pręceteris dilecta.

Confirm. Signum fœderis independenter a Circumciſione initi, erat ſignum juſtitię independenter ab eadem Circumciſione collatę: atqui Circumciſio erat ſignum fœderis independenter a Circumciſione initi. Nam Rom. 4. dicitur Abraham accepiſse *ſignum Circumciſionis* ut *ſignaculum juſtitiæ, quæ eſt in præputio*, ideſt quam acceperat adhuc incircumciſus. *Si autem*, ait hic Eſtius, *cui primo data eſt Circumciſio, nihil ex ea conſecutus eſt juſtitiæ, conſequens apparet nec ceteros ex ea juſtificari potuiſſe.*

Confirm. 2. Circumciſio fuit ſignum juſtitię iis omnibus collatę, quorum pater fuit Abraham: atqui Abraham fuit pater eorum etiam fidelium, qui independenter a Circumciſione fideles fuerunt; ergo Circumciſio ejus, erat ſignum juſtitię etiam independenter a Circumciſione collatæ; ergo proinde Circumciſio juſtitiam practice non efficiebat, ſed ſupponebat factam ſeu in Judæis ſeu in Gentilibus. Atque hęc ipſiſſima videtur eſſe ratiocinatio Apoſtoli, qui poſt citata verba pergit: *Ut ſit* Abraham *Pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam; & ſit Pater circumciſionis, non iis tantum qui ſunt ex Circumciſione, ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio Patris noſtri Abrahæ.*

Confirm. 3. ex S. Paulo ibid. c. 3. ubi quærenti quæ ſit circumciſionis utilitas, reſpondet: *Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita ſunt illis eloquia Dei*: atqui ſi Circumciſio in peccati remedium inſtituta eſſet, ſingularis ille effectus inter primaria ejus privilegia recenſeri debuiſſet; non autem conceſſio Legis, quæ quamvis ingens eſſet Dei beneficium, per ſe tamen mortua erat, nihilque adducebat ad perfectum; ergo cum de peccati remiſſione ſiluerit Apoſtolus, hæc non Circumciſioni aſcribenda eſt, ſed fidei, juxta id ejuſdem Apoſtoli ibid. v. 30. *Unus eſt Deus qui juſtificat Circumciſionem* ſeu Judæos *ex fide, & præputium* ſeu Gentiles *per fidem.*

Jam quod certo e Patribus erui non poſſit, an Circumciſio in originalis noxæ remedium fuerit inſtituta, paucis & evidenter probatur in hunc modum. Tunc certi nihil e Traditione erui poteſt, cum oppoſiti Patres Patribus diverſas abeunt in ſententias: atqui Patres Patribus oppoſiti circa præſentem controverſiam diverſas abeunt in ſententias. Veriſſime enim dixit Eſtius loco jam citato: *Nec facile quempiam reperias Auguſtino priorem, qui in ſignaculo Circumciſionis virtutem agnoſcat animas a peccato mundandi: tametſi hæc opinio poſt Auguſtinum, eoque, ut apparet, auctore, multum apud Latinos recepta fuerit.* Et vero Circumciſionem nihil ad juſtitiam profeciſſe tradunt Sanctus Juſtinus Dialog. cum Triphone pag. 234. ubi ſic: *Abraham Circumciſionem accepit in ſignum, non ad ju-*

ſtitiam:

ſtitiam: quemadmodum & Scripturæ, & res ipſæ nos fateri cogunt. S. Irenæus Lib. 4. c. 16. alias 30. *Circumciſionem non quaſi juſtitiæ conſummatricem, ſed in ſigno eam dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abrahæ*. Et infra: *Et quia non per hæc juſtificabatur homo, ſed in ſigno data ſunt populo, oſtendit quod ipſe Abraham ſine Circumciſione credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Tertullianus Lib. contra Judæos c. 3. *Providens Deus quod hanc Circumciſionem in ſignum, non in ſalutem eſſet daturus*, &c. Concinunt Cyprianus Lib. 1. contra Judæos c. 8. Epiphanius hæreſi 8. Chryſoſtomus Hom. 27. in Geneſim, ubi Circumciſio *ad juſtitiam nihil* conferre dicitur; Ambroſius demum, atque Hieronymus, ille Epiſt. 74. alias 72. iſte in cap. 3. ad Galatas.

Cum autem ab ea antiquiorum Patrum opinione receſſerit Auguſtinus, *eoque, ut apparet, auctore*, complures alii, puta SS. Proſper, Fulgentius, Beda, Innocentius III. in cap. *Majores*, probata manet ſecunda Concluſionis noſtræ pars, ſcilicet certum nihil & unanime in præſenti negotio colligi poſſe ex Patribus.

P. 196. Addit Tournelyus ex opinione quæ Circumciſionem in remedium originalis peccati inſtitutam docet, hæc abſurda ſequi, 1. nec feminas quæ nullatenus, nec mares, qui ante octavum diem circumcidi non poterant, ab originali noxa mundari potuiſſe; quod non patitur effuſa Dei voluntas de omnium ſalute; 2. neminem Iſraelitarum, qui per annos quadraginta in deſerto commorati ſunt, ab originali noxa mundatum fuiſſe; quandoquidem toto eo tempore obſervata non fuerit Lex Circumciſionis. His adjunge altum eſſe ſilentium de iſta Circumciſionis efficacia, tum apud peritiores Rabbinos, tum apud Joſephum Lib. 1. Antiq. cap. 12. tum & apud Philonem Judæum, qui tamen in Libro de Circumciſione plures ejuſdem cauſas recenſet.

Fatendum tamen in re quæ a ſola Dei voluntate pendet, nullam afferri poſſe rationem quæ ſatis facile non diluatur. Unde

Ad 1. reponent adverſarii exteriorem fidei proteſtationem, quæ feminis in remedium erat, maribus applicatam fuiſſe quoties hi circumcidi non poterant; idque ſuadere ſummam Dei benignitatem.

Ad 2. dicent vel Judæos in deſerto ex Dei diſpenſatione uſos eſſe naturæ remedio; vel eos gravis negligentiæ reos fuiſſe; vel denique ex iis qui in deſerto nati ſunt, neminem in eodem deſerto mortuum eſſe; unde & omnes poſtea circumciſos fuiſſe ſubindicat Liber Joſue cap. 5.

Ad 3. regerent auctoritatem S. Auguſtini, quem tot Eccleſiæ Doctores ſecuti ſunt, prævalere Philonis & Joſephi ſilentio; cum hi præſertim plura reticuerint Judaicæ Religionis myſteria, ſive quia iis haud ſatis inſtructi erant; ſeu quia eadem apud Gentes evulgari noluerint. Ne quidem enim dixerunt Circumciſionem eſſe ſignum orituri ex Abrahamo Meſſiæ, quod tamen non videbatur omittendum.

Objic. id Geneſ. 17. v. 14. *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit*, & quidem *octavo die*, ut habent Græci Codices LXX. Interpretum, Latinique non pauci, quibus utebatur Auguſtinus, *delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*. Unde ſic: Eo loci præcipitur 1. ut maſculus circumcidatur octavo die; 2. ut niſi circumciſus fuerit, deleatur anima ejus de populo, quia pactum Dei irritum fecit: atqui

hæc

hęc manifeſte oſtendunt Circumciſionem in remedium peccati originalis inſtitutam fuiſse; quemadmodum hęc phraſis: *Infans, qui baptizatus non fuerit, delebitur de populo Dei*, oſtendit Baptiſmum in ejuſdem peccati medelam inſtitutum eſse. Prob. min. pactum de quo ſermo eſt ſpectat ad infantem etiam octo dierum, & ita ad eum ſpectat, ut propter ejus violationem infans a populo Dei deleri debeat, ideſt in ęternum perire: atqui pactum quod infans violat, & violando damnari meretur, eſt ipſum pactum quod Deus inierat cum Adamo, ut vel abſtineret a fructu vetito, vel alioqui ęternę temporalique morti obnoxius fieret. Infans enim nullius alterius pacti infractor eſse poteſt; unde non poteſt cenſeri infractor pacti circumciſionis, cum pręcepti hujus omnino ſit incapax; ergo pactum de quo hic ſermo eſt, eſt ipſum pactum Dei cum Adamo. Ita Auguſtinus Lib. 16. de Civ. Dei cap. 27.

Reſp. neg. maj. hęc enim verba *octavo die*, quę in mendoſis Codicibus legebat Auguſtinus, & propter quę pactum Dei ab ipſis etiam infantibus irritum fieri, ac proinde pactum hoc, non pactum cum Abraham, ſed cum Adamo initum eſse credidit; hęc, inquam, verba aſsuta ſunt & Scripturę extranea; unde nec in vulgata editione, nec in Codicibus Hebraicis, nec in Paraphraſi Caldaica habentur, ut notat Pererius. *Perer. p. 802.* Quapropter corruente Auguſtini fundamento, ſuperſtructam ei opinionem corruere neceſsum eſt. Itaque juxta germani hujuſce textus lectionem, pręceptum Circumciſionis dirigitur ad adultos, quos capite plecti mandat Deus, ſi pactum Circumciſionis irritum fecerint, ideſt ſi ſe ſuoſve circumcidi non curent. Atque hinc Exodi 4. propter omiſsam filii Moyſis Circumciſionem, non filium, quia innocens erat, ſed patrem, quia reum Deus occidere voluit: & ſi, jubente Deo, occiſus eſset Moyſes, vaticinaretur profecto, qui eum ęternę damnationi addictum diceret ob culpam, quę in magno Dei ſervo nonniſi levi diligentię adſcribenda videretur. Unde falſum etiam eſt, quod generaliter dicit Auguſtinus, verba hęc, *Delebitur anima illa de populo ſuo*, ęternum interitum ſonare. Adi eumdem Pererium diſp. 6. in v. 13. & 14. Geneſ.

Reſp. 2. neg. min. & probationis majorem. Pactum enim quod violabant qui non circumcidebantur, eſt pactum de quo dicitur v. 10. *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos: circumcidetur ex vobis omne maſculinum;* quod quidem pactum ibidem octies nominatur; non autem eſse poteſt pactum cum Adamo, de quo ibidem ſilet Scriptura, imo quod nullibi apud eam pacti nomine vocatur: atqui pactum de quo agitur v. 10. non ſpectabat infantes, quaſi ob ejuſdem tranſgreſſionem plecti deberent, ſed ſolum ſub eo tranſgreſſionis puniendę reſpectu ſpectabat adultos, qui & ſeipſos & infantes ſuos ſub pœna mortis circumcidere tenebantur, ut patet ex eadem pœna, Moyſi ob neglectam filii ſui circumciſionem intentata; ergo.

Inſt. Verba hęc, *octavo die*, quę in falſis Codicibus legiſse ſupponitur Auguſtinus, reipſa habentur cit. cap. 17. Geneſ. v. 12. ubi dicitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis;* ergo ſtat totum Auguſtinianę ratiocinationis robur.

Reſp. neg. ant. & conſeq. neque enim hinc ſolum petita erat Auguſtini ratiocinatio, quod infans octavo die circumcidendus eſset, ſed quod omiſsa

omiſsa hac Circumciſione infans ille e populo Sanctorum deleri deberet: hanc porro comminationem quam e Codicibus ſuis bene vel male colligebat S. Doctor, non importat verſus 12. ubi ſolum precipit Deus ut infans non ante octo a nativitate dies circumcidatur, ne ferendo dolori impar ſuccumbat.

Sunt, qui ut anteriores Patres cum Auguſtino ejuſque ſequacibus concilient, fateantur Circumciſionem, nullam ex primeva ſua inſtitutione habuiſse vim juſtificandi, ſed ſolum datam fuiſse ut ſignum quo populus fidelis ab infideli ſecerneretur. Sed contendunt ſimul iidem, quod cum parvuli, ut in Lege nature, ſic & in Lege ſcripta, juſtificari debuerint per ceremoniam aliquam religioſam, que interne fidei de Chriſto venturo fidem involveret, & cujus determinatio hominum libertati a Deo permiſsa erat; Judei in locum ceremonie qua ante Circumciſionis preceptum utebantur; Circumciſionem ut fidei ſue proteſtativam elegerint quoad parvulos ante octavum diem non morientes; eodem ſemper, qui prius in uſu erat, retento ritu ſeu quoad feminas, ſeu quoad mares qui vel periclitabantur, vel ob morbum, aliudve impedimentum die octavo circumcidi non poterant. Opinionem hanc late & erudite, ut ſolet, evolvit Card. de Lugo diſp. 5. nu. 40. & ſeq.

Iſthæc conciliationis ratio id forte incommodi cuipiam habere videbitur, 1. quod, juxta ipſam, felicior quoad remiſſionem originalis noxæ fuerit Judæorum conditio, quam Chriſtianorum: hi enim ſine aqua infantes ſuos regenerare non poſſunt; illi quocumque vellent ſigno ſuos poterant regenerare; 2. quod Patres plerique ante Auguſtinum, non modo ſcripſerint Circumciſionem ex primæva ſua inſtitutione fuiſſe merum ſignum quo juſtitia non conferebatur, ſed de ea tanquam ceremonia ex ſe perpetuo ſterili, quæque nihil unquam profuerit, locuti ſint: qui autem fieri poſſit, ut Patres Synagogæ viciniores, tam contemptim loquerentur de ritu, qui, Deo ſaltem approbante, pene totam Judæorum gentem ſanctificaſſet?

Quæres an admiſsa Auguſtini ſententia, qualem admiſit ipſe, Circumciſio labem originalem deleverit ex opere operato.

Reſp. affirm. ſic enim loquitur S. Doctor Lib. 2. de nuptiis & concup. cap. 11. *Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum fidei, ita ad ſignificationem* (practicam ſcilicet, unde exemplaria quædam legunt *ſanctificationem*) *purgationis valebat & in parvulis originalis veteriſque peccati, ſicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo inſtitutus eſt*, & Lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24. *Ipſum per ſe ipſum* Circumciſionis *Sacramentum multum valebat: quod in filio Moyſi per Angelum manifeſtatum eſt*. Unde ſic: Quod per ſe ad originalis peccati purgationem valebat, ſicut ad hominis regenerationem valet Chriſtianorum Baptiſmus, illud non ſecus ac idem Baptiſmus originale peccatum delebat ex opere operato: atqui ex S. Auguſtino, &c.

Tom. 9. p. 406. Confirm. ex eodem S. Doctore Lib. 1. contra Creſconium cap. 31. ubi hæc loquitur: *Numquid apud Samaritanos circumciſus, ſi fieri tunc vellet Judæus, poſſet iterum circumcidi? Nonne illius hominis error corrigeretur, ſignaculum autem fidei probaretur?* & infra: *Cur Circumciſio & apud hære-*

hæreticos Judæorum eſſe potuit, iſte autem Baptiſmus apud hæreticos Chriſtianorum non poteſt eſſe? Unde ſic: Id quod valet independenter a merito tum Miniſtri tum ſuſcipientis, valet per ſe, ſeu ex opere operato: atqui ex Auguſtino Circumciſio valebat independenter . . . In parvulo enim, aut in adulto hæretico, qui ab hæretico alio circumciditur, nullum eſt meritum ſeu Miniſtri ſeu ſuſcipientis: atqui tamen ex Auguſtino tunc valebat hujuſmodi Circumciſio; ſicut valet collatum ab hæreticis Baptiſma; unde ſicut iſtud jam non poteſt, ſic nec illa tunc poterat iterari: corrigebatur error male credentis, ſed *probabatur ſignaculum* veræ *fidei;* ergo.

Eadem eſt S. Gregorii Magni opinio; ſic ille Lib. 4. Moral. c. 3. *Quod valet apud nos aqua baptiſmatis, hoc egit apud veteres vel pro parvulis ſola fides* exterius applicata; *vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro his qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium Circumciſionis.* Idem docere videntur Innocentius III cap. *Majores*, S. Bernardus Epiſt. 77. ad Hugonem, Beda Lib. 1. in Lucam, &c.

Ceterum ſive erraverit Auguſtinus circa vim Circumciſionis, ſive non, difficile eſt ut remedium contra originalem noxam uſurpatum ab antiquis, aliter quam ex opere operato gratiam in parvulis peperiſſe intelligatur. Vel enim opus operantis vi cujus iidem juſtitiam obtinuiſſe fingentur, conſiſtebat in actu parvulorum; vel in actu aliorum a parvulis, puta parentum, aut Miniſtrorum: atqui neutrum dici poteſt. *Grand. p. 63.* Non 1. quia parvuli actus proprii incapaces ſunt. Non 2. tum quia alioqui valde incerta fuiſſet originalis peccati remiſſio, cum facile parentes aut Miniſtros actuali fide carere contingat; tum quia vel actus ille fidei, fuit actus fidei informis, vel actus fidei per charitatem formatæ. Si actus fidei informis, ut volunt adverſarii, quæro cur actus ille qui eum a quo elicitur, juſtificare non poteſt, alium ab ipſo, puta infantem, juſtificare poſſit? Utique quod nullam cum propria juſtificatione proportionem habet, nullam a fortiori cum alterius juſtificatione proportionem habere poteſt. Si actus ille, actus fuiſſe dicatur fidei formatæ, quæram 1. qua ratione actus qui nunc in alio gratiam producere non valet, ad id valuerit ſub Lege ſcripta. Quæram 2. an fidei formatę actus iis a quibus eliciebatur profuiſſet ad obtinendum gratiæ augmentum, an non. Si non, ergo vir juſtus nihil ex opere undecumque bono ſibi merebatur gratiæ, quod abſurdum eſt: ſi ſic, ergo cum parentes jam boni ſui operis fructum accepiſſent; & aliunde duplex non ſit ejuſdem actus prę mium, id quod parvulis ex bona ſuorum parentum actione conceſſum eſſet, ex Dei liberalitate potius quam ex opere operantis conceſſum fuiſſe cenſeri deberet.

At, inquies, argumenta hæc probant quidem remedium naturæ, vel Circumciſionem in mente Auguſtini, fuiſſe conditiones ſine quibus gratia non producebatur; ſed non probant ea gratiam ex opere operato produxiſſe. Et vero ſi id admittatur, peſſime conſultum erit Decreto Eugenii IV. ſecundum quod Legis Moſaicæ Sacramenta, ac proinde Circumciſio, *gratiam non cauſabant.*

Reſp. eſſe quidem Theologos, qui remedium naturę, & Circumciſionem nolint fuiſſe veras gratiæ cauſas, ſed tantum conditiones ſine quibus non conferebatur eadem gratia. Ratio eorum præcipua eſt, quod quid-

quid ex opere operato gratiam producit, quodammodo continere debeat pretium gratię, quam vi ſolius ſuę applicationis producit; item & eſſe quadantenus actio Chriſti, quę qua talis vim habeat ad movendum Deum: atqui, inquiunt poſt S. Thomam 3. p. q. 62. art. 6. id non conveniebat Circumciſioni, aut remedio naturę; hęc enim nec Chriſti nondum nati actiones eſſe poterant, nec Chriſti nondum paſſi merita & pretium involvere; ergo. Ita cum aliis pluribus Grandin p.64 & Lugo diſp. 5. n.61.

Verum ſolutio hęc haud difficile confutabitur ab iis, qui cum Auguſtino Circumciſionem originalis noxę medelam fuiſſe volent. Nam 1. S. Doctor, ejuſque ſequaces de Circumciſione loquuntur perinde ac de Baptiſmo; ac proinde parem utriuſque efficaciam eſſe decernunt; 2. ſi antiqui Judęi per Meſſię aliquando venturi & paſſuri merita juſtificati ſint; quidni ritus per quos Deus parvulis ſuccurri voluit, Chriſti merita involviſſe, & ideo prævię ejuſdem Chriſti actiones fuiſſe dicantur? Certe ſi *agnus ab origine mundi occiſus eſt*, potuit ab origine mundi operari.

Neque ex hoc Auguſtini ſyſtemate quidquam detrimenti patitur Eugenii IV. Decretum. Is enim Pontifex nonniſi *antiquæ Legis* Sacramentis efficaciam ademit: atqui Circumciſio, quę quadringentis ad minus annis ante Legem ſancita erat, non fuit Sacramentum antiquę Legis, ſed
Apoc.13. Legis naturę: unde id Chriſti apud Joannem 7. v. 22. Circumciſio *non ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus;* ergo.

Circa ceteras quę hic moveri poſſent quęſtiones adi Lugo cit. diſp. 5. ſect. 4.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Charactere.

Character in genere eſt ſignum aliquod ſeu ſigillum, quo notatur res quępiam, vel ut ab aliis diſcerni poſſit, & ſic notantur pecora ſigno domini ſui, ut cujus ſint intelligatur; vel ut nonnihil cum alia habeat ſimilitudinis, & ſic plagis Chriſti ſignatus eſt B. Franciſcus, ut Chriſto e cruce pendenti quadantenus aſſimilaretur; vel ut certum habeat valorem in æſtimatione hominum, & ſic inuritur monetæ ſigillum Principis; vel ut ſignificetur ejus ad certum ſtatum aut officium deputatio, & ſic olim qui militiæ aſcripti erant, militari quodam ſigno notabantur in corpore. Unde & exemplum iſtud ſæpe uſurpat Auguſtinus, ut Epiſt. 185. c.7. & Lib. 1. contra Creſconium c.30.

Character ſacramentalis definitur Signum in anima indelebiliter impreſſum, per quod Chriſtianus homo ab aliis diſtinguitur, fitque idoneus ad nonnulla quæ ſunt cultus divini, puta in Baptiſmo ad recipienda alia Sacramenta, in Confirmatione ad profitendam fidem, in Ordine ad obeundas Eccleſiaſtici ſtatus functiones. Hæc definitio ex dicendis utcumque eluceſcet.

Circa characterem quæruntur tria, 1. an & per quæ Sacramenta imprimatur; 2. quæ præcipue ſit ratio ejus conſtitutiva; 3. quæ ejuſdem proprietates. Et hæc nos quidem quam licebit breviter expediemus.

S E-

SECTIO PRIMA.

An & per quæ Sacramenta imprimatur character.

CHaracteris exiſtentiam primus omnium negavit Wiclefus Lib. 4. Trialogi cap. 15. prout refert Thomas Waldenſis Tom. 2. de Sacramentis cap. 109. Wiclefum, qua ſolent facilitate ſecuti ſunt Lutherus, Calvinus & utriuſque diſcipuli, quos inter Kemnitius Innocentium III. characteris hujus Patrem & inventorem eſſe fabulatur. Adi Bellarminum Lib. 2. de Sacram. c. 18. Sit

CONCLUSIO I. Datur character ſacramentalis. Eſt de fide.

Prob. Illud dogma admitti debet, quod & in Scripturis inſinuatum, & confirmatum a Traditione, tandem definitum eſt ab Eccleſia: atqui tale eſt dogma de quo loquimur.

1. quidem inſinuatum eſt in Scripturis. Sic enim loquitur Apoſtolus II. Cor. 1. v. 21. *Qui unxit nos Deus, & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Epheſ. 1. *In quo*, Chriſto, *credentes ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ;* & cap. 4. v. 30. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis:* atqui ſignaculum de quo loquuntur citati textus, non incongrue intelligitur de ſignaculo characteris; tum quia diſtinguitur a ſignaculo gratiæ; *Unxit nos*, en operatio gratiæ, *& ſignavit*, en impreſſio characteris; tum quia Patres qui ſignaculum hoc de unctione per gratiam explicant, interpretationem noſtram non excludunt, nec rarum eſt ut eadem Scripturæ vox bifariam & quidem litteraliter intelligatur; tum quia ſancti Doctores qui characterem admiſere, ad prædictos Apoſtoli textus alluſiſſe videntur; imo ex iis aliqui citata loca cap. 1. & 4. ad Epheſ. de charactere diſerte explicant, ut Chryſoſtomus Hom. 1. & 14. OEcumenius, & Theophilatus. Quin & id notandum cum Valentia diſp. 3. q. 4. & Sairo Lib. 4. cap. 1. art. 4. S. Paulum hic alloqui Chriſtianos omnes etiam improbos, ac proinde homines ſignaculo gratiæ deſtitutos, ut ex ejus diſcurſu apparet.

2. idem dogma confirmatum eſt a Traditione Patrum, quos fuſe expendit Bellarminus ibid. cap. 21. nos aliquot proferemus. S. Cyrillus Præfatione in Catecheſes: *Baptiſma*, inquit, *captivitatis liberatio, peccatorum remiſſio, mors peccati, animæ regeneratio .·. ſignaculum ſanctum & indelebile:* ubi ſignaculum Baptiſmi manifeſte diſtinguitur, tum a gratia quæ regenerat, tum ab externo ablutionis ritu, qui certe indelebilis non eſt. Gemina ſunt quæ ſcribit S. Doctor Catech. 4. 16. & 17.

S. Ambroſius Lib. 1. de Spir. S. *Etſi*, ait, *ſpecie ſignemur in corpore, veritate tamen ſignamur in corde.* Et cap. 7. *Repete quia accepiſti ſignaculum ſpiritale;* ergo juxta S. Doctorem non exterius ſolum, ſed ſpiritaliter & in corde conſignatur homo Chriſtianus: hæc autem ſpiritalis conſignatio, idipſum eſt quod per characterem intelligimus.

S. Auguſtinus Tract. 6. in Joan. *Tene*, inquit, *quod accepiſti, non mutatur, ſed agnoſcitur: character eſt Regis mei, non ero ſacrilegus: corrigo deſertorem, non muto characterem.* Idem Epiſt. 185. alias 50. nu. 43. hanc reddit rationem, cur Donatiſtam non rebaptizet: *Non facio injuriam chara-*

Digitized by Google

ſteri Imperatoris, cum errorem corrigo deſertoris. & Lib. 6. contra Donatiſtas cap. 1. *Satis elux.t Paſtoribus Eccleſiæ Catholicæ toto Orbe diffuſæ .·. etiam ovem quæ foris errabat, & Dominicum characterem a fallacibus deprædatoribus ſuis foris acceperat, venientem ad Chriſtianæ unitatis ſalutem, ab errore corrigi .·. characterem tamen Dominicum in ea agnoſci potius quam improbari*. & Lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani cap. 13. *An forte minus hærent Sacramenta Chriſtiana, quam corporalis hæc nota*, militaris character : *cum videamus nec apoſtatas carere Baptiſmate, quibus utique per pœnitentiam redeuntibus non reſtituitur, & ideo amitti non poſſe judicatur*.

Concinunt S. Chryſoſtomus ubi ſupra, & Epiphanius hær. 8. ubi docent fideles *in anima ſignari per Baptiſmum, quomodo Judæi in corpore per Circumciſionem ſignabantur*.

Ex iis omnibus ſic in forma : Per characterem nihil aliud intelligit Eccleſia, quam ſignum animæ impreſſum, eique indelebiliter inhærens, vi cujus homo Chriſto addictus ab alio ſecernitur : atqui ex citatis textibus patet ſignum hoc admiſſum fuiſſe a SS. Patribus. Ubi enim agnoſcitur nota indelebilis, nota quæ in ipſa hæreſi ſuſcipitur, nota qua ne ipſi quidem apoſtatæ carent, nota quæ tam diſcernit fideles ab infidelibus, quam milites a non militibus nota militari, aut Judæos a non Judæis Circumciſio ; ibi indubie ſignum ſpiritale & indelebile de quo loquimur : atqui in citatis Patrum textibus agnoſcitur nota indelebilis, nota quæ in ipſa etiam hæreſi imprimitur, &c. ergo.

Confirm. Ex Auguſtino, Baptiſmus manet in baptizatis, & ita manet, ut ne ab iis quidem amitti poſſit qui a fide deficiunt : atqui Baptiſmus in hujuſmodi baptizatis non aliter quam ratione characteris manere poteſt. Vel enim in iis manet ratione ſui, vel ratione gratiæ ſanctificantis, vel demum ratione characteris. Non 1. quia cum Baptiſmus in actione tranſeunti conſiſtat, non poteſt in ſe permanere. Non 2. quia gratia ſanctificans amitti poteſt, & de facto amittitur ab apoſtatis; ergo ſupereſt ut in his maneat Baptiſmus ratione characteris ; quatenus eo permanente & ipſe Baptiſmus moraliter permanere cenſetur.

3. Demum idem de charactere dogma ab Eccleſia definitum eſt, nimirum in Conciliis Florentino & Tridentino, quorum verba adducemus in Concluſione ſequenti. Idem diu ante tradiderat Innocentius III. cap. *Majores*, *De Bapt.* non inveniendo novum dogma, ut mentitur Kemnitius, ſed ratam & certam apud omnes ævi ſui Doctores ſententiam exhibendo; etſi enim dubitabant eorum aliqui, an in Baptiſmate per vim recepto imprimeretur character, nemo tamen eum in alio quocumque Baptiſmo imprimi hactenus negaverat.

Prob. 2. Conſtat ſemper ſervatum fuiſſe in Eccleſia, ut Sacramenta quædam iterarentur, quædam minime : atqui vix alia diſcriminis hujus ratio reddi poteſt, niſi quod hæc characterem indelebilem pariant, illa vero nonniſi gratiam ſanctificantem ; quæ cum amitti poſſit, & ſæpe amittatur, æquum fuit ut hæc Sacramenta quæ nec in ſe, nec in ullo ſui effectu permanent, poſſent iterari ; ergo.

Obiit an. 1205. Objic. 1. Opinio cujus epocha & nativitas aſſignari poteſt, inter fidei articulos computari nequit : atqui aſſignari poteſt epocha opinionis quæ characterem aſtruit. Opinionis enim ante Petrum Pictavienſem Theologis

Digitized by Google

logis ignotæ epocha aſſignari poteſt: atqui opinio quæ characterem admittit, Theologis omnibus ante Petrum Pictavienſem fuit prorſus ignota. Nempe vero nihil de charactere habet Magiſter Sententiarum, nihil Hugo Victorinus: nihil Albertus Magnus, niſi quod in 4. diſt. 6. art. 4. docet vix quidpiam in ſcriptis SS. Patrum de charactere inveniri. Alberto conſonat Gabriel Biel, juxta quem *nec ratio neceſſaria, nec evidens auctoritas probat characterem eſſe ponendum*: neque ab his plurimum differt Scotus ibid. q. 9. ubi characterem propter ſolam Innocentii III. & Eccleſiæ Romanæ auctoritatem admittendum eſſe docet. Hinc ore rotundo fatetur Cajetanus in 3. p. q. 63. art. 1. neque ex Scripturis, neque ex SS Patribus, ſed ex ſola Eccleſiæ auctoritate, & quidem non multum antiqua, colligi poſſe characterem per aliqua Sacramenta imprimi; ergo. *Biel in 4. d. 6. q. 2.*

Reſp. ad 1. & 2. neg. min. ad 3. neg. ant. veteres enim Theologi non tam de exiſtentia characteris diſputarunt, quam de ratione ejus conſtitutiva, vel de argumentis quibus idem character probari poſſit. Et vero characterem, non ipſo quidem characteris nomine, ſed ſub alio æquivalenti agnovit Magiſter Sentent. Lib. 4. diſt. 7. *Utrumque*, ait loquens de Baptiſmo & Ordine, *Sacramentum eſt, & quadam conſecratione datur .·. ideoque in Eccleſia Catholica utrumque non licet iterari .·. quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum eſt*. Quid, quæſo, a charactere differt conſecratio illa ob quam prædicta tria Sacramenta iterari non poſſunt? non ergo novum finxit dogma Petrus Pictavienſis, ſed Magiſtri ſui, cui ſumma cum laude per annos prope 40. in Cathedra Pariſienſi ſucceſſit, mentem tenuit & diſtinctius enucleavit; prout & fecit paulo poſt Guillelmus Pariſienſis Antiſtes, qui floruit an. 1240. iis autem ſummo conſenſu inhærere ceteri Scholæ Doctores.

Quod ad Albertum, Bielem, Scotum & alios pertinet, ii characteris ſubſtantiam non impugnant, ſed ſolum docent, quod & nos fatemur, nec ex Scriptura nec ex Patribus ſatis colligi eum ſitum eſſe in qualitate abſoluta, prout eo tempore cenſebant Theologi quidam. *De charactere*, ait Albertus Magnus, *in ſenſu quo Magiſtri diſputant de eo, pa um invenitur in dictis Sanctorum*. *Characterem*, ait G. Biel, *eſſe qualitatem abſolutam animæ impreſſam, nec ratio neceſſario demonſtrat, nec evidens auctoritas probat*. Porro qui characterem in ratione qualitatis abſolutæ ex Scriptura vel Patribus probari poſſe negant, non ideo exiſtentiam ejus inficiantur, ut ſcite probat Illuſt. Cenomanenſium Epiſcopus in Paſtorali Documento an. 1727. adverſus Petrum Franciſcum le Courayer e Canonico Regulari hodie Oxonienſis Academiæ Doctorem. Hinc Biel ibid. *Aſſertio characteris*, inquit, *eſt magis conſona determinationi Eccleſiæ*. Porro, ait idem, *credita quæcumque ſufficienter probantur per determinationem Eccleſiæ, etiamſi illa non determinate habeantur ex Scripturis; quia Eccleſia non poteſt errare*. Eadem ferme eſt definitio Scoti, qui ſic loquitur in 4. diſt. 6. q. 9. num. 16. *Teneatur Concluſio* characterem admittens, *propter auctoritatem Eccleſiæ*. *P. 73.*

Hinc patet minus conſiderata eſſe verba Cajetani, quæ in objectione adducta ſunt. Et vero ſi characteris quoad ſubſtantiam exiſtentia, neque ex Scripturis neque ex Patribus erui poſſit; unde ergo dogma illud hauſere Concilia Florentinum & Tridentinum? An, inquit Tournelyus,

nova Eccleſiæ revelatio facta eſt? nequaquam profecto. Hinc etiam durum eſt iſtud Scoti: *Inter auctoritates Sanctorum ſecundum iſtam ſignificationem characteris, de qua loquimur, non videtur multæ auctoritates expreſſæ.*
Henno Id tamen emollit Henno cum textus Patrum licet in ſe minus perſpi-
tom. 7. cuos, vult juncta Traditione eſſe *concludentes:* quia, inquit, per Tradi-
p. 188. tionem habemus Patres tenuiſſe characterem ad ſenſum noſtrum, licet propter nominis æquivocationem non pateat evidenter, quo determinate loco illum docuerint. De hac Traditione quæ a Patribus diſtincta Patres explicare dicitur, alibi forte diſcurremus.

Inſt. Abſurdum eſt admittere, & a fortiori definire exiſtentiam rei, cujus ignoratur natura: atqui poſita reſponſione noſtra admiſerunt antiqui exiſtentiam characteris, neſcientes quid eſſet; & exiſtentiam hanc definiit Eccleſia; ergo.

Reſp. neg. maj. nam admittebat Auguſtinus exiſtentiam temporis, nec tamen dicere poterat quid eſſet, ut patet ex Lib. 11. Confeſs. c. 14. admittimus quoque originale peccatum, & gratiam ut ens ſupernaturale, & tamen plus dividimur circa eſſentiam utriuſque, quam circa characteris quidditatem. Denique verbi divini generationem admittunt ceteri præter Socinianos Chriſtiani; & tamen *generationem ejus quis enarrabit?*

Objic. 2. Ideo characterem per aliqua Sacramenta imprimi contendimus, quia hæc Sacramenta iterari non poſſunt: atqui hæc probatio duplici ex capite nutat: 1. quia in ea vitioſus occurrit circulus; cum characterem ex initerabilitate alicujus Sacramenti, & initerabilitatem ejuſdem Sacramenti ex charactere per eum impreſſo colligere ſoleamus; 2. quia falſum eſt ea quæ iterari non poſſunt, imprimere characterem; cum conſecratio Calicis & Eccleſiæ, imo Tonſura & Matrimonium iterari non poſſint, & tamen characterem non imprimant; ergo.

Reſp. 1. neg. maj. nam agnoſcimus quidem, Sacramenta quæ characterem imprimant, iterari non poſſe, ſed non recurrimus neceſſario ad hanc initerabilitatem, ut characterem probemus, prout ex prima noſtra probatione liquet. Imo deſumptam ab initerabilitate probationem convellit Lugo diſp. 6. n. 5.

Reſp. 2. neg. min. ad 1. 2. nego hic eſſe vitioſum circulum. Is enim ut occurrat, neceſſum eſt ut idem ex eodem ſecundum eumdem reſpectum probetur: id autem non habet locum in probatione de qua agimus. Qui enim characterem probat ex initerabilitate, cauſam probat ex effectu; qui vero initerabilitatem colligit ex charactere, effectum probat ex cauſa. Sic qui diei lumen percipit, ſolis ortum probat tanquam cauſam ex effectu; contra vero cæcus, qui ſcit ſolem hodie oriri hora quinta, inde infert paulo poſt diem illuceſcere, & ſervos ad operam vocat, adeoque effectum colligit ex cauſa.

Ad 2. 2. conſecratio Calicis & Eccleſiæ ſunt extra rem; cum res inanimæ characteris ſpiritualis incapaces ſint. Tonſura vero etſi non ſolet iterari, nam iteratam ſcio, poſſet abſolute iterari, ſi ſic videretur Eccleſiæ, cujus a nutu pendet totus ejus valor. Quod ad Matrimonium attinet, ex ſe iterari poteſt cum diverſis perſonis, quod ſufficit ut characterem non imprimat. Imo an ex natura rei indiſſolubile ſit, res eſt controverſa, quam expendunt Theologi, ubi de libello repudii.

Objic.

Digitized by Google

Objic. 3. Quod nullius utilitatis eſſe poteſt, admitti non debet: atqui character nullius eſſe poteſt utilitatis. Vel enim inſerviret ad ſanctificationem; & hoc non, cum ſupponatur manere in peccatoribus: vel ad diſtinctionem, & neque hoc; cum non indigeat Deus vel Angelus nota hac ut baptizatum ſecernat a non baptizato; nec per eam fidelem ab infideli ſecernere poſſit homo, cum character ſit aliquid ſenſibus impervium: vel ad deputationem ad certa munia, quod etiam dici non poteſt, cum Sacerdotes Levitici ad ſacra Religionis officia citra characterem deputati ſint, ut docet Vaſquez; vel ſaltem deputari potuerint, ut omnes confitentur; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. & ad 2. dico characterem variis de cauſis imprimi: 1. quidem ut Deus hominem ſibi ſpecialiter vindicet tanquam domeſticum, non qualemcumque, ſed Filii ſui jam paſſi nota & ſigillo conſignatum; 2. ut poſt mortem maneat in Beatis ad gloriam tanquam animæ ornatus; & in reprobis ad opprobrium tanquam impietatis & conculcati Chriſti ſanguinis exprobratio; 3. ad deputationem, quæ tametſi per denominationem extrinſecam fieri abſolute poterat, ut forſitan facta eſt in antiqua Lege, dignius tamen & congruentius fit per ſignum indelebile. Et vero an non decebat ut Miniſtri Sacerdotii æterni, ſigno quadantenus æterno conſignarentur?

Inſt. Si character maneat in Beatis ad ornatum neceſſe eſt ut character ſit quædam perfectio; ſi vero in reprobis maneat ad opprobrium, neceſſe eſt ut a dæmonibus agnoſci poſſit: atqui utrumque falſum eſt. Primum quidem, quia Chriſtus qui characterem non habuit, caruiſſet perfectione: ſecundum vero, quia character eſt ens ſupernaturale, quod ut tale a dæmonibus percipi non poteſt.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 1. 2. ſunt qui Chriſtum charactere donatum velint, non quidem Baptiſmi ſui, utpote qui ſolum Joannis Baptiſma receperit, ſed Sacerdotii, vi cujus conſtitutus ſit Sacerdos in æternum. Hæc tamen opinio rejicitur tum a S. Thoma in 4. diſt. 4. q. 1. art. 3. q. 5. tum a pleriſque poſt ipſum Theologis. Unde dicendum cum Sairo Lib. 4. cap 1. q. 2. characterem eſse quidem perfectionem, ſed militis, ſervi, membri & ovis: porro Chriſtus Salvator, non eſt miles, ſed Dux; non ſervus, ſed Magiſter; non membrum, ſed Caput ſupremum gregis; non ovis, ſed Paſtor.

Ad 2. 2. haud dubium eſt quin Deus characterem Chriſtianorum dæmonibus manifeſtare poſſit: ſi autem poteſt, quidni facere credatur? cum hinc præſertim malos Chriſtianos torqueri conveniat, quod e militibus Chriſti fecerint ſe milites diaboli.

Conclusio II. Baptiſmus, Confirmatio & Ordo characterem imprimunt, non alia Sacramenta.

Prob. 1. pars, 1. ex Decreto Eugenii IV. ubi ſic: *Inter hæc Sacramenta, tria ſunt, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem imprimunt in anima*: 2. ex Tridentino Seſs. 7. c. 9. his verbis: *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, unde ea iterari non poſſint; anathema ſit*; 3. ex unanimi veterum Magiſtrorum conſenſu, qui acceptam hanc a prædeceſſoribus ſuis veritatem ad nos

tranſmiſere; & licet de natura characteris diſputaverint, nuſquam tamen de ejus exiſtentia dubitaverunt, ut ex dictis conſtat, & ex Sancto Thoma in 4. diſt. 4. q. 1. art. 1. q. 1.

Prob. 2. ex S. Auguſtino Lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani cap. 13. ubi hæc habet: *Utrumque*, nempe Baptiſmus & Ordo *Sacramentum eſt*, *& quadam conſecratione utrumque homini datur*, *illud cum baptizatur*, *iſtud cum ordinatur*; *ideoque in Catholica* Eccleſia *utrumque non licet iterari*. Idem docet S. Pater de Confirmatione ibid. c. 104. atqui, ut jam obſervavimus, conſecratio ex qua initerabile redditur Sacramentum, idem eſt cum charactere; ergo.

Confirm. Si ordo characterem non imprimat, poteſt quis ex Sacerdote fieri laicus; quia in eo Sacerdotium mera erit deputatio exterior, quæ ut ab hominibus datur, ſic & ab iis auferri poterit: atqui falſum eſt & ridiculum conſequens, quidquid hac in parte deliraverint Proteſtantes: Unde Tridentinum cujus deciſionis æquitatem alibi vindicabimus, Seſs. 23. Can. 4. hæc habet: *Si quis dixerit* .·. *eum qui Sacerdos ſemel fuit*, *laicum rurſus fieri poſſe*; *anathema ſit*.

Ratio a priori, qua ſimul probatur ſecunda pars; eſt voluntas & inſtitutio Chriſti, quæ ſic ſuaderi poteſt. Ea Sacramenta & ſola characterem imprimere debent, quæ conſtituunt hominem in novo ſtatu, ac gradu ſpeciali, eoque de ſe conſtanti & perpetuo: atqui prędicta dumtaxat Sacramenta, non autem alia hominem conſtituunt in novo ſtatu .·. Homo enim per Baptiſmum aſcribitur in familiam Chriſti, & idoneus efficitur qui omnia Eccleſię Sacramenta & bona participet. Per Confirmationem aſcribitur in militiam Chriſti, ut ex officio pugnet contra hoſtes fidei & dęmones. Per Ordinem denique aſcribitur Miniſtris Chriſti, & poteſtatem accipit bona illius aliis diſpenſandi: atqui triplex hęc aſcriptio hominem conſtituit in novo ſtatu qui de ſe conſtans eſt & perpetuus. Neque enim hodie ſolum, ſed ſemper idoneus eſſe debet baptizatus ad ſuſcipienda Sacramenta, confirmatus ad vindicandam fidem, ordinatus ad diſtribuenda fidelibus Sacramenta, niſi ipſe his muniis obicem ponat.

Jam vero idem de aliis Sacramentis dici non poſse patet, quia ſicut in politicis novum non recipit ſtatum, qui comedit ſolum in familia Regis, vel poſt offenſam reconciliatur domino, vel ab ęgritudine ſanatur, vel Regi ſubditos procreat, ſic nec proprie in novo conſtituitur ſtatu qui Euchariſtia ſpiritualiter reficitur, aut ſanatur Pœnitentia, aut per Unctionem morientium inungitur ad agonem, aut per Matrimonium munitur contra concupiſcentiam, & conjugii onera. Equidem qui connubio junguntur, novum inire dicuntur ſtatum: verum ſtatus ille de ſe conſtans non eſt & perpetuus; cum ubi deceſſit conjugum alter, alter ad alium ſtatum plane diſparem liber maneat.

Objiciuntur tria, 1. quod homo per omnia novę Legis Sacramenta particeps fiat Sacerdotii Chriſti: ubi porro eſt participatio Sacerdotii Chriſti, ibi & characterem eſſe oportet; 2. quod ideo Ordo characterem imprimere dicatur, quia per Ordinem deputatur homo ad cultum Dei: porro nullum eſt Sacramentum, quo non deputetur homo ad cultum

Dei;

Dei; 3. quod in omni Legis novæ Sacramento ſit aliquid quod eſt res tantum Sacramenti, & aliquid quod eſt Sacramentum tantum, & aliquid quod eſt res & Sacramentum: atqui dempto charactere nihil eſt quod ſit res ſimul & Sacramentum; ergo.

Reſp. ad 1. diſt. per omnia Sacramenta ſit homo particeps Sacerdotii Chriſti, id eſt aliquem ejus effectum percipit, C. id eſt deputatur ad obeunda Sacerdotii ſtricte ſumpti munia, N.

Reſp. ad 2. neg. min. quamvis enim Sacramenta omnia habeant aliquid cultus divini, nulla tamen ſunt præter tria recenſita, quæ ſpecialem divini cultus exercendi poteſtatem tribuant. Eucharistia enim, Pœnitentia, Extrema Unctio & Matrimonium, ad ſolum ſuſcipientis bonum, vel ejus peccati emendationem ordinantur: at vero Baptiſmus, Confirmatio & Ordo longe aliam tribuunt poteſtatem exercendi cultus divini, ſeu agendo ſeu patiendo: Baptiſmus enim dat poteſtatem ſuſcipiendi alia Sacramenta; Confirmatio dat vim pro Chriſto pugnandi, ejuſque fidem profitendi coram tyrannis; Ordo demum dat poteſtatem vel offerendi Sacrificii, vel miniſtrandi relative ad illud.

Reſp. ad 3. *quod licet* in Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine *character ſit res & Sacramentum, non tamen oportet id omne quod eſt res & Sacramentum, eſſe characterem.* Ita S. Thomas 3. p. q. 63. art. 6. ad 3. Pro ſolutionis intelligentia.

Not. tria diſtinguunt Theologi in Sacramentis Legis novæ, nempe aliquid quod ſit Sacramentum tantum, aliquid quod ſit res tantum, & aliquid quod ſit res ſimul & Sacramentum. Per Sacramentum tantum illud intelligunt in præſenti, quod ſignificat & non ſignificatur; per rem Sacramenti id quod ſignificatur & non ſignificat, ac denique per rem ſimul & Sacramentum id quod ſignificat & ſignificatur.

Hæc diſtinctio, quæ qua admittitur facilitate, & eadem poſſet rejici, cum nullum in Patribus fundamentum habeat, ut notat Lugo diſp. 2. nu. 143. haud ægre concipitur in Sacramentis characterem habentibus: ibi enim materia & forma ſunt Sacramentum tantum, quia characterem aliosque effectus ſignificant, & ipſæ non ſignificantur: ibi quoque gratia eſt res Sacramenti, quia ſignificatur & non ſignificat: ibi demum character dici poteſt res & Sacramentum, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur a Sacramento. In Euchariſtia quoque ſpecies ſunt Sacramentum tantum, quia ſignificant corpus Chriſti & gratiam, & non ſignificantur; gratia eſt res tantum, quia ſignificatur & non ſignificat; denique corpus Chriſti eſt res ſimul & Sacramentum, quia ſignificat gratiam, & ſignificatur a verbis & ſpeciebus. Demum in Matrimonio verba vel nutus contrahentium ſunt Sacramentum tantum, gratia ſacramentalis eſt res tantum, & indiſſolubilitas Matrimonio fidelium annexa, eſt res & Sacramentum, quia ſignificatur per materiam & formam, & rurſus ſignificat gratiam ac unionem Chriſti cum Eccleſia, aut Verbi divini cum natura humana.

Major eſt difficultas quid in Sacramentis Unctionis-Extremæ & Pœnitentiæ pro re ſimul & Sacramento aſſignari poſſit. Quod ad Extremam-Unctionem ſpectat, cenſent ſatis communiter Doctores confortationem animi contra labores ægritudinis eſſe rem ſimul & Sacramentum;

quia

quia robur illud & a Sacramento ſignificatur atque producitur ſaltem aptitudinaliter, & ſignum eſt ſanitatis animæ. Gravior eſt de Pœnitentia diſceptatio. Thomiſtæ pro re & Sacramento admittunt contritionem, quia ſignificatur per Confeſſionem; & ſignificat atque parit gratiam: at modum hunc pluribus impugnat Lugo, & cenſet animæ pacem eſſe id quod in Pœnitentia res ſit & Sacramentum. Verum de his quæ obſcuritatis plurimum, parum amœnitatis, utilitatis nihil habent, penes alios eſto judicium.

SECTIO SECUNDA.

De eſſentia Characteris.

Circa characteris eſſentiam mirum quam dividantur Theologi. Alii cenſent eum ſitum eſſe in relatione rationis, ſeu externa denominatione per quam deputatur homo ad ſacra quædam munia, active vel paſſive; quo ferme modo pretium nummi per ſolam externam Principis voluntatem ſine ullius entitatis acceſſu augetur: ita Durandus. Alii eumdem reponunt in relatione reali; alii in entitate abſoluta, &c.

Novam iniit viam Petrus F. le Courayer in Libro cui titulus, *Defenſe de la diſſertation ſur la validite des Ordinations des Anglois*, edito an. 1726. Sic ille Tom. 2. p. 68. *Ils croient*, les Anglois, *que l' Ordination ne ſe reitere point; & de l' initerabilite au caractere, il n' y a pas d' autre diſtance, que celle d' une idee qui ſe concoit, a une expreſſion ſans idee.* & p. 180. *La queſtion de la reiteration des Sacremens conferes hors de l' Egliſe, eſt une pure queſtion de diſcipline. Si la pratique de l' Egliſe changeoit, il faudroit neceſſairement en revenir a croire, que comme un Sacrement confere ſelon un rit eſſentiellement altere n' imprime point de caractere, il n' en imprimeroit pas davantage, s' il etoit confere hors de l' Egliſe.* Hic duo docet temerarius Scriptor, 1. characterem in ipſa Sacramenti initerabilitate ſitum eſſe; 2. penes Eccleſiam eſſe ut Sacramenta ab Hæreticis aut Schiſmaticis collata iteret, proindeque ut hæc characterem non imprimant; quia eſt totum id merum diſciplinæ punctum, circa quod aliud aliis temporibus conſtituere poſſit Eccleſia.

Poſterioris hujus articuli errorem facile deprehendet quiſquis quæ a nobis de celebri Rebaptizationis quæſtione dicta ſunt, aſſecutus fuerit. Ibi nempe oſtenſum eſt haud rejectam S. Cypriani opinionem, quia ſic pro libito judicaverit Eccleſia, ſed ita judicaſſe Eccleſiam, quia ſic ob Traditionis auctoritatem judicare debuit. Unde & id rurſus deductum eſt, erraſſe Cyprianum, ſi Rebaptizationis controverſiam, merum punctum diſciplinæ caput eſſe crediderit.

Quod ſpectat ad primam ejuſdem Auctoris propoſitionem, ſapiet hæc quidem iis qui cum Fratre Paulo, & Oxonienſi Doctore Synodum Tridentinam deſpicatui habebunt; at vel inde omnibus vere Catholicis exoſa erit. *Si quis*, ait Concilium, *dixerit in tribus Sacramentis* ∴ *non imprimi characterem* ∴ *unde ea iterari non poſſunt; anathema ſit*; ergo aliud eſt character *unde* fluit initerabilitas, aliud initerabilitas, quæ fluit e charactere. Quapropter prædictam Courayeri propoſitionem proſcri-

Supra p. 447.

pſit

pſit extraordinarius, qui an. 1727. Pariſiis habitus eſt Cleri Gallicani Conventus. Hac igitur neglecta opinione, ſit

CONCLUSIO I. Character non eſt mera rationis relatio, ſeu denominatio extrinſeca.

Prob. 1. Character ex omnium confeſſo eſt ſignum animæ indelebiliter impreſſum: atqui ſignum hujuſmodi in denominatione pure extrinſeca conſtitui non poteſt. Quod enim inhæret animæ, eique imprimitur, mentem afficit interius: atqui denominatio pure extrinſeca, non afficit mentem interius; quia alioqui non eſſet extrinſeca; ergo.

Confirm. Character eo uſque indelebilis eſt, ut in ipſis etiam reprobis perſeveret, prout communiter docent Magiſtri teſte Lugo diſp. 6. nu. 70. atqui nulla in reprobis manet deputatio extrinſeca ad ſacras functiones, ergo.

Prob. 2. Admitti non debet opinio, qua poſita inanis fit & caduca Tridentini Concilii definitio: atqui poſita Durandi opinione ∴ Scilicet enim definiit ſacra Synodus contra Novatores characterem eſſe aliquid animæ impreſsum: atqui admiſsa Durandi opinione definitio iſthæc jam non ferit Novatores. An ii enim negarunt uſquam Miniſtros deputari ad functiones miniſterii, idque vi poteſtatis a Chriſto acceptæ? an negare potuerunt ex deputatione hac novam enaſci in homine denominationem extrinſecam? ergo haud excedere videntur juſtæ cenſuræ metas, qui Durandi opinionem, cum primum adinventa eſt, temerariam, hodie vero erroneam eſse contendunt. Reclamat quidem Vaſquez diſp. 134. c. 2. at Vaſquem hac in parte ſolide confutat Lugo ibid. num. 18. quem conſule, ne hic nimium immoremur.

Prob. 3. Si character non ſit niſi relatio rationis, ſeu denominatio extrinſeca, inde conſurgens quod quis per Sacramenti ſuſceptionem deputetur ſpecialiter ad cultum divinum, ipſa etiam Legis antiquæ Sacramenta, Circumciſio ſaltem & conſecratio Sacerdotum, dici poterunt characterem impreſſiſse; imo & nunc altarium & vaſorum templi conſecratio, quin & collatio Tonſuræ characterem imprimentꝫ cum per ea vel homines vel res quædam ad ſacros uſus deputati fuerint, aut etiamnum deputentur: atqui horum quædam communi Theologorum ſententiæ, quædam & communi ſenſui repugnant; ergo.

Objiciuntur tria, 1. quod opinio Durandi ut facilior & clarior admittenda ſit, ſi poteſt; poſſit autem quia nullibi damnata eſt; 2. quod Tridentinum definiat peccatum originale ſingulis *ineſſe* parvulis unicuique proprium; quod tamen de inhæſione phyſica intelligi non poteſt; ergo cum idem Concilium expreſſius nihil dicat de charactere, non debet cenſeri phyſicam ejus eſsentiam admiſiſse; 3. quod ex Auguſtino Serm. contra Emerito Donatiſta, *Si Donatus baptizaſſet in nomine ſuo, characterem impreſſiſſet*: porro Donatus in nomine ſuo baptizans, nihil impreſſiſset intrinſeci, ſed tanquam denominationem mere externam dare potuiſset; ergo. Verum hæc haud difficile ſolvuntur, unde *Tom. 9. p. 619.*

Reſp. ad 1. pernicioſam eſse in rebus fidei ſpeciem argumentationis quæ obtruditur; neque enim melior eſt opinio quæ clarior, ſed quæ Patrum dictis & Eccleſiæ definitionibus magis eſt conſentanea: atqui talis non eſt opinio Durandi, ut conſtat ex dictis. Unde licet ea vivamus ætate,

qua

qua quidlibet in rebus fidei audendi poteſtas indulta videtur, omnes tamen aliud ſentiunt a Durando.

Reſp. ad 2. eos omnes qui contendunt peccatum quodlibet non in ſola privatione, ſed in forma privationi huic poſitive oppoſita conſiſtere, nihil hic habere difficultatis. Hi enim ſponte fatebuntur originalem noxam, quæ unicuique parvulorum *ineſt* propria, iiſdem phyſice inhærere. Qui vero aliter ſentient nihilo plus impediti erunt: his enim ſatis fuerit ſi dicant cum Lugo ibid. nu. 21. ſignificationem propriam vocum colligi debere ex ſubjecta materia, adeo ut phyſice intelligantur quæ phyſice intelligi poſſunt, moraliter autem quæ nonniſi moraliter intelligi valent. Unde, inquiunt, ſicut in hoc textu: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, verbum *erant* nonniſi de exiſtentia impropria intelligitur, quia tenebræ proprie dictam exiſtentiam non habent, ſic & in hac phraſi, Peccatum *ineſt* parvulis proprium, vox *ineſt*, nonniſi moraliter intelligenda eſt. Aliud eſt porro de charactere, qui & propriam habere poſſe exiſtentiam concipitur, & eamdem exigere oſtenditur ex Conciliorum textibus ſupra citatis, qui profecto citra vim manifeſtam ad ſenſus improprios & externas denominationes flecti non poſſunt.

Reſp. ad 3. diſt. maj. ſi Donatus in nomine Donati baptizaſſet, infixiſſet, characterem ſuum, prout humano modo infigi poteſt, C. prout a Deo in iis qui baptizantur imprimi poteſt, N. En Auguſtini verba: *Donatus*, quando baptizavit, *non baptizavit in nomine Donati. Nam ſi Donatus quando ſchiſma fecit, in nomine Donati baptizaret, deſertoris characterem infigeret*. Quis non illico perſpiciat Auguſtinum nec de vero Baptiſmo loqui, quaſi poſſit aliquis baptizari in nomine Donati, nec de vero charactere. Quis proinde ex Baptiſmo aut charactere Donati, ad Chriſti Baptiſmum aut characterem concludere auſit?

CONCLUSIO II. Character eſt ens reale, cui tamen annexa eſt multiplex relatio.

Prob. 1. pars: Character concipitur tanquam forma indelebiliter impreſſa, configurans hominem Chriſto, ſigillans obligationem ſervandæ legis, fideles fidelibus eadem nota inſignitis aſſimilans, in Beatis remanens ad ornatum, &c. atqui hæc enti reali competunt, non autem puræ relationi, cujus totum munus eſt, unum ad aliud referre; ergo.

Confirm. ex unanimi Philoſophorum conſenſu, ad relationem non datur motus, ſeu nulla relatio phyſica actione per ſe & immediate producitur; unde relatio per reſultantiam fieri & exurgere dicitur: atqui character per ſe & immediate producitur phyſica actione Dei; unde ſolus & ſine addito producitur in iis qui ad tria Sacramenta ficte accedunt; ergo.

Prob. 2. pars, quia character fundamentum eſt relationis tum ad Chriſtum, cui nos conſignat; tum ad alios fideles, qui eodem ac nos charactere inſigniri ſunt; tum ad divinum cultum ad quem ordinat; tum denique ad gratiam, quam inter & characterem idem eſt reſpectus, qui occurrit inter ſignum & rem ſignificatam.

Neque tamen quia character eſt ſignum, ideo mera erit relatio: ſic enim ſceptrum eſt ſignum ſupremæ poteſtatis; ſic & hedera ſignum eſt vini venalis; & tamen conſtat ſceptrum & hederam eſſe entia phyſica.

Objic. Si character ſit aliquid phyſici, neceſſum eſt ut ſit qualitas: atqui

Digitized by Google

qui non eſt qualitas. Hæc enim juxta Philoſophum vel eſt habitus aut diſpoſitio; vel potentia aut impotentia; vel paſſio aut patibilis qualitas; vel forma aut figura: atqui character, nullum ex his eſſe poteſt. Minorem probant otioſi Theologi facta longa per omnes qualitates inductione. Bene actum profecto quod Ariſtoteles quindecim qualitatis ſpecies non aſſignaverit: alioqui creviſſent inductiones, nec jam limitibus concluderetur diſputatio. Utut eſt.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. dico characterem, quatenus eſt qualitas permanens, ſubjectum ſuum bene afficiens, illudque ad aliquod ſupernaturale determinans, revocari poſſe ad primum qualitatis genus, quod eſt habitus; quatenus eſt aptitudo quædam & idoneitas ad certa munia, poſſe revocari ad ſecundum, quod eſt potentia; quatenus eſt aliquid paſſive impreſſum animæ, poſſe revocari ad patibilem qualitatem; quatenus demum eſt aliquid per quod Chriſto configuramur, & diſtinguimur ab aliis, revocari poſſe ad quartum genus, quod eſt forma & figura.

Si clamoſe objicias admitti hæc non poſſe ſine gravi Ariſtotelicarum quantitatum diſpendio; quandoquidem Ariſtoteles per figuram id intelligat quo quantitas corporea terminatur; per qualitatem patibilem, id quod unico ſenſu externo perceptibile eſt; ac denique per habitum, id quod, licet difficile, tolli tamen a ſubjecto poteſt; quæ quidem notio characteri utpote indelebili non competit. Reponam placide 1. ne ipſos quidem Dialecticos convenire inter ſe de præciſo ſenſu, quo intelligendæ ſint qualitates a Philoſopho in diviſione prædicta admiſſæ, prout notat Lugo eadem diſp. 6. n. 31. 2. ſi licitum fuerit ethnico Doctori certos terminos certo modo definire, licitum eſſe Chriſtianis ſaltem paulo latius definitiones ejus interpretari; 3. inſigniter differre hæc duo: *Character eſt qualitas in ſenſu Ariſtotelis*, & *character ad qualitates Ariſtotelis revocari poteſt*. Prius identitatem notionis ſonat, poſterius non item.

Quod ait Gonet, habitus intendi poſſe & remitti, non vero characterem; verum eſt in ſenſu Ariſtotelis, qui de ſolis quos norat habitibus acquiſitis diſſeruit; non autem in ſenſu fidei. Certe gratia Chriſto indita, nec creſcere potuit, nec multo minus imminui; & tamen eam verorum habituum naturam & proprietates habuiſſe, quis inficietur?

SECTIO TERTIA.

Expenduntur nonnulla de Charactere.

UT ſolvantur nonnulla quæ hic moram ciere ſolent.

Quæres 1. quodnam ſit ſubjectum characteris.

Reſp. Triplex eſt ea de re opinio; alii cum S. Thoma characterem in intellectu *ſubjectari* volunt; alii in voluntate cum Scoto; alii in anima; cum Suare::: Mirum quod nemo eumdem in anima ſimul & potentiis locaverit. An enim implicat quod Deus ſignaculum ſuum animæ ſimul & potentiis imprimat? non credo. An ſi id feciſſe potuit, non feciſſe probatur ex Scriptura vel Traditione? minime gentium. An uſque adeo urgent momenta quæ pro intellectu pugnant, ut ea perimant omnino quæ in gratiam voluntatis afferuntur? ita quidem Thomiſtis placet, ſed obſiſtunt, diuque

diuque obſiſtent Scotiſtæ. An demum ita efficaciter decertant Scotiſtæ, ut iis ceteros omnes cedere oporteat? aſſerunt ipſi, ſed quoti reclamant? quidni ergo amice vivamus omnes, cedenſque quilibet jure ſuo, aliquid donet alteri, & ab altero quidpiam recipiat.

At, inquiunt, gratia eſt in voluntate; ergo cum character diſponat ad gratiam, & diſpoſitio in eadem reſidere debeat facultate, cui inſidet forma ad quam diſponit, neceſſum eſt ut character in voluntate reſideat. Quid ad hoc? Id unum, hic nutare omnia. Gratia, inquis, eſt in voluntate. Sed nullane eſt gratia in intellectu, ut puta gratia fidei, gratia quæ eſt lumen ſuper nos ſignatum, &c. Deinde unde habes quod character diſponat ad gratiam? annon ſine gratia recipitur in fictis? an non perſeverat in reprobis abſque diſpoſitione ad gratiam? Verum de his quæ vix levi & ſuſpenſa manu attingi merebantur, plus ſatis hactenus.

Quæres 2. an character ſit prorſus indelebilis.

Reſp. 1. character de potentia Dei abſoluta, tam in hac quam in altera vita deleri poſse. Ratio quia character eſt aliquid creati; nulla porro eſt creatura quæ a Deo deleri non poſſit.

Reſp. 2. characterem in hac ſaltem vita nuſquam deletum iri; tum quia alioqui non permiſiſset Deus ut Eccleſia definiret characterem eſse indelebilem; tum quia character quædam eſt conſecratio, tandiu autem durat conſecratio, quandiu res conſecrata; tum quia forma nulla ſit de ſe permanens, niſi per contrariam deletur: porro character eſt forma de ſe permanens, & contrariam non habet; unde iis etiam imprimitur qui mortifera peccati tabe infecti ſunt, quo differt a gratia, quæ contrarium habet; ergo.

Reſp. 3. cum Angelo Scholæ 3. p. q. 65. art. 5. ad 3. *Poſt hanc vitam remanet character & in bonis ad eorum gloriam, & in malis ad eorum ignominiam.* Et vero ſi deleretur character in morte, vel a Deo ſubtrahente concurſum, vel a cauſa demeritoria, vel a deſtrutione ſubjecti cui inhæret: atqui nec delebitur a Deo; cum nulla ad id poſſit eum movere ratio; imo ſit quæ moveat ad contrarium, nempe aſserendum Beatis decus, & dedecus reprobis. Utique enim, ait ibid. S. Thomas, *militaris character remanet in militibus poſt adeptam victoriam, & in his qui vicerunt ad gloriam, & in his qui ſunt victi ad pœnam.* Neque etiam delebitur a cauſa demeritoria, ſeu a peccato; cum peccatum ne quidem impediat, quominus imprimatur character. Neque tandem delebitur ex deſtructione ſubjecti, cum ſubjectum ejus ſit anima immortalis; ergo.

Confirm. quia, ut notat Lugo, Chriſtianus aut Sacerdos, qui poſt mortem reſurgit, nec novo Baptiſmo nec Ordinatione nova donatur; ergo manſit in eodem, qui prior, charactere. Unde ſi Sacerdos fato functus non conſecret, oritur id ex ſtatu qui jam non eſt viatoris, non ex characteris defectu.

Dices 1. Deſtructo Calice ita definit conſecratio ejus, ut ſi ex eadem materia novus confletur Calix, nova opus ſit conſecratione. Item deſtructo homine ita definit Matrimonium, ut redivivus idem homo denuo priori ſponſæ conjungi indigeat; ergo a pari.

Lugo n. 72. Reſp. neg. conſeq. diſparitas quoad 1. eſt quod conſecrationis ſubjectum ſit Calix totus, prout eſt tale compoſitum artificiale; ſubjectum autem cha-

characteris non ſit totus homo, ſed ejus anima, quæ eodem deſtructo non deſtruitur. Diſparitas vero quoad 2. eſt quod ex I. Cor. 7. *Mulier, ſi dormierit vir ejus, liberata eſt* a lege Matrimonii; & *cui vult* nubere poteſt. At vero nullibi docet Scriptura ipſos etiam reprobos a charactere liberari. Dico *liberari*, eſt enim, ut jam pluries dixi, donum illud in reprobis non ad ſolatium, ſed ad doloris acerbitatem.

Dices 2. Non remanent in damnatis habitus Theologici; ergo nec in iis manere debet character.

Reſp. neg. conſeq. habitus enim Theologici ordinantur ad operationes meritorias, quarum incapaces ſunt reprobi. Character vero id præcipue habet quod conſignet animam; quæ quidem nota reprobis ad opprobrium & ignominiam cedit. Unde jam monuimus characterem, licet ens ſit ſupernaturale, a dæmonibus imo & ab infidelibus cognoſci; quia quamvis utrique incapaces ſint cognitionis, quæ ad ſalutem conducat, non illius tamen quæ pœnas & tormenta ingeminare poteſt.

Quæres 3. an character ſit indiviſibilis.

Reſp. affirm. quia caret partibus tum extenſivis, cum non recipiatur in ſubjecto materiali; tum intenſivis, quia non imprimitur major juſtis quam improbis; cum nullam exigat diſpoſitionem ut imprimatur.

Dices. Character eſt veluti titulus moralis ad auxilia quæ conferri debent iis qui certa Sacramenta recepere: atqui titulus ille non eſt æqualis in iis omnibus; ſed major in iis qui perfectius diſpoſiti acceſſere ad eadem Sacramenta, quam in aliis; ergo character non eſt æqualis in omnibus.

Reſp. neg. maj. jus enim ad actualia de quibus hic ſermo eſt auxilia, non in ipſo charactere fundatur, ſed in gratia habituali, vel ſaltem ſub conditione ejus: porro fatemur plus recipi habitualis gratiæ ab iis qui Sacramenta dignius recipiunt, quam ab aliis. Adi Lugo ibid. n. 80. & 81.

CAPUT QUARTUM.

De Cæremoniis & Sacramentalibus.

Etſi, ut notat P. Pickler in Theologia Polemica, per Sacramentalia intelligi poſſunt externi illi ritus, qui in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione ex Eccleſiæ præſcripto adhibentur, invaluit tamen uſus ut per illud nomen jam intelligatur aliquid a prædictis ritibus omnino diverſum. Unde duplex erit præſentis Capitis Articulus, quorum prior de Cæremoniis aget, poſterior de Sacramentalibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De Cæremoniis.

Cæremoniæ, ſeu, ut nunc communior, nec melior obtinuit pronuntiandi ratio cæremoniæ, definiri poſſunt; Actus externi Religionis ad Dei cultum, ejuſdemque cultus ornatum & majeſtatem legitime inſtituti.

Cære-

Cæremoniæ dividuntur 1. in *divinas*, quæ Deum ipſum auctorem habent, tales ſunt eæ quæ recenſentur in Levitico, vel quas in adminiſtrando Baptiſmate ſervari voluit Chriſtus; & in *Eccleſiaſticas*, quæ ab Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus inſtitutæ fuerunt.

Dividuntur 2. in eas quæ circa perſonas verſantur, ut exorciſmi, inſufflationes, aſperſio aquæ; & eas quæ verſantur circa aliud objectum, puta locum vel tempus, ut Templorum conſecrationes, ſanctificatio Quadrageſimæ & Vigiliarum, &c.

Dividuntur 3. in *generales*, quæ ubique, & *particulares* quæ nonniſi certis in locis obſervantur, ut jejunium Sabbati, quod Auguſtini ævo ſervabatur Romæ, non Mediolani, prout a contrario lotio pedum poſt Baptiſma, Mediolani erat in uſu, non Romæ.

Dividuntur 4. in *temporales*, quæ ad tempus inſtitutæ ſunt, ut abſtinentia a ſanguine & ſuffocato; & *perpetuas*, quæ perpetuo vigere debent, ut ritus eſſentiales Sacramentorum.

Dividuntur 5. in *eſſentiales*, *integrantes*, & *accidentales*. Eſſentiales ſunt ritus, qui ſine rei interitu omitti non poſſunt, quales ſunt qui circa materiam, formam, intentionem, perſonam & poteſtatem Miniſtri verſantur. Integrantes eæ ſunt, quæ haud quidem integrant Sacramentum, quaſi illud iis omiſſis nullum ſit; ſed ad ſolemnitatem ejus complendum graviter præſcriptæ ſunt, ut in Miſsa oblatio panis & vini, miſtio aquę cum vino, celebratio cum certis veſtibus, & certo in loco peracta. Accidentales demum ſunt quę nec ſpectant ad eſsentiam, nec ſenſu mox expoſito actionem miniſterii complere cenſentur, ſed adornare, ut cruces, genuflexiones, tunſiones pectoris, elevationes manuum, &c.

Jam tria quęruntur, 1. an Eccleſia cęremonias inſtituere poſſit; 2. an quę de facto ab ea inſtitutę ſunt, pie & laudabiliter inſtitutę fuerint; 3. an liberum ſit ſancitas ab Eccleſia cęremonias prętermittere. Primum & ſecundum pari ad imperitiam furore negant Calviniani & Proteſtantes, non omnes tamen, ut infra dicam. Tertium ſaltem in praxi aſserunt boni vel mali Catholici complures, qui vel ſacros Eccleſię ritus neſciunt, vel abjiciunt pro nutu quaſi rem nullius momenti. Sit

CONCLUSIO I. Potuit & poteſt Eccleſia ſacros ad Dei cultum ritus inſtituere.

Prob. 1. Non minor eſt in condendis ritibus poteſtas Eccleſię Catholicę, quam olim fuerit Synagogę Judęorum, & etiamnum ſit Synagogę Anglicanę aut Lutheranę: atqui potuit olim Synagoga Judaica ſacros ſibi ritus inſtituere; idque ſe etiamnum poſse exiſtimat Anglicana & Lutherana Synagoga. Minor quoad Synagogam Judaicam patet ex *c.9.* Lib. Eſther ubi inſtituitur feſtum ſortium, de quo utique nihil pręceperat Moyſes; ex cap. 16. Judith, ubi nova ſancitur ſolemnitas in memoriam proſtrati una cum Holoferne Aſsyriorum exercitus; ac demum ex Lib. I. Machab. cap. 4. ubi indicitur ſolemnitas dedicationis Templi, quam Chriſtus ipſe celebravit, ut videre eſt Joan. 10. v. 22. nulli porro ſunt in Eccleſia ritus majoris momenti, quam ipſę Feſtorum celebrationes; ergo ſi id non inculpate ſolum ſed & laudabiliter facere potuit Synagoga, potuit & Eccleſia, niſi hoc eidem a Chriſto prohibitum fuiſſe demonſtretur, quod profecto nuſquam demonſtrabitur.

Eadem

Digitized by Google

Eadem minor non minus evidens eſt, quoad Synagogam Anglicanam & Lutheranam. De Anglicana res patet ex duplici Liturgia quæ an. 1549. & 1553. edita eſt ſub Eduardo VI. hic enim etſi dempta multa, ut candelæ in Feſto Purificationis, Cinerum & Palmarum uſus in utraque die cui nomen eſt a cineribus & palmis, tamen & retenta multa, ut feſtivitates aliquæ, jejunium quadrageſimale, veſtes ſacerdotales, & alia id genus plura, quæ videris in Libro cui titulus: *La Liturgie Angloiſe, ou le Livre des prieres publiques, de l'adminiſtration des Sacremens, & autres ordres & ceremonies de l'Egliſe Anglicane, nouvellement traduit en François*, &c. Londini 1616. quod pertinet ad Lutheranos conventus, & ii quoque ſuos, eoſque in eſſentialibus peſſimos ritus habent, ut ſcite animadvertit P. le Brun Tom. 4. Explicat. Miſſę. Hinc illud; ſed mendaciter dictum, Confeſſionis Auguſtanę: *Servantur* apud nos Lutheranos *uſitatæ cæremoniæ fere omnes*. Hinc etiam J Fabricius Junior apud Picklerum ibid. *Exorciſmus cum Baptiſmo conjunctus in noſtris Eccleſiis retinetur, quia ſic placuit Eccleſiæ Catholicæ jam inde fere a temporibus Apoſtolorum*, &c.

Prob. 2. Id poteſt Eccleſia, cujus faciendi exemplum accepit a Chriſto, ab Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus viris Apoſtolicis: atqui Eccleſia a Chriſto, Apoſtolis, eorumque primariis ſucceſſoribus accepit exemplum exercendi ritus quoſdam ad cultum Dei, fideliumque inſtitutionem a Chriſto quidem: is enim licet abſque cęremonia ulla tam mentes quam corpora ſanare poterat, id tamen ſub certis ritibus aliquando pręſtitit. Sic Apoſtolis daturus Spiritum S. *inſuflavit in eos*, Joan. 20. ſic *elevatis manibus benedixit eis*, Luc. 24. ſic homines a dęmone poſſeſſos exorcizavit, Marc. 5. ſic ex ſputo lutum fecit, & digitos in aures miſit, ut cęco & ſurdo mederetur, Joan. 9. & Marc. 7.

Idem Eccleſię exemplum prębuerunt Apoſtoli, ſeu cum pręceperunt, ut Gentiles ad fidem converſi, certis abſtinerent alimentis, quę de ſe nihil mali habent, ſuffocato nimirum & ſanguine Act. 15. ſeu cum ea, quę ad decentem Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, conſtituerunt; ut conſtituiſſe infert S. Auguſtinus ex his I. Cor. 11. verbis, *Cetera, cum venero, diſponam*; quę S. Doctor de Euchariſtia ante omnem cibum ſumenda interpretatur Epiſt. 54. alias 118.

Idem denique pręſtiterunt puriorum Eccleſię ſęculorum Pontifices, a quibus dimanarunt tot pręſtantes cęremonię, quas videris apud Juſtinum, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Baſilium, Cyrillum in Catecheſibus, & Auguſtinum, qui ad probandum peccatum originale ſępius urget exorciſmos, quibus ex Apoſtolica Traditione Catechumeni ad Baptiſmum pręparabantur. Et vero quid aliud fuit celebris circa diem Paſchę diſceptatio, quam controverſia de puro ritu? & hęc tamen tanti viſa eſt, ut ejus finiendę gratia potiſſimum convocata ſit Nicęna Synodus, prout liquet ex Epiphanio hęr. 70. & Conſtantini Epiſtola apud Euſebium Lib. 3. de vita Conſtantini. Merito igitur Tridentina Synodus Seſs. 21. c. 2 declarat, *hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva eorum ſubſtantia, ea ſtatueret vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire judicaret.*

Concluſio II. Ritus ab Eccleſia inſtituti, pie & laudabiliter inſtituti fuere. Ita Catholici omnes præſertim contra Calvinianos, qui nudum cultum invexere. His ex parte adjunxerunt ſe Anglicani, qui cæremonias plures longo ſæculorum uſu approbatas tulerunt e medio; & tamen audacem Apologiſtam nacti ſunt in citato jam P. F. le Courayer. Sic ille in Opere jam indicato: *L' Angletere dans la ſubſtitution du Rituel d' Edouard au Pontifical Romain, n' a fait autro choſe que de revenir à la ſimplicitè du Rit ancien.* & iterum: *Les Deputès chargès* de la compoſition de la Liturgie Anglicane, *ètoiens preſque autant èloignès d' un cultè auſſi nud & auſſi depouillè que celui que Calvin vouloit ètablir, que de la multitude des ceremonies qui ſemblent accabler le notre.* Ubi dum impenſe laudatur Anglicana Eccleſia, quaſi quæ felici inter utrumque extremum gradu, ad primævam ſimplicitatem redierit, impenſe redarguitur Catholica Eccleſia, quaſi quæ modum & terminos neſciat, & majeſtatem divini cultus cæremoniis abjiciendis oneret. Jam Concluſio, quæ data occaſione ſigillatim probabitur in Operis decurſu, hic generatim.

Prob. 1. ex rationibus quas urget Synodus Tridentina Seſs. 22. de Sacrificio Miſsæ cap. 5. ubi ſic: *Cum natura hominum ea ſit, ut non facile queat ſine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem ſuſtolli, propterea pia mater Eccleſia ritus quoſdam, ut ſcilicet quædam ſubmiſſa voce, alia vero clariore in Miſſa pronuntiarentur, inſtituit. Cæremonias item adhibuit, ut myſticas benedictiones, lumina, thymiamata, veſtes, aliaque id genus multa ex Apoſtolica diſciplina & traditione, quo & majeſtas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc viſibilia Religionis & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* Item paulo latius evolvit Catechiſmus Concilii, part. 2. num. 16. juxta hæc ſic argumentari fas eſt; Ut ſacri Eccleſiæ Catholicæ ritus pie & laudabiliter inſtituti dicantur, ſufficit ut ipſa antiquitate venerabiles ſint; ut ad divini cultus condecentiam & majeſtatem conferant; ut Fidelium, eorum præſertim qui rudes ſunt, intelligentiam adjuvent; ut neminem non moveant ad pietatem; ut Catholicos ab Hæreticis diſtinguere nati ſint: atqui tales ſunt Eccleſiæ Romanæ ritus.

1. quidem ipſa antiquitate ſunt venerandi. Ut enim, qui omnes in præſenti percurrere nec poſſum nec debeo, eorum quibuſdam immorer, qui Calvinianam bilem acrius commoverunt, Ritus ii præcipue conſiſtunt in ſigno crucis, quo Fideles & Miniſtri ſe ſuaque multa conſignare ſolent; in benedictionibus aquæ & ſimilium; in exorciſmis; in proceſſionibus publicis; in uſu thuris, thymiamatum, veſtium ſacerdotalium, &c. atqui horum rituum ne unusquidem eſt qui antiquitate ſua conſpicuus non ſit. De ſigno crucis res patet ex Tertulliano Lib. de corona militis: *Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia frontem ſignaculo crucis terimus. Harum & aliarum ejuſmodi conſuetudinem ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix.* Conſonat S. Hieronymus Epiſt. ad Euſtochium his verbis: *Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus pingat crucem*, & rurſus, *Cum os ſtomachumque ſignaret*, &c. Similia videris apud Cyprianum Epiſt. 58. & Baſilium, Cyrillum,

Edit. Pam. p. 289.

lum, &c. En ergo ſignum crucis jam ab ipſis Tertulliani temporibus traditione & conſuetudine firmatum.

Idem nec immerito dixeris de benedictione aquæ & ſimilium, cujus normam Eccleſia accepit tum a Chriſto, qui panes benedixit, & benedicendo auxit, Luc. 9. & Matth. 14. tum ab Apoſtolo, qui I. Timot. 4. ait: *Omnis creatura Dei bona eſt*, &c. *ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem*. Unde & is aquæ benedicendæ uſus a primæva mundi Chriſtiani ætate viguit, juxta id S. Cypriani Ep. 12. ad Januar. *Oportet mundari & ſanctificari aquam prius a Sacerdote;* & S. Cyrilli Catech. 3. *Sicut mundi cibi fiunt immundi invocatione diaboli, ita aqua ſimplex fit Sancta invocatione Dei*. Idem habent Apoſtolicæ Conſtitutiones Lib. 8. cap. 29. vel 35. ibi ſic: *Benedicat Epiſcopus aquam & oleum; ſi abſit, benedicat Presbyter aſſiſtente Diacono*. Idem cap. ſequenti de primitiis & decimis præſcribitur, & affertur uſitanda tunc benedictionis forma.

Quod ad exorciſmos attinet, ii etiam tantæ ſunt in Eccleſia antiquitatis, ut ubique Gentium quarto Eccleſiæ ſæculo uſurparentur, unde & ex iis peccati originalis exiſtentiam probavit Auguſtinus contra Pelagianos. *Conſtat*, ait J. Fabricius, ſupra laudatus, *quod Auguſtinus peccatum originis probat in infantibus, quod univerſa Eccleſia ubique exorciſmos Baptiſmis parvulorum præmittat*. Atque hinc tales exorciſmos haud negligi debere probant ex profeſſo Lutherani contra Calvinianos, ut videris apud Bechmannum Controv. 6. de Baptiſmo.

Quod autem ad Proceſſiones ſpectat, eæ pene ſtatim ut Eccleſiæ pax data fuit, in uſu eſſe cœperunt, ſeu eundum erat ad Martyrum tumulos, ſeu ad indicta diebus jejunii loca, ſeu transferendæ erant Martyrum Reliquiæ: de quo adi P. Le Brun & Auctores ab eo citatos Tom. 1. p. 86.

Longe antiquior in locis Deo dicatis luminarium uſus, qui ab Apoſtolorum ævo ad Judæorum normam incepit. *Erant lampades copioſæ in cœnaculo ubi* ad frangendum panem *eramus congregati*, ait S. Lucas Act. 20. nec dubio procul tam copioſæ ad propellendas noctis tenebras neceſſariæ erant. Hanc fidelium pietatem inſigni miraculo circa an. 230. comprobavit Deus; cum enim *in magna Paſchæ vigilia oleum Miniſtris* deeſſet, *Narciſſum* Jeroſolymorum Antiſtitem *ferunt mandaſſe iis quibus curæ erat lucernas accendere, ut aquam ex quodam propinquo hauſtam puteo ad ſe deferrent: quod ubi dicto citius impletum eſt, oratione ſuper aquam facta, juſſiſſe dicitur ſincera in Chriſtum fide, ut eam lucernis infunderent. Quo itidem peracto, ajunt aquam contra morem naturæ ſuæ, mirabili quadam ac divina virtute in olei pinguedinem eſſe converſam:* ita refert Euſebius Hiſt. Eccl. Lib. 6. c. 9. *Edit. Valeſ. f. 170.* Neque ſolum ad illuminationem, ſed & non raro ad myſticas ſignificationes accenſa ſunt luminaria, quidquid in contrarium dixerit D. Claudius Le Vert. *Per totas Orientis Eccleſias*, ait S. Hieronymus Epiſt. adverſus Vigilantium, *quando Evangelium legendum eſt, accenduntur luminaria jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum ... ut ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in Pſalterio legimus:* Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine.

Etſi thuris adolendi conſuetudo prioribus quatuor Eccleſiæ ſæculis frequentari non debuit, ne dum impiis fumabant vaporibus pſeudonuminum

delubra, id viderentur facere Chriſtiani, quod Gentiles; conſtat tamen ex Liturgiis SS. Jacobi, Baſilii, Chryſoſtomi, ex S. Ambroſio, & aliis pluribus, uſum thuris ſtatim ac ſine periculo induci potuit, in Eccleſia viguiſſe. Neque id factum, quo fœtor propelleretur, ut ſomniavit Claudius Le Vert, ſed ut quaſi oculis exhiberetur bonus Chriſti odor, qui ab altari profluit ad fideles; atque ut ii etiam enixas funderent orationes, quæ *ſicut incenſum in conſpectu* Domini dirigerentur Et vero ſi depellendi fœtoris cauſa thus adolebatur, cur ab ipſo Epiſcopo adolebatur? cur non adolebatur niſi benedictum? cur toties circa altare? cur in templis ampliſſimis non ſecus ac in ceteris. Sane acerræ * hinc & inde per totum templum diſpoſitæ, multo efficacius quidquid ex fidelium multitudine tetri odoris naſci poterat, abegiſſent, quam effuſa quæcumque a Miniſtris thura.

* Caſſolettes.

Pro aſtruenda veſtium ſacrarum antiquitate ſufficiat id adduxiſſe S. Hieronymi in Ezech. cap. 44. *Religio divina alterum habitum habet in miniſterio, alterum in uſu vitaque communi.* Ante Hieronymum jam commendaverat S. Gregorius Nazianz. ſplendorem veſtimentorum Clericalium; nec veſtitum Epiſcopalem a Sæculari diſtinctum fuiſſe jam ab an. 313. dubitabit, qui hæc perpenderit verba orationis quam habuit Euſebius in dedicatione Eccleſiæ Tyrienſis: *Amici & Sacerdotes Dei, qui ſacra tunica talari induti eſtis*, &c. Euſeb. Lib. 10. cap. 4.

2. cæremoniæ ad divini cultus decentiam ſplendoremque conferunt: hic quidem mundanam pompam redarguunt Calviniani Miniſtri, ſed an jure, expendemus paulo poſt. Interim ſi quid pompæ damus, damus præeunte puriorum temporum exemplo. Norunt omnes quam ægre ferret Julianus Apoſtata, eum, quem contemptim vocabat filium Mariæ, aureis vaſis coli, &c.

3. rudium intelligentiam adjuvant, ut docet Auguſtinus Epiſt. 55. alias 119. tum quia ſacri ritus ſunt imperitis loco Scripturæ & picturæ; tum etiam quia ex iis quandoque melius perſuadentur quædam Eccleſiæ dogmata, quam multis teſtimoniis: ſic melius intelligent ruſtici ex exorciſmis in Baptiſmo adhiberi ſolitis parvulum eſſe ſub diaboli jugo, quam ex efficacioribus Scripturæ argumentis.

4. movent ad pietatem, & animum per viſibilia erigunt ad inviſibilia. Neſcit Catholicorum nemo e ſacris ritibus plures eſſe, eos præſertim qui per majorem ſeu ſanctam hebdomadam exercentur, quibus duriora quæque corda ad lacrymas moveantur. Hinc Auctor Libri cui titulus, *Religio medici*, etſi ex hæreticorum grege, *In Proceſſione ſolemni*, inquit, *quandoque abundantius flere*, *cum qui forte una aderant contradicendi ſtudio, & præjudicio cæci, immodico riſu diffluerent.* His adde cum Bellarmino ibid. cap. 31. quod *niſi quotannis repræſentaremus variis cæremoniis Domini ortum, Epiphaniam, Paſſionem, aliaque myſteria redemptionis, facile mandarentur oblivioni tam inſignia beneficia.* Adde rurſus cum eodem, quod ubi ingredimur Baſilicas ornatas, Crucifixi, aliiſque piis imaginibus inſtructas, &c. devotionem facile concipimus; contra vero cum ingredimur hæreticorum templa, ubi præter nudos parietes nihil niſi ſedem ad concionandum, & menſam pro cœna videre eſt, non Dei domum, ſed profanam aulam nobis videmur ingredi.

Pag. 8. Edit. an. 1652.

5. de-

5. demum cęremoniarum uſus Catholicos diſtinguit ab Hęreticis, iiſque ex ſingulari Dei providentia ſuam exprobrat novitatem. Quiſquis enim vel ipſum Dei exterius colendi morem in Baſilicis Catholicorum & Calvinianorum templis intuitus fuerit, ſic ſecum facile diſcurret: Vera eſt Eccleſia quę ab Eccleſia primęva deſcendit; falſa eſt a contrario, quę ſui nonante ſęculum XVI. creatrix fuit: atqui Eccleſia Romana deſcendit a primęva, Calviniana vero non ita pridem ſui creatrix fuit. Nempe vero in Eccleſia primęva erat luminarium & thimiamatum uſus, erant &, ſtatim ut eſse potuerunt, ſplendida ad Dei cultum ornamenta, diſtincti a profanis Miniſtrorum habitus, aquę, olei, & ſimilium benedictiones, fixę in Officiis divinis linguę uſurpatio: neque hęc mutari paſſi eſsent fideles, qui a divinis nativo quodam ęſtu arcent novitatem; ergo primęvę eſt antiquitatis Eccleſia in qua hęc hodiedum ſervantur; ergo econtra nova eſt & noviſſima Eccleſia, quę nihil horum habet. Ita ferme Marinus des Mahis e Calviniano Miniſtro Canonicus Aurelianenſis part. cap. 7.

Objiciuntur quinque potiſſimum a Calvinianis, 1. quod Eccleſia Catholica cultum ſuum mundana pompa veſtierit; 2. quod noſter cultus tot diffluat cęremoniis, quot Judęorum Synagoga; 3. quod Chriſtus exteriorem, qui certis in locis fiat, cultum aboleverit his ad Samaritanam verbis Joan. 4. v. 21. *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jeroſolymis adorabitis Patrem ∴ ſed venit hora & nunc eſt quando veri adoratores adorabant Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum*. Merito igitur Opuſculum cui titulus, *Articles de foi de l'Egliſe d'Angleterre, approuvès par les deux Chambres du Parlement*, Sedani editum an. 1651. hęc habet cap. 21. pag. mihi 78. *Maintenant ſous l'Evangile, ni la priere ni aucune autre partie du Service divin n'eſt attachèe à aucun lieu, ni rendue plus agrèable à Dieu par le lieu auquel elle eſt faite;* 4. quod Catholici in majori rituum ſuorum parte impios Ethnicorum ritus renovent; 5. quod ignota lingua in Officiis ſuis utantur Romani. Poſtremum hoc Caput, quod a Tournelyo pertractatum fuiſse neſci expendimus Tom. III. p. 627. omittamus in pręſenti. Jam igitur

Reſp. ad 1. maledici pompam ſatanę, id quod non ad hominum, ſed ad Dei gloriam refertur. Ecquis argentum, aurum & gemmas ad ornatum hominis ſolius creata fuiſse exiſtimet, non etiam ad cultum Dei, qui iis Tabernaculum ſuum adornari pręcepit. Certe nemo unquam paupertatis & ſimplicitatis amantior fuit quam Chriſtus, & is tamen laudavit, & in Orbe toto laudari voluit facinus pię mulieris quę *effudit ſuper caput ejus alabaſtrum unguenti pretioſi*, quod poterat *venundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus*. Et vero an ſapientiores, *Matth. 26. Jo. 12.*
an ſimplicitati Evangelicę magis addicti ſunt Calviniani, quam tot eximię ſanctitatis Epiſcopi, qui ſub Conſtantino florebant, & quorum pluribus defuerat martyrium, potius quam ipſi martyrio defuiſſent: atqui hi tamen ſingularem Conſtantini in extruendis ornandiſque Baſilicis munificentia debitis extulere laudibus, nedum ut ſimplicitati chriſtianę adverſam redarguerint. Abſit pauperes, ſi quę urgeat neceſſitas, pręferendos eſse negamus: at huic officio non defuere Ambroſii, Pau-

lini, aliique primi nominis Antiſtites, qui dum ſuum materialibus templis honorem aſſerebant, teneram in egena Chriſti membra charitatem partiebantur. Vide Librum cui titulus, *Defenſe du culte exterieur de l'Egliſe Catholique*, Auctore N. Brueys Montiſpeſſulano, ſect. 3. & ſeq.

Reſp. ad 2. longum eſt diſcrimen ritus inter Moſaicos & Chriſtianos, ſeu numerum ſpectes, ſeu rerum difficultatem, ſeu pœnas tranſgreſſoribus intentatas, ſeu parciorem, quæ Judæis conceſſa erat, gratiæ menſuram. Unum nobis eſt ſacrificium, innumera pene Judæis erant; unum Judæis templum quo ex remotiſſimis partibus ſtato tempore eundum erat, nobis Baſilicæ in villis & urbibus. Judæi ad 583. præcepta tenebantur, Catholicis quinque aut ſex incumbunt præcepta Eccleſiæ. Lex maledictionem & ſæpe mortem his comminabatur, qui *in univerſis* ejus *operibus* non permanebant, adeo ut lapidibus obrutus fuerit, qui duo vel tria ligna collegerat die Sabbati, nihil tale in Eccleſia occurrit: Miſſæ ritus & diſci facile poſſunt, & ſine gravamine ullo executioni mandari, &c. Adi eumdem Brueys ſect. 4.

Reſp. ad 3. abutuntur hic fœde, ut immutabiliter ſolent, Calviniani verbis Scripturæ: neque enim vel templa erigi vetat Chriſtus Joan. 4. vel his ſpecialem reverentiam haberi; ſed id docet unum, videlicet futurum paulo poſt, ut nemo vel Jeroſolymis, vel in monte Gariſim duntaxat adorare teneatur. Statuant ergo Anglicanæ Curiæ parem eſſe domus Dei rationem, quæ profanæ: nos Dominum in templo ſancto ſuo ſingulari quadam ratione & reſidere, & conjunctis fidelium votis præſto eſſe arbitrabimur, cum S. Chryſoſtomo. Sic ille Hom. 24. in Act. Apoſt *Orare domi poſſumus*, *aiunt: te homo decipis, & in magno errore verſaris: nam etſi domi orandi datur facultas, tamen fieri non poteſt, ut domi tam bene ores, quam in Eccleſia*. *Baſilicas*, ajebat Auctor Lib. de Eccl. dogmat. c. 75. *eorum*, Martyrum, *nominibus appellatas, velut loca ſancta divino cultui mancipata, affectu piiſſimo & devotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam fecerit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus & Vigilantianus*, & Calvinianus vel Anglicanus *creditur*. Brueys ſect. 5.

Reſp. ad 4. malum quidem eſſe, ſi quis Gentilium ritus imitetur in eo quod inverecundi habent ex parte materiæ, formæ vel finis; ſecus ſi id ſolum ex iiſdem ritibus arripiat, quo legitimum numen rite coli poſſit: hæc autem fuit Eccleſiæ ſanctæ agendi ratio. Inſtituerat ſibi diabolus templa, aras, ſacrificia, Sacerdotes, ſacerdotales habitus, thymiamata: quid ſanctius fieri potuit, quid magis cedens in dedecus ſimiæ Dei, quam ſi hæc ad Dei cultum tranſveherentur? Quamquam nec ſic imitabatur Eccleſia cultus Gentiles, ſed quod e vero Dei cultu ſolis Judæis cognito abſtulerant Græci & Romani, vero Deo reſtituebat. Plerique enim Ethnicorum ritus, nihil aliud erant quam Judaici cultus imitatio: imo, ut erudite nuper probatum eſt, multæ e cęremoniis Moſaicis ante Moyſem erant in uſu, & pene cum ipſis mundi exordiis inceperant. Sic ab initio obtulerat Abel ſacrificia Deo accepta. Sic Jacob altare extruxerat & fuſo deſuper oleo quaſi dedicaverat. Et vero an non templis uti licebit, quia templis uſa fuerit Gentilitas? An abjiciendi ſacrorum Miniſtri, quia Miniſtros habuerit Jupiter? an nefas fuerit tot priorum temporum virginibus ſe caſtas exhibere Chriſto, quia Romæ Veſtales habuerit diabolus? imo an non indulgendum fuit aliquid Ethnicis, qui a Chriſtia-

niſmo

niſmo nudo abhorruiſſent, & quos ad eumdem magnifico Sanctuariorum noſtrorum apparatu adducere voluit Conſtantinus Magnus? Id equidem pio Imperatori in culpam vertunt Novatores: ſed non vertiſſent Apoſtoli, qui ne Judæos a fide deterreret, ciborum quorumdam alioqui licitorum uſum Gentilibus interdixere. Vid. eumdem ibid. ſeſſ. *6.* & quod hic miſſum facere cogimur, repete ex Bellarmino Lib. 2. de Sacram. c. 22.

Conclusio III. Peccat mortaliter qui eſſentiales vel integrantes ritus omittit; qui vero ſolum accidentales aliquos, venialiter tantum, niſi adſit ſcandalum aut contemptus.

Prob. 1. pars, quia qui ritum eſſentialem omittit, Sacramentum facit irritum, ac proinde gravem tum ipſi Sacramento, tum & illud ſuſcipienti injuriam facit.

Prob. 2. pars, quia licet partem ſolum integrantem omittens, Sacramentum non faciat nullum, tranſgreditur tamen Eccleſiæ legem in re graviter imperatam. Hinc peccat lethaliter qui in Sacrificio omittit oblationem; qui in loco profano, vel ſine ſacris veſtibus celebrat; qui Hoſtiæ vel Calicis elevationem ſciens & volens prætermittit. De quibus alibi.

Prob. 3. pars, quia ritus pure accidentales remote ſolum concurrunt ad Sacramentum, nec graviter ad actionem miniſterii conferunt. De his conſule Gavantum part. 3. tit. 11.

Dixi 1. *Accidentales aliquos*, qui enim omnes fere aut quam plurimos Miſſæ ritus, eos præſertim qui in Canone continentur, ex culpabili negligentia omitteret, gravis eſſet culpæ reus juxta eos etiam qui a rigidioribus opiniunculis abhorrent.

Dixi 2. *Secluſo contemptu*: is enim, ut alibi diximus poſt S. Bernardum, *convertit in crimen gravis rebellionis, nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis*. Tom 3. p. 280.
In his porro materiis contemptui æquivalere videtur gravis incuria ſeu in addiſcendis, ſeu in exercendis ſacris cæremoniis: atque utinam hæc tam infrequens ſit, quam eſſe debeat. Sed quoti proh dolor! Sacerdotes verba non jungunt actionibus, cæremonias dimidiant, cruces ſic efformant vel deformant, ut muſcas abigere tantum videantur?

Dixi 3. *& ſcandalo*: quia væ ei per quem præſertim in rebus tanti momenti ſcandalum venit: hujus utique ſcandali reos ſe faciunt, qui novos in Miſſa ritus inſtituunt, aut ab aliis inſtitutos imitantur; prout non ita pridem factum eſt in quibuſdam locis. *Si quis* tamen *dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato a Miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe, anathema ſit*: ita Tridentinum Seſſ. 7. Can. 13. & Seſſ. 22. Can. 7. *Si quis dixerit cæremonias, veſtes, & externa ſigna, quibus in Miſſarum celebratione Eccleſia Catholica utitur, irritabula impietatis eſſe magis, quam officia pietatis; anathema ſit*.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Sacramentalibus.

SAcramentalia ſunt res ad cultum Dei religioſo ritu ordinatæ, & ex communi quadam fidelium perſuaſione ad hominum ſanctificatio-

nem ſpeciali modo inſervientes. Per *res* hic etiam actus intelliguntur, ut ſtatim patebit.

Sacramentalia, etſi plurima numerari poſſint, cum iis etiam accenſeri queunt Chriſma, Oleum ſacrum, Agnus Dei, &c. Sex tamen præcipue recenſentur hoc expreſſa verſiculo.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

Orans, indicat Orationem Dominicam, ad quam reducunt aliqui preces in Eccleſiis ſolemniter conſecratis fuſas, alii etiam pectoris percuſſionem.

Tinctus, denotat aquæ luſtralis ſumptionem, vel receptionem tempore aſperſionis.

Edens, panem benedictum, qui & Eulogia, vel panis Eulogiarum dictus eſt ab antiquis.

Confeſſus, deſignat confeſſionem quæ publice fit Feria V. in Cœna Domini; vel juxta alios, eam quæ fit initio Miſſæ, & quandoque ad Primam & Completorium.

Dans, idem eſt ac largiens eleemoſynam.

Benedicens, Epiſcopi aut Abbatis benedictionem exprimit. Et hæc quidem dicuntur ſacramentalia, non quia ad Sacramentorum integritatem, aut ſacramentalis miniſterii complementum ornatumve inſerviant; ſed quia quamdam cum cæremoniis in Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitis ſimilitudinem gerunt: mirum tamen quod Oratio Dominica, & largitio eleemoſynæ, quæ non ſunt ritus ab Eccleſia inſtituti, ſed opera moralia, ſacramentalibus annumerentur. Utut eſt, de iis alibi dicimus.

Circa alia Sacramentalia quæruntur duo, 1. an antiquus ſit eorum uſus; 2. an gratiam per ſe ipſa producant.

Reſp. ad 1. affirm. & quidem conſtat 1. benedictionum morem, cujuſcumque legis tempore fuiſſe obſervatum. Sic Melchiſedech benedixit Abraham, Gen. 14. ſic Deus ipſe Leviticis Sacerdotibus formam benedicendi Iſraelitis præſcripſit, ſeque eorum benedictiones confirmaturum ſpopondit, Num. 6. Juxta hanc inſtitutionem data eſt tam in Græca quam in Latina Eccleſia benedictio non ab Epiſcopis tantum, ſed & a Presbyteris; eaque non raro evidentibus miraculis confirmata eſt.

Sup. p. 259. Conſtat 2. morem benedicendæ aquæ eſſe vetuſtiſſimum, prout ſupra difertis teſtimoniis oſtenſum eſt. Et vero duplex eſt Græcos apud & Latinos benedictio aquæ; ſolemnior altera quæ fit ad fontes baptiſmales; altera minus ſolemnis, quæ Dominicis diebus. Prioris inſtitutio aſſignari nequit, unde juxta regulam Auguſtini, ad Apoſtolos videtur eſſe referenda; de poſteriore habetur mentio in antiquioribus quibuſque tum Latinorum Sacramentariis, ac præſertim Bobiano ante annos mille ſcripto; tum Græcorum Euchologiis. Luſtralis hujus aquæ effectus ſatis exprimunt preces in ejus benedictione recitandæ; nec dubium quin frequentior ad eam concurreret populus, ſi de his ut par eſt, erudiretur. Hinc qui vim ejus melius norant antiqui fideles, eam ſecum deferebant ad aſpergendos cibos, agros, pecora, ſtabulaque eorum. Ea etiam altare ipſum aſpergitur, ut abigantur dæmones, qui Miniſtris, dum inter ſacra majori attentione egent, inſidiari conſueverunt. Haud tamen

aſper-

Digitized by Google

aſpergitur altare, cum expoſitum eſt Sacramentum, quia Chriſti præſentia fugantur internæ poteſtates. Ita Inſtructiones Bleſenſes part. 2. pag. 208.

Conſtat 3. Eulogias ſeu panem benedictum, veluti quoddam Euchariſtiæ ſupplementum a prioribus Eccleſiæ ſæculis viguiſſe. Hujuſmodi panem ad S. Paulinum Nolanum miſit Auguſtinus, ut patet ex ejus Epiſt. 31. alias 34. qui rurſus Lib. 2. de peccat. merit. &c. cap. 26. *Quod accipiunt* fideles, inquit, *quamvis non ſit corpus Chriſti, ſanctum eſt tamen, & ſanctius, quam cibi quibus alimur, quoniam Sacramentum eſt*, ideſt, aliquid pio ritu conſecratum. Hinc Nannetenſis Synodus, quæ circa an. 800. habita eſt, vetat ne qua benedicti hujus panis mica in terram decidere permittatur. Hinc quoque pecoribus dari non debet, etſi iis pabula juxta alios ritus benedicta præberi poſſint. Hinc demum idem cibus a fidelibus pie recipi debet, prout gerens Euchariſtiæ vices, & ordinatus ad fovendam inter diverſa Chriſti membra charitatem. At nunc frequenter, ait Pariſienſis Theologus, ſignum hoc unitatis ambitio convertit in cauſam diviſionis & ſcandali; dum qui parum de Eulogia ſolliciti ſunt, & multo minus de rebus per eam ſignificatis, impenſe ſolliciti ſunt quo eam ordine recipiant; & innumeras ea de cauſa lites movent. Interim, ait Ferriere in Gallico Tractatu de Jure patronatus, 3. part. c. 2. tunc uſu indubio confirmatum eſt ut patronis ante ceteros, dein dynaſtis altam, ut loquuntur, juſtitiam habentibus, tum & iis qui mediam vel infimam poſſident, præſentetur panis benedictus.

4. Quod ſpectat ad ritum confitendi peccata publice & generatim in Cœna Domini, ſtatimque recipiendi a Miniſtro eam benedictionis ſpeciem, quæ abſolutio dicitur, Gallice *l' Abſoute*; is, inquam, ritus eſt ſeries & umbra cæremoniæ antiquioris, ſecundum quam publice pœnitentes Feria IV. Cinerum ejecti e templo, ut hodiedum fit Cœnomani, die Cœnæ reconciliabantur, publicaque poſt peractam pœnitentiam donabantur abſolutione. Is porro ritus, quanquam primævæ non eſt antiquitatis, nihil tamen habet unde a Novatoribus carpi merito poſſit. Quod enim fideles palam ſe reos agnoſcant, quod veniam petant ſupplices, quod pro iis oret Eccleſia, quod demum eos per Miniſtrum ſuum benedicat; utrique pium eſt, & ad ſincerum cordis dolorem provocare idoneum. Ita idem qui ſupra Theologus.

Reſp. ad 2. 1. nulla eſſe Sacramentalia, quæ veniales etiam culpas ex opere operato dimittant. Ita vulgo Theologi contra Sotum & alios quoſdam, qui virtutem hanc aquę benedictę tribuere dicuntur. Ratio eſt 1. quia opinio contraria gratis admittitur, utpote quę nullum in Scriptura, Traditione, aut ratione ipſa fundamentum habeat; 2. quod Sacramentalia ab Eccleſia inſtituta ſint, ac proinde quidquid virtutis habent, receperint ab ipſa: atqui Eccleſia non habet poteſtatem veniales culpas immediate, & citra Sacramentorum opem delendi; ergo nec virtutem hanc ſacramentalibus impertiri poteſt; 3. quia deletio culpę eſt interior operatio ad tollendam labem quę animę inhęret: atqui Eccleſia independenter a Sacramentis nihil in anima poteſt operari; ergo. Ita Silvius in 3. part. q. 87. art. 3. atque hinc merito Pikler ubi ſupra, invehitur in Lutheranos, qui in Auguſtana Confeſſione & alibi paſſim arguunt Catholicos, quaſi doceant hominem per ejuſmodi ritus promereri juſtificationem.

Reſp.

. Reſp. igitur 2. totam Sacramentalium vim pendere ex opere operantis, itaut & occaſione Sacramentalium excitetur fides & devotio eorum qui ipſis utuntur, & conſequenter explicita aut implicita peccatorum deteſtatio; & hæc quidem excitentur facilius ob preces quas in hujuſmodi rebus benedicendis fudit Eccleſia, & per quas impetrat ſponſa Chriſti, ut qui iis digne uſi fuerint, gratias recipiant uberiores. Et vero ſi privati per oleum, aquam, panem, & ſimilia a ſe benedicta, ſalutares effectus aliis obtinuerint, ut teſtatur Hiſtoria Eccleſiaſtica; a fortiori præſtare id poterit per preces ſuas Eccleſia, in qua Sancti omnes continentur.

At, inquies, tam poteſt Eccleſia certis ſignis alligare Chriſti merita ad delendas culpas, quam poſſit ea alligare indulgentiis ad condonationem pœnarum: atqui hoc poteſt; ergo & illud.

Confirm. 1. quia ſi Sacramentalia ſolum valeant ad excitandos ſalubres in anima motus, jam cruces palam expoſitæ, piæ item lectiones, & conciones ſacræ, vera erunt Sacramentalia, cum pios iis motus excitari compertum ſit.

Confirm. 2. ex S. Auguſtino, qui Enchir. cap. 71. *Delet*, inquit, *hæc oratio*, Dominica ſcilicet, *minima & quotidiana peccata*.

Reſp. ad 1. neg. maj. diſparitas eſt quod remiſſio pœnæ quæ poſt deletam culpam remanet, non requirat operationem intrinſecam in anima, ſed ſolam extrinſecam condonationem: at vero remiſſio culpæ fieri nequit, niſi ejus macula tollatur ab anima: id autem fieri non poteſt niſi per operationem quæ animam ipſam tangat: unde cum Eccleſiæ nec phyſice nec moraliter extra Sacramenta in animam agere conceſſum ſit, impoſſibile eſt ab ea quidpiam inſtitui quo deleantur peccata.

Reſp. ad 2. neg. etiam maj. non enim quidquid pios in anima motus ciere poteſt, Sacramentalibus annumerari debet; alioqui creaturæ omnes, quæ ſuo unaquaque modo, enarrando gloriam Dei, mentem ad Deum erigere valent, totidem eſſent Sacramentalia: ſed id unum Sacramentale dici debet, quod ab Eccleſia inſtitutum & ſpeciali ritu benedictum eſt, ut ejuſdem Eccleſiæ merita per modum impetrationis applicaret. Unde cum nonniſi pauca quædam hujus generis inſtituerit & benedixerit Eccleſia, neceſſe eſt ut pauca hæc ſola veram habeant rationem ſacramentalium. Quapropter pia lectio, verbi divini auditio, aſpectus crucis, ſi bene fiant, erunt ut & eleemoſyna, opera moralia Deo accepta, ſed non vera Sacramentalia propter ſpecialis hujus inſtitutionis & conſecrationis defectum. *Hinc*, ait Silvius ibid. *non idem valeret aqua, quæ adhiberetur ex falſa perſuaſione quod eſſet benedicta; licet enim devotionis fructum non perderet, Eccleſiæ tamen interceſſionem non applicaret*.

Reſp. ad 3. diſt. Delet Oratio Dominica peccata, delet, inquam, ex opere operantis; in quantum ſcilicet continet quamdam peccatorum deteſtationem in his contentam verbis, *Dimitte nobis debita noſtra*, C. delet ex opere operato, N.

TRA-

TRACTATUS
DE BAPTISMO.

TRactatum hunc pro more in plura partiemur Capita, quæ Baptiſmi nomen, eſſentiam, inſtitutionem, partes, Miniſtrum, ſubjectum, effectus, aliaque id genus ſcitu neceſſaria exponent.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, natura, & diviſione Baptiſmi.

BAptiſmi nomen originem habet a voce græca Βαπτισμὸς, quæ latinè immerſionem ſeu ablutionem ſignificat. Hinc ablutiones etiam profanę, v. g. balneorum uſus, non raro appellantur Baptiſmata, ut II. Eſdrę 2. & Marci 7. Hinc etiam ubi vehemens eſt ſeu malorum ſeu bonorum copia, qua homo quaſi inundari & immergi videatur, hic & metaphorico ſenſu quędam ineſſe dicitur ſpecies Baptiſmatis. Sic Chriſtus Luc. 12. pręnuntians afflictionum fluctus in ſe paulo poſt exundaturos, ajebat: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, uſque dum perficiatur*. Sic & idem Act. 1. ut gratiarum copiam Apoſtolis ſuis feliciter imminentem exprimeret, *Vos autem*, inquiebat, *baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies*.

Hodie paſſim & multo communius Baptiſmi nomine intelligitur primum novæ Legis Sacramentum. Hujus autem varię ſunt in Scriptura & Patribus appellationes. Nimirum a materia vocatur *Lavacrum aquæ; Unda genitalis; Vitale lavacrum; Fluvius aquæ vitalis*. Vid. Apoſtolum Epheſ. 5. Tertullianum L. de Bapt. c. 1. Cyprianum Epiſt. 2. A forma dicitur *Sigillum*, *Obſignatio fidei*, *Sacramentum Trinitatis;* tum quia per ipſum ſignat Deus fideles, velut oves paſcuę ſuę; tum quia ii fidem Deo ſpondent ſeu per ſe, ſi adulti ſint, ſeu per ſuſceptores, ſi pueruli. Ab effectibus nuncupatur *Spiritualis nativitas*, ſecundum id Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. *Regeneratio & Ablutio*, ad Titum 3. *Sepultura hominis cum Chriſto in mortem*, Rom. 6. *Circumciſio non manu facta*, Coloſs. 2. *Illuminatio*, Hebr. 6. Unde Gręcis Epi-

Epiphania vocatur *Feſtum luminum*, quod Chriſtus ea die baptizatus creditur. Denique a cęremoniis appellatur *Amictus ſplendens*, *Tunica ſemper una*, *Veſtimentum candidum*, *Unctio*, &c. Vide Baſilium in Orat. ad Baptizandos, Optatum Milevitan. Cyrillum Jeroſolymit. &c.

Jam non una eſt, ut eſſe deberet apud Chriſtianos omnes, definitio Baptiſmi. Baptiſmus, juxta Calvinum L.4. Inſt. c.15. eſt *Signum initiationis, quo in Eccleſia cooptamur ſocietatem, ut Chriſto inſiti inter filios Dei cenſeamur*. Pejor adhuc Joannis Wolchelii Sociniani definitio: is ſiquidem Lib.5. de vera Religione cap.14. (quod Opus Magiſtratuum juſſu Amſtelodami an. 1642. publice combuſtum eſt, ut videre eſt in Bibliotheca Anti-Trinitariorum, pag. mihi 96.) *Baptiſmus*, inquit, *nihil aliud eſt, quam publicum Chriſtianæ Profeſſionis Symbolum, quo per intinctionem in aquam homines illius Religionis initiantur*.

Verum utraque hęc definitio, vel definitionis corruptio jure a Catholicis rejicitur, ut & alię ſimiles. Prima quidem, tum quia innuit Baptiſma nudum eſſe ſignum, non vero efficax organum gratię ſanctificantis; tum quia ita ſilet de regeneratione quę primarius eſt Baptiſmi effectus, ut pari definitione contentus eſſe poſſit Socinianus; adde quod ne Calviniano quidem ſyſtemati congruat; cum, juxta illud, filii fidelium, quamvis non baptizati, in ſocietatem Eccleſię cooptati ſunt, Chriſto inſiti, ut filii Dei. Iiſdem laborat vitiis Socinianorum definitio, quę & id pejus habet ut totam Baptiſmi vim ad effectum mere exteriorem reducat. Verum hęc ex iis eluceſcent, quę de Baptiſmi neceſſitate, efficacia & effectibus deinceps diſputabuntur.

Longe aliam afferunt Baptiſmatis definitionem Catholici, qui Novatores vel preceſſere vel ſubſecuti ſunt: iique, licet penes verba utcumque differant, re tamen conſentiunt omnes. Nobis ut clarior preferenda videtur definitio Catechiſmi Tridentini part. 2. num. 5. his contenta verbis, Baptiſmus eſt *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ*, ſeu, ut addunt aliqui explicationis gratia, *cum expreſſa SS. Trinitatis invocatione*. Non accurata minus eſt iſthęc, Baptiſmus eſt *Sacramentum novæ Legis, ad ſpiritualem hominis regenerationem a Chriſto inſtitutum, conferendumque per externam corporis ablutionem ſub certa verborum forma*. Utraque definitio legitima eſt; quia utraque Baptiſmum per genus & differentiam exprimit; cum vox *Sacramentum a Chriſto inſtitutum*, vicem habeat generis, ceterę locum differentię teneant: utraque omni & ſoli Baptiſmo competit: utraque finem ejus indicat: utraque materiam ejus & formam exhibet, prior quidem paulo brevius, ſed minus explicite; poſterior diffuſius paulo, ſed & paulo clarius.

Confirm. quia legitima eſt definitio, cujus termini ſinguli verum quid & ad rei definitę conceptionem neceſſarium enuntiant: atqui talis eſt allata utraque definitio: 1. enim ibi dicitur Baptiſmus eſſe *Sacramentum*; & merito, cum ſit ſignum ſenſibile ad ſpiritualem hominis regenerationem conſtitutum, ut patet ex Joan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, & amplius patebit ex dicendis ubi de Baptiſmi neceſſitate; 2. eſt & illud Sacramentum *a Chriſto inſtitutum*, quod vel ex ipſa Sacramenti ut ſic definitione colligi poteſt; 3. inſtitutum eſt *ad ſpiritualem hominis regenerationem*; quia ut appoſite S. Chryſoſtomus Catech. 1. ad Illuminandos, *Baptiſmus non ſolum delicta purgat, ſed ita id præſtat ac ſi denuo*

gene-

generati eſſemus; 4. inſtitutum eſt *ut conferatur per ablutionem aquæ*, &c. quę verba materiam & formam Baptiſmi exhibent; efficiuntque ut allatæ definitiones & logicæ ſint & phyſicæ; logicæ dum definiunt per genus & differentiam, phyſicæ dum definiunt per materiam & formam.

At, inquies, neutra hæc definitio ſoli definito convenit, ſed utraque etiam Pœnitentiæ, utpote ſpiritualiter regeneranti adaptari poteſt; ergo.

Reſp. neg. ant. nam Sacramentum generationis eſt illud ſolum, quod dat primam vitam ſpiritualem iis qui naturalem acceperunt: porro ſolus Baptiſmus dat primam hujuſmodi vitam; pœnitentia vero eamdem iis reſtituit a quibus deperdita eſt; unde non regenerat, ſed reſuſcitat mortuos.

Baptiſmus analoge dividitur in Baptiſmum fluminis, ſanguinis & flaminis. Baptiſmus fluminis, eſt ille de quo ſtatim, qui nimirum recipitur per ablutionem aqueam ſub certa verborum forma. Baptiſmus ſanguinis, eſt paſſio ſeu martyrium hominis nondum ſacramentaliter baptizati. Baptiſmus flaminis ſeu ſpiritus, eſt ardens recipiendi Baptiſmi deſiderium, quod habet homo nondum baptizatus & vere contritus, ideoque dolore & lacrymis quaſi perfuſus & baptizatus.

CAPUT SECUNDUM.

De inſtitutione Baptiſmi.

UT quæſtio hæc ſecundum ſe totam pertractetur, videndum 1. an Baptiſmus Chriſti idem ſit cum Baptiſmo Joannis: ſi enim res ita ſit, inſtitutio ejus ad Chriſtum ſaltem ſolum referri non poterit; 2. poſito quod ambo Baptiſmata plurimum a ſe differant, quo tempore inſtitutus ſit Baptiſmus Chriſtianorum; 3. quo primum tempore obligare inceperit.

ARTICULUS PRIMUS.

An idem ſit Chriſti Baptiſmus qui Joannis.

CIrca præſens punctum erraverunt Veteres quidam, & recentiores multi: 1. enim Baptiſmum Joannis a Baptiſmo Chriſti penes ſubſtantiam non differre, ſed penes gradum ſolummodo, ſenſit Petilianus Conſtantienſis Epiſcopus Donatiſta, juxta quem *dedit aquam Joannes ſine nomine Trinitatis; dedit Spiritum ſanctum Chriſtus;* dedit ignem *Paracletus*, cum *crepitantibus flammis ardeſcens in Apoſtolos supervenit*. Ita refert Auguſtinus Lib. 2. contra Lit. Petil. c. 32.

Bogomili, ideſt *miſericordiam Dei implorantes*, Baptiſmum ſuum, Chriſti eſſe, ceterorum vero Baptiſmus, ut qui in aqua fiat, ſolius Joannis Baptiſma eſſe contenderunt; unde & eos qui ad ſectam ſuam tranſirent, de novo tingebant. Horum dux fuit Baſilius quidam, profeſſione Medicus, Monachus habitu, Maſſalianus ſecta: virum nequam omnium erroribus, quos recenſet Theodorus Petreus, flammis tradi juſſit Alexius Cp. Imperator an. 1118. *Catal. hæret. p. 35.*

Cal-

Calviniani & Lutherani, qui Sacramentorum vim in eo totam reponunt, quod fidem excitare valeant, parem utrique Joannis & Chriſti Baptiſmo efficaciam tribuere debuerunt, & tribuerunt de facto. *Certiſſimum*, ait Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 17. n. 7. *idem fuiſſe prorſus Joannis miniſterium, quod Apoſtolis poſtea delegatum eſt: non enim diverſum Baptiſmum faciunt diverſæ manus quibus adminiſtratur ∴ quare neminem perturbet quod alterum ab altero diſcernere Veteres contendunt*, &c. Idem fuit Melanchtonis ſenſus, ſic ille in locis an. 1158. tit. de Baptiſmo: *Joannes de paſſuro Chriſto, Apoſtoli de paſſo & reſuſcitato prædicabant; miniſterium tamen fuit idem, & effectus eoſdem habuit in credentibus*. A Magiſtris non defecere Diſcipuli, qui tamen hodie communiter plus efficaciæ Chriſti quam Joannis Baptiſmo concedunt.

Non una eſt Catholicorum de præſenti quæſtione ſententia; alii Baptiſmum Joannis pro vero habuere Sacramento, quod ad veterem Legem pertineret: ita Durandus. Alii eum neque ad veterem, neque ad novam Legem, ſed inter utramque quaſi medium fuiſſe volunt: ita SS. Bonaventura & Thomas in 4. diſt. 2. Alii denique *Baptiſmum Joannis, non fuiſſe per ſe Sacramentum, ſed quaſi quoddam ſacramentale diſponens ad Baptiſmum Chriſti* exiſtimant: ita re plenius perpenſa idem S. Thomas. 3. p q. 38. art. 1. ad 1. Sit

CONCLUSIO. Baptiſmus Joannis non fuit veri nominis Sacramentum.

Prob. 1. ad rationem Sacramenti requiritur ritus ſtabilis, inſtitutus a Chriſto, & qui per ſe habeat vim juſtificandi: atqui Baptiſmus Joannis ne unam quidem habuit e conditionibus prædictis, ac multo minus tres ſimul habuiſſe probari poteſt e Scripturis, ex quibus tamen unis argumentari tenentur Calviniſtæ. Et quidem 1. Baptiſmus Joannis non fuit ritus ſtabilis ac permanens, cum brevi admodum ſubſiſtere debuerit; quamdiu nempe neceſſarius erat, ut populi ad ſuſcipiendum ſine moleſtia Chriſti Baptiſmum diſponerentur. Unde Patrum alii Baptiſmum hunc vocant *præparatorium*, alii *initiatorium*, alii *introductorium*, &c. *Accepit*, ait Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. c. 9. *accepit Joannes Baptiſmum non diu manſurum, ſed quantum ſatis eſſet ad parandam viam Domino, cujus eum eſſe præcurſorem oportebat*; 2. etſi Joannis Baptiſmus ad Chriſtum referri debet, ut quodcumque opus bonum cujus inſpiratio deſurſum eſt, haud tamen ab eo inſtitutus dici poteſt ea ſpeciali ratione quæ requiritur ad Sacramentum. Scilicet enim Sacramentum a Chriſto inſtitutum, vel Chriſti Sacramentum, vel Sacramentum ſimpliciter diceretur: atqui Baptiſmus Joannis nullibi vel Baptiſmus ſimpliciter, vel Baptiſmus Chriſti nuncupatur. Neque hæc Baptiſmi Joannis appellatio orta eſt a perſona baptizantis, ut Novatoribus placet: alioqui enim Chriſti Baptiſmus dici potuiſſet Baptiſmus Petri, aliorumque a quibus conferebatur; præſertim cum Chriſtus minus baptizaret, quam Diſcipuli ejus, ut patet ex Joan. 4. porro nullibi Baptiſmus, quia collatus a Petro, Petri Baptiſmus dictus eſt; imo id vetat expreſſe Apoſtolus I. Cor. 1. v. 13. 3. demum nec Joannis Baptiſmus gratiam producebat per ſe. Baptiſmus enim in aqua, non autem in Spiritu ſancto, gratiam non parit: atqui Joannis Baptiſmus in aqua erat, non autem in Spiritu ſancto; idque Judæos ipſos edocuit humilis & ſapiens Præcurſor, ne

forte

forte plus ſe accepturos crederent, quam accepturi erant. *Ego*, inquit, apud Marcum c. 1. *baptizavi vos in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu ſancto*: & Joan. 1. v. 26. & 33. *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit quem vos neſcitis* ∴ *hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*. Ubi miniſterium Joannis inde a Chriſti miniſterio diſtinguitur, quod is Spiritus ſancti gratiam conferret, ille nudam aquam dando, Chriſtum quaſi gratiæ fontem indicaret. Hinc ibid. v. 31. de Chriſto ait Præcurſor ipſe: *Ut manifeſtetur in Iſrael, propterea ego veni in aqua baptizans*; ergo.

Prob. 2. ſi Baptiſmus Joannis idem fuiſſet cum Chriſti Baptiſmo, qui ſemel Joannis Baptiſma recepiſſent, haud denuo fuiſſent baptizati in nomine Chriſti; cum nuſquam iteratum fuerit Baptiſma rite collatum, ut cum aliis docent Pſeudoreformati: atqui tamen tincti ſemel Baptiſmo Joannis, rurſum Chriſti Baptiſmate initiati ſunt. Minor diſerte patet ex Act. cap. 19. ubi ſic legere eſt: *Factum eſt* ∴ *ut Paulus* ∴ *veniret Epheſum, & inveniret quoſdam Diſcipulos: dixitque ad eos, Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes. At illi dixerunt ad eum, Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt audivimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati eſtis? qui dixerunt, In Joannis Baptiſmate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ populum, dicens, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum ut crederent, hoc eſt in Jeſum. His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu: Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis*, &c.

At, inquit, Calvinus ibid. num. 18. verba hæc, *Baptizati ſunt*, non exprimunt novum aquæ Baptiſma, ſed largiorem donorum Spiritus ſancti copiam, ut Act. 1. v. 5. vel pleniorem de myſteriis fidei Chriſtianæ inſtructionem.

Reſp. id gratis & temere dictum a Calvino, tum quia nunquam probabit ex Scripturis, quæ ſola ejus regula ſunt, verba hæc, *Baptizati ſunt*, metaphorico ſenſu intelligenda eſſe; tum quia vel ipſa contextus lectio demonſtrat ſermonem hic eſſe de Chriſti Baptiſmo, quem ſtatim ſecuta ſit manuum impoſitio, ſeu Confirmatio, eique tunc temporis annexa variis linguis loquendi facultas; tum quia vox Baptiſmi, ubicumque ſolitarie & ſine addito uſurpatur in Scriptura, Sacramentalem Baptiſmum exprimit: unde Act. 1. ubi per eam ſignificatur conſpicua donorum Sancti Spiritus effuſio, non dicitur ſimpliciter, *Baptizabimini*, ſed *Baptizabimini Spiritu ſancto*; tum quia antiqui Eccleſiæ Doctores, qui pleniorem quam Calvinus, Scripturæ intelligentiam habere meruerunt, hæc Act. verba de nova Baptiſmatis collatione interpretati ſunt. Sic, ut in re obvia ceteros omittam, Hieronymus in Dialog. contra Luciferianos, *Baptiſma Joannis*, inquit, *in tantum imperfectum erat, ut conſtet poſtea Chriſti Baptiſmate baptizatos, qui ab eo fuerant baptizati*. Idem tradit Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. c. 9. & 10.

Nihilo melius eſt, quod poſt Druſium reponit Carolus Du Veil, Commentario in hunc locum, ſcilicet verba iſthæc, *His auditis*, &c. non eſſe S. Lucæ narrantis quid erga Epheſios illos actum ſit poſt interrogationem Pauli, ſed Pauli ipſius, qui æquivalenter dicat: *Joannes baptizavit Baptiſmo pœnitentiæ; qui vero eum audierunt, ab ipſo baptizati ſunt in nomine Domini*. Hanc enim non tam interpretationem Scripturæ, quam depra-

Digitized by Google

depravationem rident vel ipſi Proteſtantes. Sunt hæc Lucę verba, ait Grotius, *ſic accepere Latinus, Syrus, Arabs, & veteres omnes. Sententia illa*, ait Voſſius, *quæ verba hæc*, His auditis, *ad Pauli ſermonem refert, atque inde ſtatuit ſemel dumtaxat fuiſſe baptizatos* duodecim Epheſios de quibus agitur, *admodum eſt novella, quippe nata me nato*. Ergo, Deo ita providente, hic ut alibi ſæpius, *ſalutem ex inimicis noſtris*.

Prob. 3. Baptiſmus Chriſti nunquam ſine certa verborum Formula collatus eſt: atqui efficaciter probari nequit Baptiſmum Joannis ſub certa verborum Formula collatum eſſe. Hæc enim vel fuiſſet iſthæc, *Baptizo in eum qui venturus eſt*, ut colligunt aliqui ex citato Actuum loco; vel quæ deinceps a Chriſto præſcripta fuit, quęque diſertam trium perſonarum invocationem complectitur: atqui neutrum certo aſſeri poteſt.

Non 1. tum quia anxii erant Phariſæi an Joannes eſſet Chriſtus, ut patet ex legatione ad eum miſſa Joan. 1. atqui prorſus deſiiſſet anxietas illa, ſi Joannes in Chriſti venturi nomine baptizaſſet; indubie enim non eſt Chriſtus, qui in Chriſti venturi nomine baptizat; tum quia cum Joannes etiam poſt inchoatum Chriſti miniſterium baptizare perrexit, jam in nomine Chriſti ut venturi baptizare non potuiſſet; tunc enim & venerat Chriſtus & palam venerat, adeoque falſa fuiſſet formæ hujus ſignificatio, prout etiam obſervavit Voſſius. Adde quod Baptiſmata formis adeo diſparibus collata, pro uno eodemque haberi non debeant.

Non 2. ſi enim Joannis Baptiſmus in explicito Trinitatis nomine collatus eſſet, aliquid de Spiritu ſancto audiiſſent, qui recepiſſent Baptiſmum Joannis: atqui tamen ne quidem *ſi Spiritus ſanctus* eſſet, ſciebant Epheſii illi qui ſolum receperant Joannis Baptiſmum. Ait quidem Wollebius eos forſitan a quodam Joannis æmulo non recte baptizatos fuiſſe: verum hæc conjectatio, etſi S. Ambroſio & Eulogio Alexandrino placuit, a ceteris rejecta eſt, & merito; tum quia ſine ullo fundamento prodit; tum quia communi Patrum ſententiæ adverſatur; unde Photius poſt adductum Eulogii fragmentum: *Sic*, inquit, *exiſtimavit Eulogius, cum plurimi Patres oſtendant Joannis Baptiſma fuiſſe imperfectum*.

Wolleb. pag. 30.

Prob. 4. ex Patribus: Origenes in Joan. tom. 8. ſic habet: *Qui in Actis baptizati erant in Joannis Baptiſmo, & neque an Spiritus ſanctus eſſet, audierant, denuo ab Apoſtolo baptizantur, quia regeneratio non apud Joannem, ſed apud Jeſum per Apoſtolos ſuos fiebat*. Idem fatente Calvino ubi ſupra, docet Chryſoſtomus, nimirum Homil. 10. in Matth. præiverat Tertullianus Lib. de Bapt. cap. 10. his verbis: *Nihil cæleſte præſtabat* Baptiſmus Joannis... *Adeo poſtea in Actis Apoſtolorum invenimus quoniam qui Joannis Baptiſmum habebant, non accepiſſent Spiritum ſanctum, quem ne auditu quidem noverant; ergo non erat cæleſte, quod cæleſtia non exhibebat*. Plures recenſere ſuperfluum fuerit, cum fateatur Calvinus, *Veteres* utrumque Baptiſmum *diſcernere*. Vult quidem Novator ut ſibi major quam Chryſoſtomis & Auguſtinis fides habeatur; at tumidum hæreſiarcham Patribus præponere, iis dumtaxat conceſſum eſt, qui tenebras magis dilexerunt quam lucem: nobis aliud animo ſedet: *Si quis* ergo dixerit *Baptiſmum Joannis habuiſse eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti: anathema ſit:* Tridentinum Seſs. 7. Can. 1.

Objic.

Objic. 1. Ubi eſt idem ſignum, idem auctor, eademque ſignificatio, ibi idem eſt Sacramentum: atqui in Chriſti ac Joannis Baptiſmo hæc omnia unum idemque fuerunt: 1. quidem idem ſignum, eodemque modo applicatum, nempe aqua per ablutionem data; 2. idem auctor, nimirum Deus, unde Chriſtus Baptiſmum Joannis *e cælo* eſſe declarat Matthæi 21. 3. demum eadem ſignificatio, ſcilicet remiſſio peccatorum: unde vim utriuſque Baptiſmi iidem plane verbis exprimit Scriptura: *Venit* Joannes, ait Lucas c. 3. *prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, *Baptizetur*, ait S. Petrus Act. 2. 38. *unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*: ergo.

Reſp. 1. neg. maj. quia ad idem Sacramentum requiritur non modo materia eadem, idemque auctor, ſed & forma utrobique par: atqui probari nequit Joannem eadem uſum eſſe forma, qua uſus eſt Chriſtus; ergo.

Reſp. 2. neg. min. etſi enim hic & illic idem fuit ſignum, at non idem auctor, aut eadem practica ſignificatio. Non idem auctor, ſi proprie loqui velis: quia Baptiſmus Chriſti a Chriſto erat tanquam a cauſa particulariter operante: at vero Baptiſmus Joannis non erat a Deo, niſi ut quodcumque aliud ſanctum ſancti Præcurſoris opus, aut ſaltem contrarium efficaciter probari nequit. Neque etiam eadem fuit practica utriuſque Baptiſmi ſignificatio: 1. quia alioqui baptizatus infans a Joanne mundatus fuiſſet ab originali noxa, perinde ac ſi baptizatus eſſet a Chriſto: quod dici quidem poteſt, ſed non probari; 2. quia haud neceſſum fuiſſet eos denuo tingi, qui ſemel a Joanne tincti eſſent; & id tamen ex dictis falſum eſse liquet; 3. quia falſum eſt vim & effectum Baptiſmi utriuſque iiſdem exprimi verbis: nam Chriſti Baptiſmus dicitur ſimpliciter *in remiſſionem peccatorum*, quod peccata per ipſum remitti indicat; at vero Baptiſmus Joannis, non dicitur ſimpliciter Baptiſmus in remiſſionem peccatorum, ſed Baptiſmus *pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, ideſt Baptiſmus movens & excitans ad pœnitentiam, qua remittuntur peccata; atque hinc Joannis Baptiſmus a Tertulliano ibid. vocatur *Candidatus remiſſionis & ſanctificationis in Chriſto ſubſecuturæ*; & ab Auguſtino, *remiſſio peccatorum in ſpe*. Haud quidem, juxta Calvinum, *recipienda eſt illa Auguſtini argutia, in ſpe dimiſſa fuiſſe peccata Baptiſmo Joannis, Chriſti Baptiſmo reipſa dimitti*: ſed neque, juxra nos, recipienda eſt illa Calvini petulantia, qua Patres potiori honore dignos inverecunde dedignatur. *Ubi ſup.*

Objic. 2. Baptiſmus qui peccata dimittebat, idem quoad ſubſtantiam fuit cum Baptiſmo Chriſti: atqui Joannis Baptiſmus peccata dimittebat. Prob. min. ex Patribus. S. Baſilius Lib. 1. de Bapt. *Quantacumque*, inquit, *& qualiacumque peccata* quis *confeſſus fuiſſet & baptizabatur* a Joanne *in Jordane fluvio*, *ſtatim veniam conſequebatur peccatorum*. Idem docet vel ipſe Tertullianus ibid. c. 4. his verbis: *Nec quidquam refert inter eos quos Joannes in Jordane, & quos Petrus in Tiberi tinxit*. Demum declarat Auguſtinus Lib. 5. de Bapt. c. 10. nolle ſe *pugnaciter* agere cum iis qui *dimiſſa in Baptiſmo Joannis eſſe peccata* contendent. In idem cum aliis conſpirant Cyrillus, Optatus, &c. ergo. *Tom. 2. p. 632.*

Reſp. diſt. min. Baptiſmus Joannis peccata dimittebat ex opere operantis,

C. ex opere operato, N. Itaque excitabat Joannis Baptiſmus in iis a quibus ſuſcipiebatur, ſpiritum pœnitentiæ, cujus ope iidem veniam peccati conſequebantur: at non illico peccata remittebat vi ſibi indita, prout dimiſit Baptiſmus Chriſti; neque id aſſeruere objecti Patres. Non Baſilius, qui eo loci totus eſt, non ut Baptiſmum Præcurſoris æquiparet Baptiſmo Meſſiæ; ſed ut illum præferat Moyſis Baptiſmo, quia nullius, juxta S. Doctorem fuit utilitatis, quia nec in eo ullum fuit pœnitentiæ ſignum, nec ulla peccatorum confeſſio, nec propoſitum vitæ melioris; cum econtra moti per Joannis prædicationem Judæi ad Baptiſmum ejus accederent ſua confitentes peccata, ac proinde ſic affecti ut eorum veniam conſequerentur, non propter Baptiſma ipſum, ſed propter annexam ſuſceptioni ejus deteſtationem peccati, conſequenter ad quam promiſit Deus apud Ezechiel. c. 18. ſe iniquitatum hominis non recordaturum amplius.

Non Tertullianus, qui Joannis & Chriſti Baptiſmata comparat, non ratione effectus, ſed ratione materiæ, ſeu aquæ, quæ ſeu ſit Jordanis ſeu Tiberis, æqualiter prodeſt: quia, inquit, *nulla eſt diſtinctio, mari quis aut ſtagno, flumine an fonte, lacu an alveo diluatur.*

Non Auguſtinus, qui, ut in Scholis loquimur, eo loci argumentatur ex *dato*, non autem ex *conceſſo*: quaſi dicat, Eſto, demus Donatiſtis remiſſa per Baptiſmum Joannis fuiſſe peccata: quid tum in eorum gratiam? an quia baptizati Baptiſmo Joannis, denuo receperint Baptiſmum Chriſti, ut *aliquam ampliorem ſanctificationem* perciperent; ideo jam Chriſti
Ibid. Baptiſmo donati ab hæreticis, denuo baptizandi erunt? En Auguſtini ratiocinatio, in qua *dat*, ſed non *concedit*, Baptiſmum Joannis remiſiſſe peccata; cum & ante & poſt objecta verba totus ſit S. Doctor ut adſtruat iteratum eſſe Joannis Baptiſma, quia peccatum non deleret niſi *in ſpe*: unde & contra hunc præciſe Auguſtini locum inſurrexit Calvinus.

Non Cyrillus, Optatuſve, qui ſolum volunt peccata ex opere ſeu pœnitentia operantis per Joannis Baptiſmum remiſſa fuiſſe, non autem vi propria ipſius Baptiſmi: unde illud S. Chryſologi: *Per Baptiſmum Joannis purificabatur homo ad pœnitentiam, non promovebatur ad gratiam.*

Objic. 3. Si diverſa fuiſſent Joannis & Chriſti Baptiſmata, tincti Baptiſmo Joannis iterum tingi debuerunt Baptiſmo Chriſti: atqui falſum conſequens, Minorem probat Zvvinglius Lib. de vera & falſa Religione, 1. quia S. Andreas, qui utpote diſcipulus Joannis, ejus Baptiſmo tinctus fuerat, nullibi legitur Chriſti Baptiſmo deinceps tinctus fuiſſe; 2. quia Joannis diſcipuli ad eum retulerunt, quod Chriſtus baptizaret: ſi autem diverſum contuliſſet Baptiſma, id etiam retuliſſent; 3. quia diſcipuli Chriſti qui baptizabant, Joan. 4. non aliud conferebant Baptiſma, quam quod receperant ipſi: atqui Chriſti diſcipuli ſolum receperant Joannis Baptiſma; cum Chriſtus ipſe non baptizaret, prout ibidem expreſſe dicitur; ergo.

Reſp. 1. ad 1. neg. maj. etſi enim tantum inter Joannis & Chriſti Baptiſmata ſupponatur eſſe diſcrimen, quantum inter ſigna quorum aliud ſterile eſt, aliud efficax, haud tamen neceſſe fuit, ut omnes qui a Joanne tincti ſunt, denuo tingerentur juxta ritum Chriſti; quia non ita his, illiſve ſignis gratiam alligaverat Chriſtus, ut eam non aliter quam ipſorum ope conferre poſſet. Quamquam veri magis ſimile videtur, baptizatos a Joan-

Joanne rurſum baptizatos fuiſſe Sacramento Chriſti: 1. quia Act. 2. legimus tria hominum millia, jubente Petro, baptizatos fuiſse in nomine Chriſti: atqui vix concipi poteſt e tot hominum millibus, non fuiſse plures, qui a Joanne baptizati eſsent: cum teſte Matth. c. 3. exiviſſet *ad eum Jeroſ lyma, & omnis regio circa Jordanem*, iique *ab eo* baptizati fuiſſent *in Jordane, confitentes peccata ſua*: 2. quia idem colligere eſt e citato textu Act. 19. 3. quia idem docent Patres: ſic Hieronymus Ep. 83. ad Oceanum, & Dialog. adverſus Lucifer. *Joannis Baptiſma in tantum imperfectum fuit, ut conſtet poſtea Chriſti Baptiſmate baptizatos, qui ab eo fuerunt baptizati*. Sic Auguſtinus Tract. 4. in Joan. circa medium: *Qui baptizati ſunt a Joanne, non his ſufficit: baptizati ſunt enim Baptiſmo Chriſti; quia Baptiſmus Joannis non erat Baptiſmus Chriſti*, &c. Unde

Reſp. 2. neg. min. nec nocent gratuita Zvvinglii momenta. Non 1. ſicut enim colligit Novator, Andream a Joanne baptizatum, quia ejus diſcipulus fuit; ſic & colligi poteſt eum Chriſti Baptiſmo tinctum fuiſſe, quia ejuſdem Chriſti diſcipulus evaſit.

Non 2. unde potius contrarium elici poſſit: an enim veluti inſolitum quid nuntiatum fuiſset Joanni Chriſtum baptizare, niſi novo ille ritu baptizaſset?

Non 3. cujus neganda minor, ut & aſserta gratis, & contra Patrum mentem aſserta: *Non* enim, ait Auguſtinus Lib. 3. contra Petilian. cap. 55. *non Joannis, ſed Chriſti Baptiſmum miniſtrarunt Apoſtoli*. Neque ut eum miniſtrarent, neceſse fuit ut rem recepiſsent ipſi, quia totam ejus gratiam ab ipſo immediate Chriſto recipere potuerant, ut diximus. Quanquam probabile eſt Apoſtolos ſeu alios ab aliis, ſeu a Chriſto ipſo baptizatos fuiſse. Hæc enim Joan. 4. verba: *Quanquam Jeſus non baptizaret*, &c. habitum quidem & conſuetudinem baptizandi; non autem omnem prorſus baptizandi actum excludere videntur. Sic dici potuit Paulum non fuiſse miſsum ut baptizaret, etſi conſtat eum aliquoties baptizaſse. Atque id expreſse docet & probat S. Auguſtinus Epiſt. 44. alias 163. ad Eleuſium cap. 5. Certe docet Euthymius in cap. 3. Joan. B. Virginem ac S. Petrum a Chriſto fuiſse baptizatos: Petrus autem ex Evodio apud Nicephorum Lib. 2. c. 3. baptizavit filios Zebedæi. Quanquam non obſcure docet Auguſtinus Epiſt. 265. alias 108. Chriſtum eodem modo dignatum eſse baptizare omnes Apoſtolos, quo pedes omnium lavare dignatus eſt. *1. Cor.*

ARTICULUS SECUNDUS.

Quo tempore Chriſtus Baptiſmum inſtituerit.

DUo conſtant apud Catholicos, 1. Chriſtum non prius Baptiſmum ſuum inſtituiſse, quam a Joanne baptizaretur; cum exinde tantum legem gratiæ promulgare inceperit; 2. eum ante aſcenſionem ſuam Sacramentum hoc inſtituiſse. Quæritur ergo quo intermedio tempore conſtitui debeat hujus inſtitutionis epocha.

Multiplex eſt ea de re veterum ac recentiorum opinio. Alii Baptiſmum non niſi poſt paſſionem inſtitutum fuiſse volunt, cum ſcilicet aſcen-

Digitized by Google

ſurus in cœlos Chriſtus dixit Diſcipulis: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*. Ita Tertullianus Lib. de Bapt. c. 11. Chryſoſtomus Hom. 28. in Joan. Leo Ep. 4. &, ut videtur, Alenſis, &c. in idem propendet Melchior Canus Lib. 8. de Locis cap. 5. Alii ex adverſo plures contendunt Baptiſmum ante paſſionem inſtitutum eſſe; at de præciſo inſtitutionis tempore non conſentiunt: quidam enim eam referunt ad tempus quo Chriſtus baptizavit, & Apoſtolos baptizatum miſit; quidam ad tempus quo Nicodemum erudiens Salvator, ait: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. quidam ad tempus quo baptizatus a Joanne Chriſtus, aquas ſanctificavit; quidam demum nihil ea de re certi ſtatui poſſe exiſtimant. Sit

Conclusio I. Chriſtus Baptiſmum ante mortem ſuam inſtituit.

Fraſſen p. 124. Prob. 1. Chriſtus per ſe & per Diſcipulos ſuos ante Paſſionem ſuam baptizavit: atqui non baptizavit Baptiſmo Joannis; ergo Baptiſmo quem ipſe inſtituerat. Major conſtat ex Joan. 3. ubi ſic: *Poſt hæc venit Jeſus & Diſcipuli ejus in terram Judæam . . . . & baptizabat*. Et infra: *Quanquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus*. Prob. itaque minor, 1. quia Diſcipuli Joannis ægre tulerunt & apud Joannem conqueſti ſunt, quod Chriſtus baptizaret: atqui niſi aliud contuliſſet Baptiſma quam Joannis, jam non fuiſſet cur conquererentur quod baptizaret; imo exultare & gratulari Magiſtro ſuo debuiſſent, quod is cujus Joannes, uti palam fuerat confeſſus, *corrigiam calceamenti ſolvere dignus* non erat, ſe tamen quaſi Diſcipulum ejus profiteretur, ejuſque Baptiſmum adoptaret; 2. ibidem dicitur Chriſtus per Diſcipulos ſuos baptizaſſe: atqui ſi Chriſti Diſcipuli, non ipſius ſed Joannis Baptiſma contuliſſent; jam Chriſtus male diceretur per Diſcipulos ſuos baptizaſſe; ſed id dicendum erat de Joanne, cujus non autem Chriſti Baptiſma collatum eſſet; 3. quia Baptiſmus Joannis nec Spiritum ſanctum, nec peccatorum remiſſionem conferebat, ut probatum eſt; atqui Baptiſmus quo baptizabat Chriſtus, conferebat utrumque: & id docet Præcurſor ipſe Joan. 1. his verbis: *Ego baptizo in aqua: medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis. . . . hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*. Et Luc. 3. *Ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me . . . . ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igne*; quæ verba non indicant Baptiſmum poſt plures annos, ſed proxime conferendum. Unde Auguſtinus Tract. 15. in Joan. *Utrumque verum eſt, quia baptizabat* Chriſtus, *& non baptizabat. Baptizabat enim, quia ipſe mundabat; non baptizabat, quia ipſe non tingebat*. Et Tract. 5. *Dictum eſt de Domino antequam pateretur: Baptizabat plures quam Joannes, quamvis ipſe non baptizaret, ſed Diſcipuli ejus. Adhuc erat ibi Judas inter Diſcipulos; quos baptizavit Judas, ii non ſunt iterum baptizati; quos baptizavit Joannes, iterum baptizati ſunt: quia datus a Juda Baptiſmus Chriſti erat; datus a Joanne, Joannis erat*. Ubi Baptiſmus quem ante paſſionem per Diſcipulos ſuos contulit Chriſtus, a Joannis Baptiſmo prorſus diſtinguitur.

Prob. 2. quia Apoſtoli non alium aliis contulere Baptiſmum, quam quem a Chriſto immediate vel mediate acceperant: atqui Apoſtoli ipſum receperant Baptiſmum Chriſti, non Joannis: 1. quia *non decebat Sponſum dare Baptiſmum amici vel ſervi*, ut bene Auguſtinus Epiſt. 44. alias 163. cap. 5. 2. quia exigebat ordo ut Eccleſiæ principes in illam

eadem,

eadem, quam aliis reſeraturi erant, janua ingrederentur: porro Baptiſmus eſt, fuitque ſemper Eccleſiæ janua. Et vero, ait ibid. Auguſtinus: *Quomodo poterant Euchariſtiam accipere Apoſtoli nondum baptizati?* 3. quia *Petro volenti, ut totum ſe lavaret Chriſtus, reſpondit: Qui lotus eſt ſemel, non oportet eum iterum lavari, ſed eſt mundus totus;* ergo, ait ibid. Auguſtinus, ea ablutione loti erant Apoſtoli, quæ totum hominem mundum facit: atqui perfecta hæc mundatio non erat in Baptiſmo Joannis; ergo non Joannis, ſed alterius, Chriſti nimirum, Baptiſma receperant Apoſtoli; ac proinde Chriſti Baptiſma jam inſtitutum erat.

Objic. 1. Si Baptiſma Chriſti fuiſſet in uſu ante paſſionem ejus, utique dediſſet Spiritum ſanctum: atqui ante Chriſti paſſionem datus non fuit Spiritus ſanctus. Prob. min. ex Joan. 7. ubi ſic. *Nondum Spiritus erat datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Atque hinc Act. 1. *Vos*, ait ad Apoſtolos Salvator, *baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies;* ergo.

Reſp. diſt. min. ante paſſionem datus non fuit Spiritus ſanctus viſibili forma, eademque plenitudine, C. datus non fuit modo qui ad juſtificationem ſufficeret, N. Solutio eſt S. Auguſtini Lib. 83. qq. q. 62. ſic ille: *Spiritus S. latenter dabatur ante Domini clarificationem; poſt manifeſtationem autem divinitatis ejus, manifeſtius datus eſt*: quia nempe, *ut is qui aqua mergitur & baptizatur, undique ab aqua circumdatur, ſic* Apoſtoli in die Pentecoſtes *a Spiritu S. ſunt perfecti*: at non ideo dicendum neminem fuiſſe qui ante paſſionem Chriſti vere juſtificatus fuerit. An non enim juſtificatus erat Petrus, qui *mundus totus erat*? an non juſtificata peccatrix, cui, quoniam dilexerat multum, multa remiſſa fuerant peccata? an non latro ille, qui audire meruit: *Hodie mecum eris in Paradiſo*. *S. Cyril. Jeroſ.*

Objic. 2. Si Chriſtus ante paſſionem inſtituiſſet Baptiſmum, hunc juſſiſſet ab Apoſtolis conferri, cum *miſit illos prædicare regnum Dei*, Luc. 9. atqui ne tunc quidem locutus eſt de Baptiſmo; imo necdum tunc formam ejus præſcripſerat, quam de facto ſolum præſcripſit, cum prima vice mandavit Apoſtolis ut baptizarent, ubi nimirum a mortuis redivivus dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. Matth. ult. ergo.

Reſp. neg. majorem intellectam de juſſione explicita; hæc enim neceſſaria non fuit pro Sacramento, cujus & conferendi poteſtatem jam diu acceperant Apoſtoli, & vim pridem habebant compertam. Certe qui Diſcipulos *miſit prædicare regnum Dei*, voluit implicite ut Eccleſiæ aggregarentur, proindeque ut renaſcerentur ex aqua & Spiritu ſancto quicumque non obdurarent corda ſua.

Quod additur non ante fuiſſe præſcriptam Baptiſmi formam, quam cum mandatum eſt Apoſtolis ut docerent omnes gentes, gratis dicitur. Quis enim credat Apoſtolos qui toties hactenus baptizaverunt, ſine forma quacumque baptizaſſe? Certe baptizandi ritum edoceri potuerunt, etſi id in ſacro Codice ſcriptum non ſit. Unde objecta Matthæi verba non continent primam Baptiſmi inſtitutionem, ſed ejus extenſionem ad Gentes. Chriſtus enim primo vetuerat, ne Diſcipuli ſui *in viam* ſeu regiones *Gentium* abirent: poſtquam autem ſurrexit a mortuis, voluit ut Evangelii gratia ad omnes omnino mundi populos diffunderetur.

Digitized by Google

Objic. 3. S. Leo Epiſt. 4. ad Epiſcopos Siciliæ, ait Chriſtum *poſtquam reſurrexit a mortuis, Diſcipulis ſuis & formam & poteſtatem baptizandi* tradidiſſe. S. Chryſoſtomus & Theophilactus Baptiſmum ab Apoſtolis ante Chriſti paſſionem traditum docent expertem fuiſſe Spiritus. S. Optatus Lib. 5. contra Parmenian. n. 5. expreſſe tradit quod *nemo tinctus fuerat in Trinitate* ante reſurrectionem Domini. Idem prædocuerat Tertullianus: atqui hæc cum opinione noſtra conciliari non poſſunt; ergo.

Reſp. cum Fraſſen, in his levioris momenti quæſtionibus, quę Patres diverſas in ſententias traxerunt, iis eſſe adhærendum, qui & rem indagarunt penitus, & gravioribus nituntur argumentis: porro præſentem materiam profundius inveſtigaſſe videtur Auguſtinus; ejuſque probationes Scripturæ congruunt magis quam ceterorum, qui nonnisi obiter de Baptiſmi inſtitutione diſſeruerunt. Quanquam non deſunt qui S. Leonem & Optatum explicare conantur, ut Henno & Tournely, quos conſule.

Objic. 4. Quod vim ſuam ex paſſione Chriſti habet, at eamdem inſtitui non potuit: atqui Baptiſmus vim ſuam habet ex paſſione Chriſti; ergo.

Confirm. quia ex Auguſtino Tract. 15. in Joan. *De latere Chriſti Sacramenta Eccleſiæ fluxere;* ergo inſtitui non potuerunt, priuſquam Chriſtus pateretur.

Confirm. 2. quia ex Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus;* ſed ante Chriſti mortem nemo in morte ejuſdem Chriſti baptizari poterat; ergo.

Reſp. diſt. min. Baptiſmus vim ſuam habet ex paſſione Chriſti, vel facta, vel prævisa & acceptata, C. facta neceſſario, N. Nam paſſio Chriſti eſt cauſa moralis & meritoria: atqui ut cauſa moralis & meritoria operetur, non eſt neceſſe ut exiſtat actu, ſed ſatis eſt ut aliquando extitura ſit. Idque ab omnibus eſt admittendum, cum inficiari nemo poſſit, quin auteri, ſeu juſti qui tempore legis naturæ & ſcriptæ vixerunt, gratiam & juſtificationem ex futura Chriſti paſſione conſecuti ſint; ergo.

Ad 1. confirm. diſt. Sacramenta fluxerunt e latere Chriſti, quatenus Chriſtus eorum pretium moriendo plene perſolvit, C. fluxerunt, quaſi tunc fuerint inſtituta, N. Certe enim hinc ſequeretur Euchariſtiam a Chriſto inſtitutam non fuiſſe pridie quam pateretur. Addunt alii Sacramenta fluxiſſe e latere Chriſti repræſentative ſolum; quia aqua Baptiſmum, ſanguis vero Euchariſtiam, quæ duo ſunt potiſſima Eccleſiæ Sacramenta apprime repræſentat. De hoc adi Sairum Lib. 5. cap. 6. q. 3.

Ad 2. confirm. diſt. ut ſupra, ante Chriſti mortem non poterat quis baptizari in morte Chriſti ut jam conſummata realiter, C. ut futura, & acceptata, N.

Objic. 5. Baptiſmus Chriſti aperit cœlum baptizato: atqui nulli ante Aſcenſionem Domini apertum eſt cœlum; ergo nullus ante aſcenſionem fuit Baptiſmus.

Reſp. diſt. maj. Baptiſmus aperit cœlum, ideſt facit hominem dignum gloria cœleſti ſuo tempore recipienda, C. recipienda hic & nunc, N. Itaque digni erant cœlo qui pie ſuſceperant Baptiſmum; ſed quia membra Capiti præire non decebat, nemo in cœlos ante receptus eſt, quam Chriſtus eo aſcendens, captivam ſecum duxerit captivitatem.

CON-

Concluſio II. Chriſtus nec antequam baptizaretur a Joanne, neque dum ab eo baptizatus eſt, neque dum colloqueretur cum Nicodemo Baptiſmum inſtituit. Ita Scotus contra S. Thomam.

Prob. 1. pars, 1. quia nihil eſt in Evangelio unde colligi poſſit inſtitutionem Baptiſmi ante factum eſſe, quam Chriſtus a Joanne tingeretur; 2. quia Chriſtus necdum hucuſque prædicaverat Evangelium, aut aſſumpſerat Apoſtolos quos de Baptiſmo inſtrueret.

Prob. 2. pars, 1. quia inſtitutio Sacramentorum eſt actus Legislatoris; cum nova Sacramenta nonniſi pro Lege nova inſtitui poſſint: atqui Chriſtus cum ſubmiſit ſe Baptiſmo Joannis, non geſſit Legislatoris perſonam, ſed pœnitentis potius, qui aliena jam peccata abluere incipit, ſicut propria abluere conabantur Judæi alii a Joanne baptizati, ergo.

2. quia veri admodum ſimile eſt Chriſtum eo ordine inſtituiſse Baptiſmum ſuum, quo ipſum ab Apoſtolis miniſtrari voluit: atqui voluit Chriſtus Evangelii prædicationem Baptiſmo ſuo præmitti ab Apoſtolis; ergo pari ratione non ante cenſendus eſt ipſe Baptiſmum inſtituiſſe, quam cum annuntiari cępit Evangelium ejus: porro necdum Chriſtus Evangelium per ſe, ſuoſve prædicare cęperat, cum tinctus eſt a Joanne; ergo.

3. ideo cenſent Tournelyus & alii, Chriſtum inſtituiſse Baptiſma ſuum, cum in Joardane ablutus eſt, quia ipſe tunc aquas ſanctificavit, eiſque indidit vim gratiæ conferendæ, prout docent Patres non pauci: atqui hæc ratio nulla eſt: 1. quia ſanctificatio hæc de ſanctitate formaliter aquis tunc indita intelligi nequit; cum ſanctitas hæc, ſeu potius vis illa ſanctificandi non ſit in aqua niſi ex Trinitatis invocatione; 2. quia conſequenter ſanctificatio illa mera erat aquæ deputatio ad id quod deinceps futurum erat: porro aliud eſt aquam deputare ad hoc ut aliquando ſit Sacramenti inſtituendi materia, aliud inſtituere Sacramentum. 3. quia Patres adeo parum volunt hanc aquæ Jordanis ſanctificationem ex contactu Chriſti, fuiſse ipſam Baptiſmi inſtitutionem, ut Tertullianus, qui Baptiſma nonniſi poſt Chriſti reſurrectionem inſtitutum contendit, Jordanis aquas a Chriſto dum tingeretur, ſanctificatas eſse dicat Lib. adverſus Judæos cap. 8.

At, inquies, tunc concurrerunt omnia ad Baptiſmi inſtitutionem pertinentia: 1. enim per contactum Chriſti conſecrata eſt materia remota: 2. per ablutionem illius corporis indicata eſt materia proxima: 3. tradita eſt implicite forma per vocem Patris, per Filii carne induti perſonam, ac demum per præſentiam S. Spiritus ſub columbæ figura in Chriſtum illapſi: 4. aperti ſunt cœli, ut Baptiſmi cœlos aperientis effectus panderetur.

Reſp. hinc ſequi factam tunc inſtituendi paulo poſt Baptiſmi delineationem; nullatenus autem Baptiſmum actu & de facto inſtitutum fuiſſe. Et vero quæ invocatio Trinitatis in ſola trium perſonarum manifeſtatione?

Prob. 3. pars, quia inſtitutio Sacramenti pro publica neceſſitate conditi, non in angulo fieri debuit, ſed ad minus coram iis qui præcones ejus & miniſtri futuri erant: atqui ſi Chriſtus in eo colloquio quod cum Nicodemo habuit, inſtituiſset Baptiſmum, jam ipſum in angulo, & conclavi inſtituiſſet; ergo.

S 4 Con-

Confirm. Ideo adverſariis placet Baptiſma tunc temporis a Domino fuiſſe inſtitutum, quia ejus neceſſitatem his Nicodemum verbis edocuit, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. atqui hæc verba non magis probant factam tunc inſtitutionem Baptiſmi, quam paralella hæc Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*, probent inſtitutam fuiſse Euchariſtiam, quo tempore eadem protulit Chriſtus; ergo.

CONCLUSIO III. Ergo Chriſtus Baptiſmum inſtituit ſub illud tempus, quo miſit Apoſtolos ſuos prædicare & baptizare.

Prob. 1. quia vel hoc tempore inſtitutum eſt Baptiſma, vel aliis quæ proxime aſſignata ſunt: atqui non aliis quam iſtis, ut modo probatum eſt; ergo.

Prob. 2. quia Baptiſmum ſub illud tempus inſtitui decuit, quo jacienda erant novæ Eccleſiæ fundamenta, & laborandum ut acquireretur Domino plebs perfecta; ad utrumque enim egregie conferre Baptiſmum in aqua & Spiritu, nemo eſt qui primo intuitu non animadvertat: atqui quo tempore Chriſtus miſit Apoſtolos prædicare, jacienda fuerunt novæ Eccleſiæ fundamenta, illudque agendum ut pararetur Domino plebs perfecta, idque non per prædicationem ſolum, ſed & ope Baptiſmi, quem Chriſtus per Diſcipulos ſuos conferebat, ut vidimus ſupra; licet necdum tunc neceſsaria foret ejus ſuſceptio, ut ſtatim videbimus; ergo.

Prob. 3. quia, ut jam quoque diximus, decebat ut Baptiſmus coram iis inſtitueretur, qui præcipui ejus præcones ac miniſtri futuri erant; ergo decebat ut inſtitueretur poſtquam Chriſtus Apoſtolos elegit, & aliquanto tempore ad novi quod obituri erant miniſterii munia efformavit; ergo iterum cum non diu poſt electionem ſuam miſſi ſint prædicatum, & ſtatim baptizaverint, neceſsum videtur ut nec ante ſtatuatur, nec remittatur ultra Baptiſmi inſtitutio.

ARTICULUS TERTIUS.

Quando obligare cæperit lex Baptiſmi.

QUæſtionem hanc operoſe a nobis expenſam in Tractatu de Legibus, paucis hic, ne actum agatur, expendere placet. Sit itaque

CONCLUSIO I. Lex Baptiſmi ante Chriſti mortem non obligavit, utilis tamen erat Baptiſmi receptio. Ita S. Thomas q. 66. art. 2.

Prob. 1. pars. Lex Baptiſmi non obligavit, niſi quando obligare cæpit Lex nova; ea vero obligare non cæpit, niſi quando deſiit obligatio Legis antiquæ: atqui obligatio Legis antiquæ non deſiit ante mortem Chriſti; cum Chriſtus eam uſque ad mortem & ſervaverit ipſe, & ab aliis ſervari voluerit, ut probavimus in citato Tractatu cap. 4. art. 2. ſect. 7.

Nec nocet 1. quod Baptiſmus ante Chriſti mortem inſtitutus fuerit: quia aliud eſt rem inſtitui, aliud eamdem proponi ut neceſsariam: porro lex Baptiſmi ante Chriſti mortem propoſita non fuit ut neceſsaria; quia ut talis proponi non potuit, niſi dum promulgata eſt; non eſt autem promulgata ante mortem Chriſti, ut ſtatim dicemus. Et vero ſi

lex

Digitized by Google

lex Baptiſmi vivente Chriſto ſtricte obligaſſet, difficilius fuiſſet tunc temporis ſalvari, quam alio quocumque tempore; quippe Judæi & ad Baptiſmum obligati fuiſſent ex hypotheſi, & ad circumciſionem, quæ adhuc erat in præcepto, ut eodem loco oſtendimus.

Nec nocet 2. quod Chriſtus ante paſſionem dixerit, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. tum quia etiam ante paſſionem dixit, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. tum quia ut poſteriora hæc verba, ſic & præcedentia non impoſitam actu, ſed olim & certo imponendam obligationem denotant. Unde falſum eſt quod ait Tournelyus, eos quibus, ut Nicodemo, ſatis cognitum erat illud Chriſti dictum, illico ad Baptiſmi ſuſceptionem fuiſſe obligatos. Id enim nequidem verum de Gentilibus, ut cum Gamachæo obſervavimus in eodem Tract. p. 124. *Tourn. p. 267.*

Nec nocet 3. quod qui Chriſtum audierunt, eidem ſtatim credere debuerint: quia neceſſitas credendi Deo loquenti, juris eſt naturæ, proindeque obligat ſine mora; ſuſceptio vero medii, quod omnimode a libera Dei voluntate pendet, non obligat donec voluntas illa ſolemniter promulgata fuerit: porro Baptiſmus eſt medium ſalutis, quod a libera Dei voluntate omnimode pendet; & cujus proinde obligatio a Chriſto differri potuit, imo & quadantenus debuit, donec ſufficiens peracta fuiſſet ejuſdem promulgatio.

Prob. 2. pars, Baptiſma ſtatim ac inſtitutum eſt, verum fuit Sacramentum, & conſequenter opus productivum gratiæ: atqui ens de ſe productivum gratiæ, ſi pie recipitur, inutile eſſe nequit; ergo. Adi citatum de Legibus Tractatum p. 124.

CONCLUSIO II. Neque etiam obligavit lex Baptiſmatis ſtatim a morte Chriſti, ſed tantum poſt ſufficientem ejus promulgationem.

Prob. 1. pars. Si lex Baptiſmi ſtatim in ipſa Chriſti morte obligaſſet, ſtatim deſiiſſet remedium originalis peccati ſancitum pro Judæorum & Gentilium infantibus: atqui id niſi temere dici non poteſt; quia alioqui periiſſent infantes innumeri, quibus nec per Baptiſmum, qui necdum promulgatus erat, ſuccurri potuiſſet, nec per aliud quodcumque remedium, utpote jam inutile; cum Baptiſmi neceſſitas, alterius cujuſcumque remedii utilitatem excludat: quis porro hanc tot infantium perniciem cum ſumma Dei miſericordia conciliare queat?

Prob. 2. pars, quia lex a juſta auctoritate dimanans, ſtatim ut ſufficienter promulgata eſt, obligatione debet: atqui lex Baptiſmi juſta, nimirum Dei-hominis auctoritate, conſtituta erat, ergo. Hinc Tridentina Synodus Seſſ. 6. c. 4. docet juſtificationem *poſt promulgatum Evangelium ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto, fieri non poſſe.*

Objic. contra 1. partem. Lex Baptiſmi obligare cœpit, ſtatim ut Lex vetus deſiit obligare; alioqui nulla tunc extitiſſet Lex divina obligans: atqui Lex vetus in ipſa Chriſti morte obligare deſiit; ergo.

Reſp. neg. min. nam extincta quidem eſt ſecundum ſe Lex vetus in morte Chriſti, ſed non ideo ſtatim deſiit obligare; quia non ante obligare deſiit, quam Lex nova ſatis promulgata fuerit. Vide eumdem Tract. ibid. punct. 2.

Saltem, inquies, lex Baptiſmi cenſeri debet promulgata fuiſse, cum Chriſtus dixit ad Apoſtolos: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.*

Reſp.

Reſp. neg. ant. nam mandatum de promulgando privatis quibuſdam perſonis intimatum, prorſus diſtinguitur a promulgatione *in Judæa, Samaria, & uſque ad ultimum terræ* facienda; atqui citata Chriſti verba nihil aliud ſunt quam mandatum de promulgando; quod quidem mandatum ante Pentecoſtes diem impleri non cœpit; ergo. Ceteræ, quæ hic moram cient, difficultates partim ex Tractatu de Legibus ſolvendæ ſunt, partim ex iis quæ dicentur ubi de neceſſitate Baptiſmi.

Act. 1.

CAPUT TERTIUM.

De materia Baptiſmi.

EX dictis in Tractatu præcedenti conſtat duplicem eſſe Sacramenti cujuslibet in uſu conſiſtentis materiam, remotam ſcilicet, cujus applicatione conficitur Sacramentum, & proximam, quæ ipſiſſima eſt remotæ hujus materiæ applicatio. De utraque hic inſtituendus ſermo.

ARTICULUS PRIMUS.

De materia remota Baptiſmi.

ETſi in re tam aperta deeſſe videbatur errori locus, tot tamen circa Baptiſmi materiam prodierunt commenta, quot potuerunt prodire: 1. enim hæretici quidam materiam omnem Baptiſmo ſuſtulerunt, ut Gnoſtici, Archontici, aliique ejuſdem furfuris, qui ſenſibilia ſigna rejiciebant. Iiſdem adhæſere Manichęi, qui aquam imo & viſibilia omnia mali principii fœtum eſſe mentiebantur; 2. alii loco aquę ignem adhibuerunt, ut Jacobitę, a quodam Jacobo Zanzalo Syro propagati; utique quia ſcriptum ſit: *Ille vos baptizavit in Spiritu & igne*. Aliam iniere viam ſęculo 13. Flagellantes; hi nimirum verbo & exemplo prædicabant, *unumquemque baptizari debere proprio ſanguine per flagella de corpore excuſſo*: quanquam incertum eſt an ab iis rejectum ſit aquæ Baptiſma; 3. non defuere qui vel oleo aqua temperato inter baptizandum uſi ſint, ut Marcoſii de quibus Epiphanius hęr. 34. vel vinum miſcuerint aquę, ut ii quos perſtringit Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus, Tom. 6. Concil. pag. 1590. 4. Lutherus in colloquiis ſympoſiacis ſeu convivialibus cap. 17. interrogatus an deficiente aqua valeret Baptiſmus in vino, aut alio liquore, reſpondit tandem, *Quidquid balnei loco eſſe poteſt, illud aptum eſſe ad baptizandum*. Idem ſenſit Beza Epiſt. 2. ad Tillium, ubi ſic: *Si deſit aqua, & tamen Baptiſmus alicujus differri amplius cum ædificatione nec poſſit, nec debeat, ego certe quovis liquore, non minus rite quam aqua baptizarem*.

Aliter, meo quidem judicio; nam oppoſitum ſubinſinuat Tournelyus pag. 22. aliter, inquam, ſentire videntur recentiores Calviniſtę & Lutherani, quorum aliquot conſului ex profeſſo. *Materia ejus*, Baptiſmi, *eſt aqua*, ait in ſuo Theologię Compendio Wollebius, Baſileenſis Profeſſor, pag. mihi 126. *Materia externa* Baptiſmi, ait Antonius Walęus Tom. 2. p. 350.

Digitized by Google

p. 350. *omnium conſenſu eſt aqua*. Idem aſtruunt Marcus Frider. Wendelinus Lib. 1. cap. 22. Theſi X. & Joannes Cluto diſp. 33. pag. 289. Conſonat, imo & preſſius loquitur Bechmannus e Lutherana ſecta, part. 3. loco 13. *Si*, inquit, *in ſubſtantialibus aliquid deeſt, largimur quod Baptiſmus non ſit Organon efficax ad regenerationem .·. v. gr. ſi non peragatur in nomine Trinitatis, aut ſi alia materia quam aqua adhibeatur*. Quia ergo jam nullos forte circa præſens punctum habet hoſtes Eccleſia Romana, ſit paucis. Pag. 946.

Conclusio. Materia remota Baptiſmi, eaque neceſſaria, eſt aqua ſola naturalis, ſeu elementaris.

Prob. Ea eſt legitima perinde & neceſſaria Baptiſmi materia, quam inſtituit Chriſtus, quam uſurparunt Apoſtoli, qua utendum eſſe conſtanter docuere Patres & Concilia: atqui aquam ut ſolam Baptiſmi materiam inſtituit Chriſtus; eamdem uſurparunt Apoſtoli, &c. 1. quidem eam inſtituit Chriſtus. Sic enim loquebatur Matth. 28. v. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. atqui is baptizandi actus, ex eodem Chriſto Domino in aqua perficiendus erat, prout docuerat, Salvator ipſe tum his ad Nicodemum verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*; tum ipſa ſua agendi ratione; nam paulo poſt colloquium cum Nicodemo habitum, *venit Jeſus in terram Judæam .·. & baptizabat. Erat autem & Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim, quia aquæ multæ illic erant*: quis hic Chriſti, Joanniſque Baptiſmum pari aquæ materia, ut & pari immerſione collatum non perſpicat? Joan. 3. 5.

2. Eamdem adhibuere materiam Apoſtoli, aliique primiores Diſcipuli. Actuum enim 10. Petrus Cornelium, ejuſque cognatos & familiares baptizaturus: *Numquid aquam*, inquit, *quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi*, &c. ibid. cap. 8. v. 36. *Dum irent per viam* Philippus & Eunuchus Candacis Æthiopum Reginæ, *venerunt ad quamdam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari .·. & deſcenderunt uterque in aquam, Philippus & Eunuchus, & baptizavit eum*.

3. Eadem non alia materia utendum, firma ac conſtanti traditione ſanxerunt Patres & Concilia. Juſtinus Apol. 2. *Adducuntur*, inquit, *a nobis* Catechumeni, *ubi aqua eſt .·. nam in aqua lavantur*. Tertullianus Lib. de Bapt. Cajanitas refellit ex profeſſo, qui aquam quod vilis eſſet & communis tollebant ex Baptiſmo, atque hinc commendat Dei bonitatem, quod remedium facile obvium præparaverit hominibus; & omnipotentiam, quod per vilis creaturæ medium mirabiles in nobis effectus operetur. Auguſtinus Tract. 15. in Joan. *Tolle aquam non eſt Baptiſmus*.

4. Idem definiere Concilia: ſic Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*, *Sacramentum Baptiſmi*, inquit, *quod .·. confertur in aqua, tam parvulis quam adultis .·. proficit ad ſalutem*. Florentinum in Decreto Eugenii: *Materia hujus Sacramenti eſt aqua vera & naturalis; nec refert, frigida ſit an calida*. Trid. Seſs. 7. Can. 2. de Baptiſmo: *Si quis dixerit aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi .·. anathema ſit*.

Et vero ſi *quidquid balnei loco eſſe poteſt*, idonea foret Baptiſmi materies,

ries, ut deliravit Lutherus, id alicubi docuiſſet Scriptura; nec permiſiſſet qui Eccleſiæ præeſt Spiritus ſanctus, ut qui aquam abjiciebant, ubique terrarum traducerentur in hæreticos: atqui nuſpiam indicavit Scriptura, vinum v. g. lac, oleum & ſimilia, quæ balnei loco eſſe poſsunt, idoneam eſſe Baptiſmi ſacramentalis materiam. Aliunde quiſquis Luthero utcumque in puncto hoc præludere auſus eſt, is & ſine mora ubicumque Novator audit, & qua talis percuſsus eſt anathemate; ergo.

Etſi porro in hujuſmodi rebus tota facti ratio eſt ſuprema facientis voluntas, decebat tamen ut Baptiſmus aqua magis quam alio liquore inſtitueretur; tum quia ad Sacramentum omnibus & ſingulis neceſsarium, par erat ſeligi materiam ubique maxime commnnem: tum quia multum eſt analogiæ inter effectus quos aqua in corpore, & eos quos Baptiſmus in anima parit. Sicut enim aqua ſordes corporis, ſic Baptiſmus animæ ſordes abluit. *Sicut aqua refrigerat ardorem corporis, ita Baptiſmus ardorem concupiſcentiæ*, ait S. Hieronymus Epiſt. 83. ad Oceanum, &c.

Objic. 1. Præcipua Concluſionis noſtræ probatio deſumitur ex his Chriſti verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*: atqui ex eo loco colligi nequit aquam naturalem, eſse Baptiſmi materiam. Ut enim id hinc colligi non poſſit, ſatis eſt ut eo loci vox, *aqua*, non uſurpari debeat ſenſu naturali, ſed metaphorico; nimirum vel pro interioribus pœnitentiæ lacrymis, quæ hominem regenerant; vel potius pro ipſo Spiritu interius animam abluente: adeo ut particula *&* non conjunctiva ſit, ſed expoſitivæ vim habeat, & ſignificet, *ideſt*: atqui res ita ſe habet.

Prob. min. 1. quia græcus textns habet ſimpliciter, *ex aqua & Spiritu*, ideſt, ex Spiritu aqueo, ſeu inſtar aquæ mundante: prout Act. 17. v. 25. *vita & inſpiratio*, idem eſt ac *inſpiratio vitalis*. Unde Chryſoſtomus Hom. 31. obſervat *gratiam S. Spiritus, modo ignem, modo aquam appellari* a Scriptura: 2. quia aquæ nomine non magis in citato loco intelligi poteſt materia Baptiſmi, quam nomine Spiritus: conſtat porro Spiritum non eſse Baptiſmi materiam, 3. quia redarguit Chriſtus Nicodemum, quod ignoret hominem poſse denuo naſci: *Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* atqui ſi Chriſtus aquam metaphorice intellexit, jure culpatus eſt Nicodemus; quia ſcire debuerat præſto eſse tempus, quo, juxta Prophetas, abluendæ eſsent a Spiritu ſancto animarum ſordes. Si vero aquam naturalem indicare voluit Chriſtus, nihil fuit cur redargueret Nicodemum: quid enim mirum doctorem hunc ignoraſse id, quod cum a poſitiva voluntate pendeat, nemo hominem vel ſuſpicari poteſt? 4. non magis vox, *aqua*, apud Joannem, veram qua Chriſtiani baptizari debeant, aquam ſignificat, quam verum ignem ſignificet vox ignis in eo Matthæi 3. textu: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne*: atqui hoc non. 5. quia S. Joannes mox citato Matthæi loco Baptiſmum ſuum a Chriſti Baptiſmo hinc præcipue diſcriminat, quod ipſe in aqua baptizaret, Chriſtus autem in Spiritu ſancto baptizaturus eſset; ergo.

Reſp. 1. neg. 1. maj. dempta enim probatione quam ex Chriſti ad Nicodemum verbis depromimus, ſtaret, adhuc, & abunde ſtaret aquam natura-

turalem eſſe veram & ſolam materiam Baptiſmi: id enim ita demonſtraret & Apoſtolorum praxis, & conſtans Eccleſiæ agendi ratio ut ab ea nemini ſenſato vel latum unguem deflectere liceret.

Reſp. 2. ad 1. & 2. neg. min. *Quod* enim *in Scripturis ſanctis perſpicue ſonat, non eſt ad aliud referendum, quaſi figurate dictum ſit*, juxta regulam Auguſtini Lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 10. atqui vox *aqua* in textu citato tam perſpicue aquam naturalem ſonat, ut eam tota ſic ſemper intellexerit Eccleſia; ergo vox illa non ſic accipienda eſt, *quaſi figurate dicta ſit*: Et vero ne ipſi quidem Pelagiani, etſi adinventionum feraces, ad commentum hoc recurrere auſi ſunt. Nec nocent argutiæ in contrarium oppoſitæ: unde cum Doct. Tournely, qui argumentum hoc fuſe & ſolide verſat,

Reſp. ad 1. perperam confundi aquam cum Spiritu, quæ expreſſe in textu Joannis diſtinguuntur, ut ſymbolum & res ſymbolo deſignata. Quod Græca lectio habeat ſimpliciter, *Spiritu*, nihil ad rem; quia nomine Spiritus, tertia Trinitatis perſona non raro exprimitur, ut cum dicitur Marci 1. *Vidit* Joannes *cœlos apertos, & Spiritum tanquam columbam deſcendentem*. Haud pluris eſt quod addunt, particulam *&*, idem aliquando eſſe ac *ideſt*. Quid tum enim, niſi ſimul probent vel hoc ſemper eſſe, vel ſaltem hoc neceſſario eſſe in textu quem expendimus? Neutrum autem probabunt: non 1. quod manifeſte falſum eſt; non 2. cum obſiſtant Apoſtolorum praxis, traditio Eccleſiæ, & Conciliorum definitiones. Certe quo jure dicent adverſarii aquam *id eſſe* apud Joannem, *quod Spiritum*, eo & Sociniani dicent per iſta nomina *Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, unam eamdemque perſonam trinominem ſignificari. Nec obſtat Chryſoſtomus; aliud eſt enim dicere gratiam Spiritus ſancti per aquam deſignari quandoque, & quandoque per ignem; aliud dicere aquam in textu noſtro idem eſſe cum Spiritu: primum dixit S. Doctor, alterum, nec ſomniando, cogitavit.

Reſp. ad 2. aquam poſſe eſſe materiam Sacramenti, non autem Spiritum; ergo ab uno ad aliud nulla eſt illatio.

Reſp. ad 3. ei qui Chriſti verba ſerio perpenderit, mira non videbitur ejuſdem Chriſti objurgatio; neque vero hæc facta eſt quod non caperet Nicodemus hominem ex aqua renaſci debere, ſed quod non aſſequeretur ſenſum hujus verbi, *Oportet vos naſci denuo*: debuerat enim *Magiſter in Iſrael* concipere, hic agi de nova nativitate ſpirituali, cujus ut juvenes ſic & ſenes perinde capaces ſint. Adde virum qui in littera Legis ſpiritum vivificantem inquiſiiſſet, intellecturum fuiſſe, imminere tempus quo facies terræ per aquam renovanda eſſet. Id nempe prædixerat Ezechiel c. 36. his verbis: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris; & dabo vobis cor novum.*

Reſp. ad 4. neg. maj. ſiquidem vox *aquæ*, conſtanti ſæculorum omnium uſu litteraliter accepta eſt: ignis vero de quo Matth. 3. ſemper ſumptus eſt metaphorice, niſi forte cum intellectus eſt, vel de igneis linguis, quæ in Apoſtolos die Pentecoſtes illapſæ ſunt; vel ab Hieronymo & Beda de igne purgatorio. Et vero quis ignem veram ablutionis materiam eſſe putet? *V. Fraſſen p. 137.*

Reſp. ad 5. diſtinguit Joannes Baptiſmum ſuum a Chriſti Baptiſmo, non ratio-

ratione materiæ, quam eamdem in utroque fuiſſe probavimus, ſed ratione gratiæ, ad quam præparabat quidem Joannes, ſed quam ſoli Chriſto conferre datum erat.

Objic. 2. Si aqua neceſſaria foret Baptiſmi materies, non valeret Baptiſma in arena, vinove collatum: atqui valet tamen. Prob. min. ex Nicephoro qui Lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 37. refert, quod *cum Judæus per loca arida iter faceret, ac ſubito* ∴ *moriturus crederetur, ter ſuperfuſa in eum arena baptizatus eſt*, idque valide, quandoquidem *per hanc tam inſolitam & admirandam ſanctorum myſteriorum initiationem, imbecillitate omni tanquam vinculo quodam ſolutus, validius quam alii iter fecit*. Baptiſmi quoque in vino collati validitatem agnovere, tum Siricius, qui in duobus optimæ notæ MSS. ſic loquitur: *Presbyter, qui in vino baptizat pro maxima neceſſitate* ∴ *pro tali re nulla ei culpa aſcribatur; infans vero ille, ſi in SS. Trinitate baptizatus eſt, in eo permaneat*. Tum & Stephanus II. qui idem ferme repetit in reſponſo ad varia conſulta, quod edidere Sirmondus Tom. 2. Concil. Galliæ, & Labæus Tom. 6. Concil. pag. 1652.

Tom. 2. Bib. PP. Pariſ. — *Obiit an. 399.* — *Obiit an. 757.*

Reſp. ad 1. neg. min. ad 1. 2. dico 1. incertam eſſe veritatem hiſtoriæ a Joanne Moſcho primum, deinde a Nicephoro & Cedreno relatæ. Tum quia Cedrenus eam ſub Antonino pio eveniſſe ſcribit; Nicephorus vero tempore Aurelii Imperatoris; tum quia Judæum arena baptizatum Dionyſio Alexandrino præſentatum eſse ſcribit Nicephorus; Moſchus vero Dionyſio Aſcalonitæ.

Dico 2. hiſtoriam hanc, ſi vera ſit, nobis in probationem cedere: ſic enim pergit Nicephorus ibid. *Poſtquam domum ſunt reverſi, rem illam ad Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum retulerunt: Ille vero* ∴ *Eccleſiam ea de re conſuluit; cui viſum eſt aqua inſuper, juxta Eccleſiæ traditionem, eſſe abluendum*. Idem narrat Joannes Moſchus: unde duo colligere eſt 1. Baptiſmum arenæ reprobatum fuiſse ut adverſum *Eccleſiæ traditioni*; 2. ſubitam virium refectionem quam ſenſit Judæus, non ejus Baptiſmo, ſed fidei ejus, ardentique Baptiſmi deſiderio eſse attribuendam.

Ad 2. 2. Reſp. cum Juenino, ſuppoſititium eſse illud Stephani reſponſum: 1. quia veriſimile non eſt illud neſciiſse Papam, quod nec minores Clericos latet, Baptiſmum nempe ſola aqua perfici; 2. quia e manuſcriptis tribus quæ reſponſum illud continent, duo ipſum aſcribunt Stephano II. tertium Siricio; 3. quia nec inter ſe in hiſtorica narratione conveniunt iidem Codices. Adde 4. in eodem reſponſo ſanciri, ut Presbyter, qui aquam penes ſe habens, baptizavit in vino, plectatur cenſurâ, quia *contra Canonum ſententiam ire præſumpſit*: an vero ſat habuiſset Papa urgere Canones, cum Chriſti inſtitutionem, & Apoſtolorum praxim urgere poterat; ergo prætenſi optimæ notæ Codices, ſunt fidei admodum ſuſpectæ, ait Grandin p. 74.

Ex iis colliges 1. cum S. Carolo in Inſtruct. de Bapt. materiam Baptiſmi eſse aquam omnem, quæ communi hominum ſenſu & uſa eſt & vocatur aqua ſine addito, *ſive ea maris ſit, ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, ſive fontis, quæ ſine ulla adjunctione aqua dici ſolet*. Neque etiam refert limpida ſit an turbida, calida an frigida, dulcis an ſalſa, colorata, an

ſecus,

ſecus, naturaliter producta an per miraculum, modo hæc conveniat cum noſtra: neque enim educta e ſilice per Moyſem aqua, minus in ſe elementaris erat, quam Jordanis undæ. Idem eſt de ſudore qui tempore nimboſo e pavimento aut parietibus ſuboritur. Item & de aqua quæ ex nive, glacie, & grandine reſolutis conficitur.

Dixi, *reſolutis*, nix enim, glacies, grando, nebula, pruina, ut per ſe non lavant, ſic nec qua tales Baptiſmi materia eſse poſsunt, niſi ſaltem actionis tempore per manus calorem reſolvantur. Ubi ponderandum illud, *actionis tempore*: ſi enim nix nonniſi poſt factam applicationem reſolvi & fluere inciperet, non ſtaret Baptiſmus, quia tunc Miniſter non vere ablueret. An aqua e reſoluto ſale ſufficiat, controvertitur. Affirmant plures, quia ut grando eſt aqua frigore condenſata, ſic & ſal aqua eſt condenſata ardore ſolis; ita Henriquez, Bonacina, &c. Negant alii, ut Silveſter, Grandin, &c. quoniam ſal, ut & alia mineralia, videtur miſtum perfectum. Unde infero aquam hanc in caſu neceſſitatis adhiberi poſse, non extra.

Colliges 2. cum S. Thoma 3. p. q. 86. art. 4. quod *ſi forte aqua admiſceatur in tam parva quantitate alicui corpori*, ut compoſitum inde reſultans, magis ſit aliud quam aqua, ſicut lutum *magis eſt terra quam aqua, non poteſt fieri Baptiſmus*: ſecus ſi aqua tantopere prævaleat, ut re & nomine adhuc aqua dici poſſit, ut aqua lutoſa.

Colliges 3. a fortiori non valiturum Baptiſma collatum in vino, lacte, oleo, ſaliva, ſanguine, lacrymis, ſudore, urina, ptiſanna, offa, juſculo aut cereviſia bene decoctis, lixivia perfecta, ſucco ex pomis, pyris cerafiſve expreſso: quia hæc morali hominum judicio non reputantur aqua uſualis. Unde conſultus Innocentius III. an ratum foret Baptiſma propter aquæ penuriam in ſaliva collatum, negavit valere, c. 5. *De Baptiſmo*, &c. ut autem valet aqua per ſulphureos meatus tranſmiſſa, ſic & valeret tranſmiſsa per cineres. Imo nec valori Baptiſmatis obeſset ratio lixiviæ aut etiam juſculi in quo coctæ ſunt carnes, aliave hujuſmodi, *niſi forte*, ait ibid. S. Thomas ad 2. *ſit facta tanta reſolutio corporum lixatorum in aqua, quod liquor plus habeat de aliena ſubſtantia, quam de aqua, quod ex ſpiſſitudine perſpici poteſt. Si tamen ex liquore ſic inſpiſſato exprimatur aqua ſubtilis, poteſt ex ea fieri Baptiſmus, ſicut & in aqua, quæ exprimitur ex luto, licet in luto Baptiſmus fieri non poſſit*. Idem de atramento non craſso ſed tenui dixeris; quia majori conſtat aquæ copia quam aloes, aliorumque ingredientium: unde niſi forte ſpiſſius erit, vera eſt aqua licet nigra, ſicut aqua turbida, turbida licet, vera eſt aqua. Utraque quidem corpus fœdabit, ſed & utraque animam abluet.

An idonea ſint Baptiſmi materia aquæ e vitibus verno tempore ſtillantes guttatim; an eæ item quæ clibani * ope e roſis aut herbis exprimuntur, ambigunt Theologi. Negat S. Thomas ibid ad 5. de aqua roſacea, ceteriſque liquoribus alchymicis. Ex adverſo pugnant Puteanus, Tannerus, aliique viri graves, qui proinde in his, ſi alia deficiat materia certior, & urgeat neceſſitas, ſub conditione baptizandum eſse cenſent. His & nos adjungimus: 1. quia *in extremis extrema quæque remedia tentari debent*, atque ea proin quæ dubia ſunt, non aperte nulla. Porro tales videntur aquæ de quibus agitur in præſenti: 1. quia exiſtimant

* Alambic.

mant Medici, Chymici, & Philoſophi plures, elementa vere & formaliter manere in miſtis; ergo hinc ſeu ſolis ope, ut in vitibus, ſeu medio clibano, ut in ſtillatitiis liquoribus educi poſsunt; tumque haud minus cenſeri naturalis aqua; quam verus ſit ignis qui e ſilice per motum chalybis educitur; 2. quia quæ ceteras aquæ proprietates habent, ad minus aqua dubia reputari poſsunt: atqui, ait Dicaſtillo Tract. 2. de Bapt. diſp. 3. dub. 3. *Vidi aliquando amphoras bene grandes aquæ breviſſimo tempore ex vitibus colligi, nec in colore, ſapore, aut odore deprehendere potui, in quo differrent ab elementari* aqua. Differt quidem aqua roſacea pe nes odorem & ſaporem ab aqua vulgari: at accidentium diverſitas ſubſtantiarum diverſitatem neceſsario non arguit. Nam & differunt ſulphureæ balneorum aquæ quoad colorem & ſaporem ab uſualibus aquis; & tamen inficiari nemo poſſit eamdem utriſque ineſse naturam. Plura vide apud Henricum a S. Ignat. c. 3. & ex his infer liquores in ollæ operculo denſatos, quandiu nihil habent quo a communi aqua diſcrepare judicentur, ut dubiam Baptiſmatis materiam aſsumi poſse.

In dubio an liquor qui manu geritur, ſit aqua naturalis, non licet eo uti extra neceſſitatem: hæc vero ſi inſtet, non licebit modo, ſed & neceſsum erit dubia uti materia ſub conditione; quia longe minus eſt malum ſi Sacramentum periculo nullitatis, quam ſi homo periculo, imo & certitudini damnationis exponatur. Utique *non intervenit temeritas præſumptionis, ubi eſt diligentia pietatis*, ait S. Leo Papa cap. 113. *De conſecr.* diſt. 4. Bene Scotus: *Si poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eligenda eſt: ſi non adeſt poſſibilitas, via tutiſſima proxima teneatur: ceſſante impoſſibilitate caute ſupplendum, quod impoſſibilitas prohibebat.*

Qui domi in neceſſitate baptizant, curare debent ut aqua benedicta utantur, quia eſt id decentius, magiſque accedit ad praxim Eccleſiæ. In Baptiſmo ſolemni aqua eſse debet chriſmate permiſta, eodemque anno in pervigilio Paſchæ aut Pentecoſtes benedicta. Hæc nimirum eſt antiqua Eccleſiæ praxis, juxta id S. Baſilii Lib. de Spir. S. *Benedicimus aquam Baptiſmatis, & oleum unctionis*. Et licet in hoc a Latinis differant Græci, quod illi bis in anno tantum, hi vero quoties miniſtrandum eſt Baptiſma aquam conſecrent, haud tamen recens eſt apud Græcos conſecratio hæc, ſed, ut videtur, jam ab initio uſurpata. Hanc certe indicant Dionyſius Lib. de Eccleſ. hierarchia, Gregorius Nyſsen. Orat. de Bapt. & Euchologium quo ab annis amplius mille utuntur Græci.

Non convenit an gravis ſit obligatio præfatam aquam in ſolemni Baptiſmo adhibendi. Sunt qui in ejus omiſſione levem ſolum culpam ineſse putent; quia, inquiunt, benedictio hæc nec ad eſsentiam aut integritatem Sacramenti confert, nec grave quidpiam myſterium ſignificat. Alii grave hic peccatum admittunt: ita vel ipſe Diana, & melius: 1. quia aqua chriſmate delibuta expreſſius ſignificat unctionem Spiritus ſancti; 2. quia Eccleſiæ ſolemnitas in conſecrando chriſmate, ejuſque in eodem aſservando cura, non levis obligationis indicia eſse videntur; 3. quia graviter reus judicari ſolet, ſeu Epiſcopus qui *non per ſingulos annos in Cœna Domini chriſma conficit*, ſeu Parochus qui non recenti, ſed anni præcedentis chriſmate, quod poſt Paſcha comburere debuerat, utitur, ut ex veteri Canone colligit Pontas v. *Bateme* caſ. 6.

Can. 18. De conſec. *diſt.* 3.

Digitized by Google

caſ. 6. quanto igitur delinquet gravius qui nec novo nec antiquo chriſmate uti voluerit?

Animadvertat ergo *Parochus*, ait S. Carolus Borrom. in Inſtructionibus ſuis, *ut aqua, quæ materia Sacramenti Baptiſmi eſt, non ſolum vera naturaliſque ſit, ſed etiam eo ipſo anno.·.· benedicta in Sabbato Sancto, aut Sabbato Pentecoſtes.*

Quod ſi intra annum pro temporis diuturnitate aliave cauſa illam corrumpi contigerit, in Sacrarium prope Fontem Parochus projiciet, ſtatimque & Fontem purgabit: & vero ſi in urbe eſt, ad Metropolitanam; ſi in Diœceſi ad Plebanam Eccleſiam veniet, unde proprio vaſculo nitido aquam baptiſmalem accipiat, in Parochialemque Eccleſiam ſecreto ferat; ubi quamprimum in Fontem effundet, baptiſmalique aquæ allatæ tantum etiam aquæ puræ, nitidæ & recentis addet, quantum ſatis erit. Hoc ipſum quoque præſtabit, ſi etiam aqua baptiſmalis per annum aliquo modo defecerit.

Et quoniam interdum accidit, ut in ſumma hieme baptiſmalis aqua vi frigoris conglaciet, aut gelida nimis fiat, tunc ut aliquo calore liquefacta aut calefacta, uſui ad baptizandum infantem eſſe poſſit, aliam aquam vaſe mundo calefactam immiſceri licet, quæ aqua calefacta longe paucior erit, quam illa quæ benedicta eſt. Qua in re etiam cavebit Sacerdos, ne quid aliud commiſceat quam aquam puram & naturalem, quamvis calidam.

Ne vero temeraria manus abutatur aqua baptiſmali ad ſuperſtitionem & perniciem, Sacerdos Fontem ex præſcripto bene communitum, ſera etiam clavique claudet, quam ne Clerico quidem committens, apud ſe cuſtodiet perpetuo.

ARTICULUS SECUNDUS.

De materia proxima Baptiſmi.

Ablutio, quocumque tandem modo fieri debeat, eſt materia proxima Baptiſmi, prout loquuntur Theologi omnes dempto Farvacio: circa hanc proponuntur multa quæ ad praxim pertinent: 1. nimirum an ablutio hæc per immerſionem fieri debeat, an ſufficiat facta per aſperſionem aut infuſionem; 2. an valeat, ablutio occiſiva; 3. an & valeat facta in quacumque corporis parte. Sit

Conclusio I. Baptiſmus ſolemnis ab Apoſtolorum ævo uſque ad ſæculum decimum tertium per trinam immerſionem collatus eſt: valet tamen collatus ſeu per aſperſionem, ſeu per infuſionem ſucceſſive factam.

Prob. 1. pars, 1. quia non aliter baptizarunt Chriſtus & Apoſtoli, quam ipſe Joannes; hoc enim indubie ad Joannem retuliſſent, & forte redarguiſſent Diſcipuli ejus, Chriſti æmuli: atqui Joannes immergendo baptizabat; unde baptizabat *in Ænnon, quia aquæ multæ illic erant;* & Chriſtus *poſtquam baptizatus fuit, de aqua* aſcendiſse dicitur. Matth. 3. hinc etiam ubi de Eunucho Candacis baptizando actum eſt, *Philippus & Eunuchus deſcenderunt in aquam;* quod neceſse non fuiſset, ſi tunc receptum eſset ut Baptiſmus aſperſione vel infuſione conferretur. Objicit quidem Simmonetus, Joannem ubique depingi quaſi qui aquam ſupra Chriſti caput effundat. At id factum videtur, quia vix aliter decenti modo depingi poterat Baptiſmus Chriſti. Ceterum Pictoribus ut & Poetis, *quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.*

2. Idem ſerie non interrupta docent tam Græci quam Latini Patres, ac præcipue Juſtinus Apol. 2. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 2. Baſilius Lib. de Spiritu S. c.27. ubi ait *ter immergi hominem* in Baptiſmo; Theodoretus, qui Lib.4. Hæret. fab. c.3. Eunomium hæreticum carpit, quod omnium primus contra Apoſtolicum morem, unam pro trina immerſionem uſurpaſſet. Quin & Apoſtolici Canones, qui licet Apoſtolorum fœtus non ſint, expreſſi tamen ſunt ex antiquis Conciliis, ſic habent Can. 50. *Si quis Epiſcopus aut Presbyter, non trinam immerſionem .:. celebret, ſed ſemel* tantum *mergat, deponatur*. Idem e Latinis Patribus tradunt Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, & qui in Occidente de divinis officiis ſcripſere, ut Alcuinus, Amalarius, Walafridus Strabo, qui nono Eccleſiæ ſæculo floruere.

Quod autem ille triplicis merſionis ritus ad ſæculum uſque XIII. perduraverit, patet 1. quia adhuc erat in uſu tempore Petri Lombardi, qui an. 1164. obiit. Is enim de proxima Baptiſmi materia diſſerens, altum ſilet de infuſione, & ſolum quærit *quoties* immerſio *fieri debeat*; 2. quia S. Thomas qui die 7. Martii an. 1274. diem clauſit extremum, ait q. 66. art.7. *tutius* eſſe *baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet uſus communior*, & art.8. *Graviter*, inquit, *peccaret*, *aliter* quam trina immerſione *baptizans, quaſi ritum Eccleſiæ non obſervans*. Idem teſtatur qui eodem anno exceſſit e vivis S. Bonaventura. Scribit tamen is in 4. diſt. 3. q. 1. uſum per aſperſionem baptizandi in multis Eccleſiis, Gallicana præſertim, invaleſcere. Utrumque vero aſperſionis & immerſionis ritum permittit Concilium Ravennenſe II. an. 1311. habitum ſub Clemente V. tit. 11.

Dixi in Concluſione, *Baptiſmus ſolemnis*, qui enim privatim ſeu Clinicis, ſeu aliis urgente neceſſitate conferebatur, nec fiebat, nec fieri poterat per immerſionem: de quo ſtatim.

Prob 2. pars. Si non valeat Baptiſma per aſperſionem vel infuſionem collatum, utique quia præceperit Chriſtus ipſum per immerſionem conferri, idque ſub pœna nullitatis: atqui nuſpiam id præcepit Chriſtus. Si enim præcepit, vel verbo vel exemplo: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. cum nullus citari poſſit Scripturæ textus, qui Baptiſmum infuſione vel aſperſione datum, viribus carere inſinuet. Non 2. quia multa fecit Chriſtus in Sacramentorum diſpenſatione, quæ non mandavit fieri, & multo minus ſub nullitatis pœna. Sic Apoſtolorum pedes lavit ante inſtitutionem Euchariſtiæ, eamque in azymo pane conſecravit, & poſt Cœnam porrexit Apoſtolis, nec tamen hæc a ſuis fieri præcepit; ergo.

Confirm. 1. ſi immerſio ad ſubſtantiam vel integritatem Baptiſmi ex Chriſti inſtituto pertinuiſſet, indubie nec Apoſtoli aliter baptizaſſent quam mergendo, nec Eccleſia prioris ævi ratum habuiſſet Baptiſma per infuſionem aut aſperſionem datum: atqui & probabile eſt Apoſtolos aliter quam mergendo baptizaſſe; & certo certius Eccleſiam ratum habuiſſe Baptiſma per aſperſionem vel infuſionem datum.

1. quidem veri admodum ſimile eſt Apoſtolos aliter identidem quam mergendo baptizaſſe; ut cum nunc tria, nunc quinque hominum millia, uno die Baptiſmum receperunt, prout legitur Act. 2. & 4. item cum baptizandi erant ſeu infirmi in lecto decumbentes, qui citra vitæ diſpen-

pendium nec moveri, & multo minus immergi potuiſſent; ſeu homine in angulo domus concluſi, ut cum Act. 16. v. 33. Paulus & Silas totam cuſtodis carceris in quem conjecti erant, familiam baptizavere. Quod exemplum imitatus aliquando S. Laurentius militem unum, cui nomen Romano, aqua ex urceo effuſa baptizavit. Idemque pluries factitatum teſtantur acta S. Gratiliani, S. Bacchi junioris, &c.

Dixi, *probabile eſt*, fieri enim abſolute potuit, ut Petrus ſeu per ſe, ſeu per alios quinque hominum millia immerſerit ex urnis ubique fere ad Judæorum purificationem poſitis, ut advertit Illuſtr. Boſsuetus unde Calviniani qui Baptiſmum infuſione datum valere putant, hanc ejus validitatem ex Scriptura, quam unam ſibi eſse regulam gloriantur, efficaciter probare non poſsunt.

2. ratum habuit prioris puriorisque ævi Eccleſia Baptiſmum per ablutionem aut infuſionem collatum; & id quidem liquet 1. ex exemplis modo allatis; 2. ex variis Conciliis quæ Clinicorum, ſeu eorum qui in lecto jacentes abluebantur, Baptiſma validum agnovere, ut Romanum an. 251. ſub Cornelio, in quo haud rejectum fuit Baptiſma quod Novatianus in lecto decumbens receperat; Neocæſarienſe an. 314. Can. 12. ubi *ſi quis in ægritudine fuerit baptizatus, ad honorem Presbyterii* promoveri vetatur, *niſi forte propter ſequens ſtudium ejus & fidem, atque hominum raritatem talis poſſit admitti*: ſi autem ad Presbyterium admitti poterat, ergo valide fuerat baptizatus. Idem decernunt Synodi Antiſſiodorenſis an. 578. Can. 18. Matiſconenſis II. an. 585. Can. 3. Pariſienſis VI. an. 829. ubi innovatur Decretum Neocæſarienſe. *Edit. Pariſ. 1609.*

His conſonant Patres: Tertullianus Lib. de Pœnit. cap. 6. ut oſtendat quam grave tardo tepidoque Catechumeno diſcrimen inſtet: *Quis*, ait, *tibi tam infidæ pœnitentiæ viro adſperginem unam cujuslibet aquæ commodabit?* ergo ſupponebat dari quandoque Baptiſmum per unum aquæ adſperginem. Cyprianus Ep. 69. Edit. Pearſon. 76. Edit. Pamelii, reſpondens Magno, a quo interrogatus fuerat an Clinici *habendi ſint legitimi Chriſtiani, eo quod aqua ſalutari non loti ſint, ſed perfuſi*: *Apparet*, inquit, *aſperſionem quoque aquæ inſtar ſalutaris lavacri obtinere*. Auguſtinus Tract. 80. in Joan. *Hoc*, inquit, *verbum fidei*, idest Trinitatis invocatio, *tantum valet in Eccleſia Dei, ut per ipſum ... tingentem etiam tantillum, mundet infantem*; ſi infantem, ut mundetur; tantillum tingi ſufficiat; ergo neceſſe non eſt eum immergi.

Confirm. 2. quia ad valorem Baptiſmi non requiſivit Chriſtus niſi aquam pro materia remota, juxta illud, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*; & ablutionem proprie dictam pro materia proxima, juxta iſtud: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*: atqui, ut bene S. Thomas ibid. art. 7. *ablutio fieri poteſt non ſolum per modum immerſionis, ſed etiam per modum aſperſionis vel effuſionis*. Unde & vox Baptiſmi, quamvis ut plurimum immerſionem ſignificet, non raro tamen ſimplicem aquæ effuſionem exprimit. Sic Lucæ 11. Phariſæus, qui Chriſtum ad menſam invitaverat, cœpit intra ſe cogitare, *quare* idem Chriſtus *non eſſet baptizatus*, id eſt manus non laviſset *ante prandium*. Sic Marci 7. v. 4. dicitur Phariſæos non comedere, cum a foro redeunt, *niſi baptizentur*; additurque apud eos vigere *baptiſmata calicum ... & lectorum*. Si enim quo-

T 2 ties

ties redibant a foro, immergebant ſe aqua Phariſæi, quod creditu difficile eſt, certe lectos non immergebant, ſed aſpergebant tantum.

Prob. 3. pars, quia ad Baptiſmum requiritur vera & proprie dicta ablutio: atqui niſi aquæ contactus ſucceſſive fiat, jam non erit ablutio vera. Unde qui una aut altera gutta non defluente aſpergitur, poterit quidem dici madefactus, at vero nullibi ablutus aut lotus dicetur; ergo.

Objic. 1. Ritus qui primis Eccleſiæ temporibus neceſsarius fuit, hodieque neceſsarius eſſe debet: atqui immerſionis & quidem trinæ ritus, primis Eccleſiæ temporibus neceſsarius fuit; ut patet ex citato Canone 50. inter Apoſtolicos, aliiſque quæ congeſſimus teſtimoniis; ergo.

Reſp. diſt. maj. ritus qui ab initio neceſsarius fuit neceſſitate præcepti divini, hodiedum neceſsarius eſſe debet, C. ritus qui neceſsarius fuit neceſſitate ſolum præcepti Eccleſiaſtici, N. Sic diſt. min. neg. conſeq. porro contendo neque ritum immerſionis trinæ, neque ritum immerſionis ſimpliciter uſquam neceſsarium fuiſse neceſſitate præcepti divini. Alioqui enim nuſquam aliter baptizatum eſſet quam per immerſionem, eamque qui admiſiſsent, neceſsario trinam admiſiſsent: atqui nec ſemper baptizatum eſt per immerſionem, nec qui eam adhibuerunt, trinam neceſsario admitti debere crediderunt. Quod non ſemper per immerſionem baptizatum ſit, patet ex probationibus ſecundę partis Concluſionis noſtrę. Quod autem qui immerſione uſi ſint, eam non adhibuerint ut omnino neceſsariam, probatur, quia cum nonnulli Hiſpanię Catholici, in odium Arianę perfidię, quę ut triplicem in Deo naturam deſignaret, triplici lubens utebatur immerſione, unicam tantum immerſionem adhibendam decrevisſent, conſultus ea de re, quę turbas in Hiſpaniis moverat, S. Gregorius Magnus, his reſpondit verbis Lib. 1. Epiſt. 43. alias 41. *Quia nunc huc uſque ab hæreticis infans in Baptiſmate tertio mergebatur, fiendum apud vos eſſe non cenſeo, ne dum merſiones numerant, divinitatem dividant;* ergo ſentiebat ſanctus, aviteque fidei retinentiſſimus Pontifex, *reprehenſibile nullatenus eſſe, infantem in Baptiſmate vel ter, vel ſemel mergere*, ut ipſe ibid. diſerte teſtatur. Porro hoc Gregorii Magni Decretum contra pertinaciores aliquos antiqui ritus defenſores vindicarunt, & amplectendum decreverunt Patres Concilii IV. an. 633. apud Toletum habiti.

Non diffitebor hanc Hiſpanorum immutationem erroris ab Alcuino inſimulatam fuiſse: at immoderatiorem Alcuini zelum repreſſit Concilium Wormatienſe an. 868. Can. 5. ubi Gregorii Decretum, quod eidem Papę falſo attribui, falſo contendebat Alcuinus, approbat, & ſuum facit approbando. Neque vero rem novam ſanxerat S. Gregorius, ſed inhęſerat deceſsoris ſui Pelagii II. veſtigiis, qui Baptiſma a Bonoſiacis ſub una merſione, modo in nomine Trinitatis collatum approbaverat, ut patet ex ejus ad Gaudentium Reſcripto, tit. De Bapt. cap. 161.

Nec nocet intentata Canone 50. Apoſtolico depoſitionis pœna; tum quia depoſitione mulctari poteſt, qui a ritu antiquo, & ubique recepto, privata auctoritate diſcedit; tum quia ſuſpicari eſt eos qui trinam merſionem tunc temporis omittebant, omiſiſse & invocationem Trinitatis. Idque indubium erit, ſi prędictus Canon feriat Eunomianos: hi nempe cum Magiſtro ſuo ſentiebant, *non oportere* in Baptiſmo *invocare*

Trin-

Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem, prout commemorat Theodoretus Lib. 4. Hæret. fab. cap. 3. Ceterum collectionem Canonum qui falſo inſcribuntur Apoſtolici, cum antiquioribus ignoti fuerint, Gelaſius Summus Pontifex in Synodo Romana an. 494. declaravit eſſe Librum apocryphum.

Inſt. 1. Ritus ab Apoſtolis ipſis dimanans, non Eccleſiaſtico ſolum, ſed & divino jure præſcriptus eſt: atqui trinæ immerſionis ritus ab Apoſtolis ipſis dimanavit. Minor patet ex regula S. Auguſtini Epiſt. 118. ubi *quæ toto terrarum Orbe obſervantur*, niſi ab aliquo inſtituta Concilio deprehendatur, quod immerſioni, Conciliis omnibus antiquiori, non convenit, *ab ipſis Apoſtolis ſtatuta* eſſe dicuntur. Prob. itaque major, quia ſi ſemel labefactetur principium iſtud, ea nimirum juris eſſe divini, quæ ab Apoſtolis præcepta ſunt, jam probari non poterunt parvulorum Baptiſma contra Anabaptiſtas, ſuffragia pro mortuis contra Calvinianos, &c. ergo.

Reſp. ad 1. neg. maj. ſi enim quidquid ab Apoſtolis factum eſt, aut etiam præceptum, juris ſit divini, nec ſuffocato veſci licebit, quia id prohibitum ſit Apoſtolis, nec Bigamos ad Ordines admittere, quia id vetuerit Paulus: atqui utrumque falſum eſt. Ea igitur ſolum juris ſunt divini, quæ Apoſtoli ut divini præcepti promulgatores præſcripſere: quæ vero ab iiſdem tradita ſunt ut ſpectantia diſciplinam, etſi temere mutari non debent, mutari tamen poſſunt, ſi quando id graves exigunt cauſæ, non quidem a privatis, ſed ab Eccleſia, cujus inſuper eſt decernere an hæc vel illa Apoſtolorum traditio fidem aut mores ſpectet, an tantum diſciplinam.

Neque alia eſt objecto in loco mens Auguſtini: cum & contendat ibid. jejunium naturale fidelibus ad Euchariſtiam acceſſuris præceptum fuiſſe ab Apoſtolo, & illud tamen juris eſſe Eccleſiaſtici fateatur. Ita Juenin, Tournely, &c.

Inſt. 2. Ille ritus non ut merum diſciplinæ caput, ſed ut aliquid ad Baptiſmi ſubſtantiam pertinens, ab Apoſtolis dimanavit, quem qui omiſere, invalidum dediſſe Baptiſma crediti ſunt: ſed qui immerſionis ritum neglexere, &c. Prob. min. 1. ex Cornelio Papa, qui cum Romana ſua Synodo Baptiſmum Novatiano in lecto decumbenti collatum reprobavit; 2. ex Canone 7. Concilii I. Conſtantinop. ubi ſic loquuntur Patres: *Eunomianos, qui in unam demerſionem baptizantur, ut Gentiles acceptamus, & tum demum eos baptizamus*: profecto qui poſt acceptum in una demerſione Baptiſmum habentur *ut Gentiles*, & rebaptizantur, haud creduntur valide baptizati, 3. ex Pelagio II. qui in Reſcripto ad Gaudentium, Baptiſmum a Bonoſiacis datum improbavit; quia hi *contra præceptum Evangelicum* unica merſione baptizarent. Et vero qui mitius hac in parte ſentiebant, ſerio dubitarunt an valeret hujuſmodi Baptiſma: unde Magnus cum aliis nonnullis S. Cyprianum conſuluit, *an habendi ſint legitimi Chriſtiani, qui aqua ſalutari non ſunt loti, ſed perfuſi*. Et licet Cyprianus in hujuſce Baptiſmi validitatem propenderet, permiſit tamen ut aliter ſentirent, quibus aliter videretur eſſe ſentiendum. Vide Ep 76.

Reſp. ad 1. neg. min. propter exempla & auctoritates paulo ſuperius allatas,

Ad 1. 2. nego Baptiſmum Novatiano datum per infuſionem, rejectum a Cornelio fuiſſe. Verba Sancti Pontificis quæ difficultatem movent, deprompta ſunt ex ejus ad Fabium Antiochenum Epiſtola, ubi ſic loquitur Cornelius apud Euſebium Lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 43. *Dum jamjamque moriturus creditur* Novatianos, *in ipſo in quo jacebat lectulo perfuſus, Baptiſmum ſuſcepit : ſi tamen hujuſcemodi Baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt* : atqui verba hæc non indicant dubium de valore Baptiſmi, ſed ſolum de ejus effectu : 1. quia nec per tranſennam inſinuat Cornelius, Novatianum alio indigere Baptiſmo : id ſane non omiſſurus, ſi prius Baptiſma irritum judicaſſet ; 2. quia conqueritur Cornelius, quod neque Euchariſtiam neque Confirmationem pro more illius temporis recepiſſet Novatianus poſtquam convaluerat : *Sed neque*, inquit, *poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent ; neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere?* Supponebat igitur Cornelius geminum hoc Sacramentum a Novatiano recipi potuiſſe & debuiſſe : atqui neutrum a quopiam recipi poteſt & debet, niſi valide baptizato ; ergo ſupponebat Cornelius valere Baptiſmum a Novatiano ſuſceptum ; ergo tantum de effectu ejus dubitabat ; & jure quidem ac merito : quia qui Baptiſmum non amore, ſed ſolo mortis metu, & forte jam ſui parum vel nihil compos receperat ; qui ſanitati redditus nihil eorum fecerat, quæ conſueverant pie baptizati, is in magnam haud recepti Spiritus ſancti ſuſpicionem veniebat.

Atque hinc querebatur Cornelius quod hujuſmodi homo ad Sacerdotii gradum promotus eſſet ; a quo quiſquis, etiam ſancte ſed in extremis baptizatus, juxta ævi illius diſciplinam, quæ etiamnum viget, excludendus erat ut irregularis ; quia, ut alibi * docuimus poſt Concilium Neocæſarienſe Can. 12. *Fides illius non voluntaria, ſed ex neceſſitate* eſſe judicabatur.

* *To. 4. p. nunc* 369.

Ad 2. 2. diſt. rebaptizabantur Eunomiani propter defectum trinæ demerſionis, eique inhærentem legitimæ formæ defectum, C. propter defectum trinæ demerſionis ſimpliciter, N. Itaque etſi Ariani plures rite baptizarent, ut colligitur ex cap. 3. Epiſt. 18. Innocentii Papæ I. conſtat tamen Eunomianos, qui non infimum inter Arianos locum tenebant, præſcriptam a Chriſto formam rejeciſſe ſub tempora Concilii Cap. I. unde in odium SS. Trinitatis & ſemel tantum mergebant, & ut unica hac merſione ſuum aſtruerent errorem, non mergebant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſed ſolum in Chriſti mortem. *Idem*, ait Theodoretus de Eunomio loquens Lib. 4. Hæret. fab. cap. 3. *ſancti etiam Baptiſmatis legem olim a Domino & Apoſtolis traditam evertit, & contrariam ſanxit, non oportere dicens ter illum mergere qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem*. Addit, quidquid obloquatur Juenin, mala Arcudii citatione deceptus, S. Epiphanius hær. 76. ſub finem, Eunomianos quondam baptizaſſe *in nomine Dei increati, & in nomine Filii creati, & in nomine Spiritus ſanctificantis, atque a creato Filio procreati*. Sed neque Baptiſma hoc, etſi trina immerſione datum eſſet, ab Eccleſia potuiſſet admitti.

Juen p. mihi 40.

Ad 3.

Ad 3. 2. eadem eſt reſponſio: ſcilicet reprobatum eſt Bonoſiacorum Baptiſma, quia, ut ait Pelagius II. *baptizabant ſolummodo in mortem Chriſti una immerſione;* ergo apud eos immerſionis trinæ defectus, erat argumentum efficax defectus formæ: neque duas illi merſiones omittebant, niſi ut ſecerneret ſe a Catholicis, qui ad quamcumque merſionem unam SS. Trinitatis perſonam invocabant.

Ad id quod de Magno additum eſt, negamus Magnum dubitaſse an valeret Baptiſma infirmis per infuſionem datum. Quæſierat ſcilicet a Cypriano utrum *qui in infirmitate & languore gratiam Dei conſequuntur*, per Baptiſmum, *habendi ſint legitimi Chriſtiani*, *eo quod aqua ſalutari non loti ſunt* per immerſionem, *ſed perfuſi*: ſed qui ſupponit homines illos gratiam conſecutos eſſe per Baptiſmum infuſione collatum, ejuſdem Baptiſmi valorem non inficiatur; ergo ſolum dubitabat Magnus, an qui ſic baptizati erant, *legitimi* forent *Chriſtiani*, ſeu an iis competerent jura omnia, quæ legitimis Chriſtianis competunt. Dubitandi ratio hæc erat, quod qui ſic baptizati eſſent, immundis aliquando torquerentur ſpiritibus, quibus tamen nihil in perfectos Chriſtianos juris eſſe poſse videretur.

Ad hæc vero quid Cyprianus? Reponit 1. *in nullo mutilari & debilitari poſſe beneficia divina*. Quapropter, inquit, *in Sacramentis ſalutaribus, neceſsitate cogente* per infuſionem datis, *totum credentibus divina conferunt compendia .... Et idcirco quantum fide concipere & ſentire nobis datur, mea ſententia hæc eſt, ut Chriſtianus judicetur legitimus, quiſquis fuerit in Eccleſiæ lege & jure fidei divinam gratiam conſecutus*. Reponit 2. expertum ſe *rebus ipſis, ut neceſſitate urgente in ægritudine baptizati & gratiam conſecuti, careant immundo ſpiritu, quo antea movebantur ..... Econtra ſæpe nonnulli de illis qui ſani baptizantur, ſi poſtmodum peccare cœperint, ſpiritu immundo redeunte quotiuntur; ut manifeſtum ſit, diabolum in Baptiſmo fide credentis excludi; ſi* vero *fides poſtmodum defecerit, reverti;* ergo S. Doctor & ratum habet Baptiſma moribundis per infuſionem collatum, & qui ſic baptizati fuerint, vult pro perfectis haberi Chriſtianis, qui proin *ceteris adæquandi* ſint, nec invidioſo Clinicorum nomine donandi.

At, inquis, permittit Cyprianus, ut hujuſmodi denuo baptizentur; ergo adhuc ambigebat an valide baptizati eſsent.

R. diſt. ant. permittit modeſtiæ cauſa, & ne aliorum fidei dominari videatur: uno verbo permittit ut id fiat, poſtquam egregie probavit non eſse id faciendum, C. permittit quaſi rem quam ipſe facere velit, aut ab aliis faciendam exiſtimet, N. Imo ſi verba quibus indulgere videtur S. Doctor unicuique licentiam id faciendi quod volet, attente penſentur, ea non tam rebaptizationis approbatio, quam improbatio reputabantur: *Oſtendit*, inquit, *quid nos quantum in nobis eſt ſentiamus, nemini præſcribentes, quominus ſtatuat quod putat unuſquiſque Præpoſitus, actus ſui rationem Domino redditurus*. Certe his plane verbis utebatur Cyprianus, quando iis qui aliud a ſe circa Baptiſmi ab hæreticis dati valorem ſentiebant, permittebat ut rebaptizarent vel non: & tamen inficiabitur nemo S. Doctori fuiſſe perſuaſiſſimum denuo tingendos eſſe qui ab hæreticis baptizati eſſent. Deinde quis poſt repetitas Eccleſiæ definitiones permitte-

mittere auſit, id quod Cyprianus in re necdum ſibi ſatis nota credidiſſet permittendum.

Inſt. 3. Eſto allatæ reſponſiones probent immerſionem non eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti: at certe non probant eamdem non eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti divini. Ideo ſiquidem, juxta nos, Baptiſmus per infuſionem hodie dari poteſt, quia ſic datus olim fuerit iis qui in lecto vel in carcere recumbebant: atqui hinc colligi nequit immerſionem non eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti divini. Non enim ex eo quod in caſu neceſſitatis datum ſit Baptiſma per infuſionem, magis colligi poteſt immerſionem non eſſe neceſsariam neceſſitate præcepti divini, quam ex eo quod ægri in extremis poſiti abſolvantur, etiamſi peccata ſua confeſſi non fuerint, colligi poſſit, confeſſionem explicitam peccatorum non eſse neceſsariam neceſſitate præcepti divini: atqui hoc nemo Catholicus colliget; ergo nec prius inferre licitum eſt. Ratio ulterior eſt, quod præceptum Dei poſitivum in extrema neceſſitate non obliget; obliget vero extra ipſam.

Confirm. quia Chriſtus per immerſionem baptizavit; ergo immerſionis ritum ſervari voluit: unde Tertullianus, Pelagius II. aliique plures trinam immerſionem præcepti eſse divini expreſse tradunt; ergo iterum merito Romanam Eccleſiam redarguunt Græci, quod immerſioni ſubſtituerit infuſionem.

Reſp. 1. hinc ſaltem corruere argumenta, quæ ſupra ex Conciliis depromebantur ad probandam Baptiſmi ſine immerſione collati invaliditatem.

Reſp. 2. ad 1. neg. ant. ſiquidem ex tota dictorum ſerie conſtat, immerſionem omiſsam fuiſse etiam extra graviſſimæ neceſſitatis caſus; ut cum Apoſtoli una eademque die quinque hominum millia baptizarunt, qui aliis diebus facile potuiſsent immergi: porro quæ ſunt præcepti divini nonniſi in urgentiſſimæ neceſſitatis caſu omitti poſsunt.

Ad 2. 1. neg. maj. neque enim hinc præciſe probamus immerſionem a Chriſto præceptam non fuiſse, quod Eccleſia ipſam non adhibuerit in quocumque etiam extremæ neceſſitatis caſu, ſed quia ipſam non adhibuerit in caſibus in quibus res a Chriſto præcepta adhiberi poſſit & debeat. Si enim infuſione ſola tincti ſint aliquando quibus impoſſibile erat immerſionem pati; ut certum quoque eſt ſæpius factum eſse ut per ſolam infuſionem tingerentur, ſeu ægri qui balneum pati potuiſsent; præſertim cum ægris non raro ad ſanitatem proſit balnei uſus; ſeu viri viribus valentes, ut qui ab Apoſtolis baptizati fuere. Adde quod Eccleſia cui perpetuo aſſiſtit Spiritus ſanctus, nuſquam judicatura fuiſset immerſionem a Deo præceptam non eſse, ſi hæc de facto præcepta eſset. Unde

Ad 3. neg. maj. confeſſio enim explicita peccatorum ſemper neceſsaria judicata fuit in omnibus caſibus, in quibus urgent præcepta divina; unde ab illa ii ſolum immunes fuere, qui a linguæ vel rationis uſu excidiſsent: atqui non idem eſt de immerſione, ut ſtatim diximus; ergo.

Ad confirm. diſt. Chriſtus Baptiſmum dedit in immerſione, tanquam in circumſtantia quam nec ad valorem Baptiſmi neceſsariam fecit, nec ſervari neceſsario voluit, C. tanquam in circumſtantia, quæ perti-

neret

neret ad Sacramenti ſubſtantiam, aut quæ ex præcepto divino ſervanda eſſet, N. ſic Chriſtus in azymo pane conſecravit, & tamen Eccleſiæ diſpoſitioni reliquit ut fermentato pane uteretur.

Ad id quod additur ex Patribus, diſt. tradunt Patres immerſionem eſſe præcepti divini, latius ſumpti, C. ſumpti ſtrictiore ſenſu, ſubd. volunt immerſionem eſſe præcepti divini ſtricte ſumpti, ratione rei ſignificatæ, C. ratione ſui præciſe, N. Itaque aliquando referunt Patres ad præceptum divinum, id quod non ſtricte præceptum eſt a Chriſto, ſed quod ipſe fecit Chriſtus, vel ab Eccleſia ſua legitimis de cauſis fieri voluit: etſi non præceperit ſtricte idem Chriſtus, ut hæc omni tempore fierent, & multo minus ut fierent, ſi ob graves cauſas fieri non debere juſtificarentur. Eſto hoc ſenſu trinam immerſionem præceperit Chriſtus, ut & juxta aliquos Patres pedum lotionem præcepit; nihil inde contra nos; nec enim ſtricte magis præcepta erit immerſio trina, quam lotio pedum, cujus tamen exemplum Apoſtolis ſuis certius a Chriſto datum eſt, quam trinæ immerſionis.

Quod ſi forte Patres aliqui trinam immerſionem a Chriſto ſtricte imperatam velint, ii magis attendunt ad rem immerſione ſignificatam, quam ad ipſam immerſionem. Nempe vero triplex immerſio tres ſignificat SS. Triadis perſonas: harum autem invocatio & ſtricte pręcepta eſt, & tamen ab iis omittebatur, qui trinam omittebant immerſionem: neque vero hęc alio intuitu rejiciebatur ab Eunomianis, quam ut procul abigeretur omnis prorſus Trinitatis idęa.

Atque hinc ſequitur male a quibuſdam Gręcis culpari Eccleſiam Romanam, quod jam non tingat mergendo; prout male culpatur, quod conſecretur in azymo pane. Imo notat Jacobus Goard Dominicanus Gręcos interdum ſola infuſione baptizare infantes. Idem aliquando faciunt Maronitę: & in Syriaco Codice perantiquo, quem citat Morinus Lib. 8. cap. 18. n. 29. Presbyter ſuper baptizandi caput tribus vicibus aquam effundit, dicens: *Baptizatur*, &c.

Objic. 2. Duo eſse debent legitimi Baptiſmi characteres, 1. ut in eo celebretur mors & ſepultura Chriſti, ſecundum id Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus, conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum*; 2. ut in eo exprimatur SS. Trinitas: atqui primum ſine immerſione fieri nequit; ut nec ſecundum ſine immerſione trina; ergo.

Reſp. neg. min. pro utraque parte; pro prima quidem, quia ſatis Chriſti mortem, ſepulturam, ac reſurrectionem exprimit, qui ſuppoſitus aquę moritur peccato, & ſpiritualiter renaſcitur, ſicut Chriſtus mortuus eſt corporaliter, & corporaliter reſurrexit: hæc enim omnia præ oculis habuit Apoſtolus, ut patet ex iis ibid. verbis: *Ita & vos exiſtimate, vos mortuos eſſe quidem peccato, viventes autem Deo in Chriſto Jeſu*: atqui per Baptiſmum infuſione datum homo aquæ ſuppoſitus, moritur peccato, &c. ergo Chriſti mortem ac ſepulturam ſatis adumbrat.

Quod ſi quis neceſſum eſſe velit ut homo totus mergatur in aqua, ſicut totum Chriſti corpus delituit in ſepulchro, neganda erit major propoſitio; dicendumque expreſſam hanc mortis & ſepulturę Chriſti ſignificationem non pertinere ad ſubſtantiam aut integritatem Baptiſmi.

Alluſit

Alluſit quidem ad immerſionem hanc Apoſtolus, quæ illa ætate paſſim erat in uſu; ſed non quia abſolute neceſsaria foret: ſic ex eo quod concluſerint Patres ex albis recens baptizatorum veſtibus, eos veterem exuiſse hominem, & induiſse novum, male quis colligeret veſtem albam ad Baptiſmi integritatem aliquando pertinuiſse.

Quod ſpectat ad ſecundam minoris partem, dico Trinitatis expreſſionem ſufficienter fieri per verba formæ, neque neceſsum eſse ut fiat per uſum materiæ. Tota ſolutio eſt S. Thomæ ead. q. 66. art. 8.

Inſt. In Sacramentorum collatione ſequendum eſt id quod tutius fuerit: atqui ex ipſo S. Thoma ibid. art. 7. *tutius* eſt *baptizare per modum immerſionis;* ergo.

Reſp. diſt. min. tutius eſt baptizare per modum immerſionis, tutius, inquam, quoad licitum, C. tutius quoad validum, N. Itaque Sancti Thomæ temporibus tutius erat ad vitandum peccatum baptizare per immerſionem, quia *hoc* habebat, ut ipſe ait, *communior uſus*, a quo privatus nemo citra culpam recedere poteſt proprio motu: ſed non credidit Sanctus Doctor id tutius eſse, quaſi dubium foret Baptiſma per infuſionem: ibid. enim *dicendum*, inquit, *quod immerſio non eſt de neceſsitate Baptiſmi*.

De ritibus qui immerſorium Baptiſmum comitabantur, conſuli poteſt Juenin, & fuſius Tournely. Hæc nos omittimus, quo plura ad praxim ſpectantia, & ab utroque neglecta proſequamur. Itaque ex tertia Concluſionis parte

Colliges 1. invalidum eſse Baptiſma, cum quis una tantum aut altera gutta non defluente aſpergitur. Debet enim homo ab actione Baptiſmi dici lotus, tinctus, ablutus: porro juxta communem ſapientum æſtimationem non dicitur quis tinctus, ablutus & lotus ex contactu guttulæ aquæ, ſed ex ſucceſſivo aquæ defluentis motu. Unde, ait Habert, expreſse monet Rituale Catalannenſe an. 1649. eam aquæ copiam fundendam eſse, quæ in ſcapulas & pectus defluat: & Rituale Argentinenſe an. 1742. p. 8. *In ea quantitate infundatur aqua, quæ ad veram ablutionem ſufficere videatur*. Unde, quidquid poſt Henriquem dicat Alloza v. *Baptiſmus* n. 11. non ſatis certum eſt an verum fecerit Baptiſma mulier quæ digito aqua madefacto crucem puero in fronte impreſſit.

Colliges 2. curandum eſse ut perfundatur una ex præcipuis corporis partibus, maxime vero caput in quo vigent ſenſus omnes, ut ait Sanctus Thomas ibid. art. 7. ad 3. Non deſunt quidem viri graves, qui valere putent Baptiſmus in qualibet etiam minima corporis parte datum; tum quia tam poſſit homo ab ea parte dici *ablutus*, quam ſimpliciter dici poſſit *unctus*, etſi minima frontis ejus pars digito chriſmate intincto uncta fuerit, vel *vulneratus*, etiamſi uno ſolum digito læſus ſit: tum quia anima *tota eſt in toto, tota & in qualibet parte*, etſi præcipue magis in capite ſedere dicatur, quia eo confluunt nervi omnes: neque ab hac opinione recedit Gibert Tom. 2. Conſult. pag. 337.

Sed quia in re tanti momenti tutiora ſemper ſequenda ſunt, quiſquis alibi quam in capite baptizatus fuerit, ut urgente periculo baptizari debet ubicumque poteſt, denuo rebaptizandus eſt ſub conditione. Hinc Rituale Remenſe anni 1505. *Debet*, inquit, *fieri trina merſio ſuper caput pueri*.

pueri. Hinc & S. Carolus Borrom. 4. p. Act. Eccleſ. Mediolan. *Si vero*, inquit, *fœtus ex utero matris, quæ periculoſe laborat, vel manu, vel pede, vel alia parte extans, ob neceſsitatem in ea ipſa parte ab obſtetrice baptizatus eſt; cum ſuperſtes erit, ſub conditione baptizetur. Si vero in capite, quod primum ex utero prodiit, baptizatus eſt forma recte ſervata, quando ſupervixerit ad Eccleſiam deferatur, cui tantum reliquæ cæremoniæ adhibeantur, quæ ad ſolemnitatem Baptiſmi attinet*. Concinit S. Thomas hic qu. 68. art. 11. ad 4. his verbis: *Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes ſenſus, debet baptizari periculo imminente, & non eſt poſtea rebaptizandus, ſi eum perfecte naſci contigerit*. Secus, propter dubium, ait S. Doctor, ſi in *quacumque alia corporis parte* ablutus puer fuerit.

Nec nocet quod homo a minima parte dicatur *unctus* vel *vulneratus*: quia, ut bene Grandin, vox, *ablutus*, eſt de eorum concretorum genere, quæ ſupponunt vel totum vel partem notabilem paſſam eſſe; ſicut terminus *veſtitum eſſe*, non uni tantum digito digitale, vel pedi calceum indutum eſſe ſupponit: at neque vox *vulneratus*, neque vox *unctus*, prout in Confirmatione ſumitur, neceſſario ſupponit vel vulnus in parte notabili, vel unctionem alibi factam, quam in capite.

Quin & cenſent Sambovius Tom. 2. caſ. 9 & Pontas v. *Bateme* caſ. 17. ſemper rebaptizandum ſub conditione infantem qui etiam in capite baptizatus fuerit, priuſquam ex utero matris perfecte exiiſſet; tum quia ex Auguſtino Epiſt. 187. n. 31. *Nec renaſci quiſquam poteſt, antequam natus ſit*, nec natus videtur qui ſolum caput extra matrem extulit; tum quia opinio quævis, quandiu opinio eſt, dubium includit; in dubio autem tenenda eſt pars tutior.

Mihi quidem poſtremum hoc Baptiſma certum & validum videtur: nec multum movet ratio objecta: 1. quia, ut bene S. Thomas in 4. diſt. 12. q. 1. ad 2. *Duplex eſt carnalis nativitas: prima in utero .·.·. ſecunda extra uterum*. Prior, vera eſt nativitas, juxta id Matth. 1. *Quod in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt*, cui conſonat id Innocentii III. c. 4. *De Bapt. In carnali generatione, qua proles ex viro & femina naſcitur*, &c. porro nullibi requirit Scriptura vel Traditio nativitatem extra uterum; 2. quia objectus Auguſtini textus intelligi poteſt de nativitate inchoata per uteri apertionem, quæ aquæ viam aperiat ad infantem. Abſit tamen ut eos arguam, qui ut ſecurius æternæ infantis ſaluti conſulant, tale Baptiſma iterandum rati, illud de facto iteraverint.

Colliges 3. curandum, & maxime curandum Baptiſmi Miniſtro, ut *tangat aqua pellem capitis: unde ſi capillatus ſit qui baptizatur, digitis ſiniſtræ manus cæſariem ejus diſcriminet Sacerdos, dum dextera aquam infundit*. Etſi enim multi cum Soto, Valentia, Vaſque, &c. capillos pro corporis parte habentes, infuſionem in iis factam ad Baptiſmum ſatis eſſe credant; quia tamen oppoſitum tenent alii plures, nec ſine fundamento, idcirco datum in ſolis capillis Baptiſma iterandum cenſeo. Certe nec conſtat crines eſſe corpus animatum; nec a ſola eorum ablutione denominabitur quis phyſice ablutus. *Ritu Argent.*

Eadem de cauſa repetendum credo Baptiſma, ſi infans in ſecundinis ablutus fuerit; multoque magis, ſi ſolum in veſtibus. Si tamen, ait Henricus a S. Ignat. n. 55. aperto jam oſtio uteri, (quæ apertio quædam

dam eſt inchoatio nativitatis extra uterum) caro infantis, vel ſaltem ſecundina infantem adhuc circumdans, poſſit ſeu tibi ope, ſeu madefacta ubertim manu ablui, non erit id omittendum; quia ſcilicet ſatius eſt dubia tentare remedia, quam nulla. Jam dixi ſupra quid juris, cum caput infantis, qui necdum extra uterum prodierit, vere ablutum eſt? Unum addam, ei, qui tubo aquam ad infantem necdum egreſſum immittere ſatageret, cavendum ut calidam immittat; quia frigidæ immiſſio mortem inferret matri.

Colliges 4. valere Baptiſmum, ſi, infans aquæ e tecto defluenti ſupponatur: quia ſicut vere maculat veſtem & qui eam aſpergit luto, & qui eam luto applicat; ſic vere abluit corpus, qui vel ipſum perfundit aqua, vel ipſum applicat aquæ. Ita accuratiores Theologi, qui tamen id nonniſi in neceſſitatis caſu permittunt. Quod ſi aquæ ad corpus acceſſio, non fieret ab ipſo Miniſtro, non ſtaret Baptiſmus: quia non verificaretur forma, *Ego te baptizo*, quæ ablutionem ab ipſo baptizante factam requirit. Atqui hinc denuo infertur reſolutionem nivis in ſolo baptizati corpore factam haud ſufficere ad valorem Baptiſmi: quia tunc motus aquæ circa corpus, potius oritur a perſona baptizati, mediante calore ipſius, quam a perſona baptizantis: unde ſi ad hominem in fluvio poſitum aquam non immittas ſeu manu, ſeu aliter, non proderunt quę in ipſum recitaveris verba formæ. Idem eſt ſi illa proferas in puerum qui vel a ſe labitur, vel ab alio projicitur in flumen: neutro enim in caſu ſtat veritas hujuſce verbi: *Ego te baptizo*. Aliud eſt ſi quis hominem cum funiculo dimittat in fluvium: is enim vere ait ſe baptizare. Hac occaſione

Quæritur an ad Baptiſmum ſufficiat ablutio occiſiva; ſeu, ut cum Grandino loquuntur alii, immerſio ſine emerſione.

Ut intelligatur ſolutio, duplex cum Scotiſtis diſtingui debet ablutio occiſiva: alia quæ licet abluto mortem inferat, nihilominus reputatur ablutio, ut ſi quis puerum abluat aqua ferventi aut venenata, unde enecetur: alia quæ ratione circumſtantiarum moraliter reputetur diverſa ab, eo quod ſapientes per ablutionem intelligunt. Ut ſi quis infantem conjiciat in puteum unde extrahi non poſſit.

Non quæritur an utraque vel alterutra abluendi ratio licita ſit: utrique enim annexum eſſe homicidii crimen confitentur omnes, ſeu infans firma ſatis valetudine fruatur; quia jam bene valenti eripitur vita, ſeu ægrotet, aut etiam vergat ad interitum; quia cuipiam eripere quidquid habet vitæ, quantulumcumque illud eſt, communiter (*) cenſetur homicidium. Unde nec matrem jamjam morituram abſcindere licet ad conſulendum fœtui; nec infantem communi etiam modo abluere, ſi hinc ſtatim interimendus ſit; quod rarius in praxi timeri poteſt cum fundamento, quam ut unquam hæſitandum occurrat, an periclitanti cuipiam Baptiſma ſaltem in aqua tepida conferendum ſit. Tota igitur quæſtio eſt an valida ſit ablutio prædictis modis occiſiva: & id quidem, quia res videatur pene metaphyſica, paucis expendemus. Sit

CONCLUSIO II. Ablutio priori modo occiſiva ſufficit ad Baptiſmum: quæ autem ſecundo modo occiſiva eſt non videtur differre.

Prob. 1.

(*) Dixi *communiter*, quia Silvius hic q. 66. art. 7. vult ut minima mortis acceleratio non curetur, ſed reputetur pro nihilo.

Prob. 1. pars; quia ablutio uſualis ſufficit ad Baptiſmum: atqui ablutio priori ſenſu occiſiva, eſt tamen, & moraliter reputatur ablutio uſualis; tum quia ad hanc ſufficit applicatio aquæ fluentis, nec intereſt, an eadem aqua calida ſit, an frigida, pura an venenata; tum quia ut infirmus venenato oleo unctus, valide unctus cenſetur, etſi inde pereat, ſic a pari.

Confirm. quia ſi quis tinxiſſet infantem in aqua venenata, quam bona fide puram crediddiſſet, nemo, quantum opinor, circa Baptiſmi hujus validitatem ſollicitus eſſet: atqui mortifera intentio ex qua Miniſter egiſſe ſupponitur, nihil mutat in re; cum nec materiam remotam aut proximam tollat, nec auferat intentionem faciendi id quod facit Eccleſia; ergo.

Prob. 2. pars, quam tenent S. Antoninus, Silveſter v. *Baptiſmus* 4. n. 8. ubi caſum hunc reipſa *in partibus Montiſpeſſulani* contigiſſe ſcribit, & alii plures cum Scoto. Prob. inquam, 1. quia ad Baptiſmum requiritur actio, quæ communi hominum judicio ablutio reputetur: atqui actio de qua loquimur, nullibi gentium reputabitur ablutio vera, ſed immerſio. Ecquis, ait Fraſſen, dixerit hominem, alium abluere & lavare, ſi ligatis manibus & pedibus, alligato autem ad collum ingenti ſaxo, eumdem in mare projiciat? Quis ſibilo non excipiat paſtorem, qui projecto in abyſſum ſordido ſuo cane, id a ſe factum dicat, ut eum abluendo mundaret? Sane actio hæc non ordinaria, nec extraordinaria ablutio cenſebitur, ſed pura immerſio; ergo. *Fraſſen p.* 142.

Prob. 2. quia actio ablutionis prout recipitur in patiente, debet eſſe a Miniſtro, vel immediate, vel per inſtrumentum conjunctum: id enim ſtricte important hæc verba: *Ego te baptizo:* atqui in præſenti caſu actio ablutionis, prout in patiente recipitur, non eſt a Miniſtro. Eſt quidem ille cauſa cur corpus applicetur aquæ, ſed reipſa non illud applicat. Ita ferme Fraſſen, cujus poſtrema hæc ratio difficultatem habet.

Objic. contra 1. part. 1. quod prima ablutionis ſpecies ordinetur ad mortem: ablutio autem baptiſmatis ordinatur ad vitam; 2. quod ablutio occiſiva ſit actio intrinſece mala; Chriſtus vero pro materia Baptiſmatis non inſtituerit actionem intrinſece malam; 3. quod Chriſtus ab actione ſacramentali moveatur ad conferendam gratiam: ad id autem moveri non poſſit per mortiferam actionem de qua agimus. At hæc parum obſunt. Unde

Reſp. ad 1. ablutionem occiſivam ordinari ad mortem corporis, poſſe autem & ſimul ordinari ad vitam animæ. Unde dubio procul rite baptizatus eſſet, quem quis bona fide tinxiſſet in fonte venenoſo.

Reſp. ad 2. diſt. ablutio occiſiva eſt actio intrinſece mala, quatenus occiſiva; unde nec ſub hoc reſpectu inſtituta fuit a Chriſto, C. eſt actio intrinſece mala, quatenus ablutio eſt, N.

Reſp. ad 3. diſt. min. Chriſtus ad conferendam gratiam moveri nequit ab actione mortifera, in quantum eſt actio Miniſtri peccantis, C. in quantum eſt actio ipſius Chriſti, cujus vice & nomine ponitur, N. Ita Henno, nec male.

Objic. contra 2. part. 1. ad ablutionem ſufficit contactus immediatus aquæ circa corpus: atqui ubi eſt immerſio ſine emerſione reperitur ille con-

contactus. Ad hunc ſiquidem contactum ſufficit motus localis vel aquæ circa corpus, vel corporis in aqua: atqui ubi eſt immerſio ſine emerſione reperitur localis ille motus; ergo.

Reſp. 1. ad ablutionem Baptiſmalem requiri, ut aquę contactus ſit a Miniſtro: cum autem præſentem contactum non a Miniſtro eſſe, ſed a mole corporis in aquam projecti cenſeant viri graves, conſequens eſt ut dubium ſit an ſufficiat præſens ablutio: porro dubium Baptiſma iterari debet; & id unice contendimus.

Reſp. 2. diſt. maj. ad ablutionem phyſicam ſufficit contactus aquæ, tranſeat; ad ablutionem moralem & uſualem, qualem inſtituit Chriſtus, N. Eſto itaque dici poſſit phyſice ablui, qui in aquam præceps dejicitur, ibidem ſuffocandus; quod utique vix extra jocum dicet vir Phyſicus, niſi terminorum inops: at certe non dicetur is uſuali modo ablutus; quia apud omnes mundi populos receptum eſt, ut nemo dicatur abluere velle, ſed perdere id quod immerſum emergi nequit: ſicut ubique receptum eſt, ut maſſa, licet penes ſpeciem phyſicam non differat a pane, nullibi tamen dicatur panis, & conſecrationis materia judicetur. Atque hinc liquet emergendi potentiam, etſi ablutioni ut ſic accidentalis dici queat, eſſentialem nihilominus eſſe abſolutioni a Chriſto inſtitutæ; aut ſaltem dubium eſſe an non eidem ſit eſſentialis, quod ſufficit in præſenti.

Inſt. Si emerſio ablutioni a Chriſto inſtitutæ eſſentialis ſit, infans qui Sacerdoti repente oppreſſo excidit, & in imum delapſus flumen jam extrahi nequit, non eſſet pronuntiata etiam verborum forma rite baptizatus: atqui id nemo dicere auſit; ergo.

Reſp. neg. maj. ablutio enim a Sacerdote in pręſenti caſu facta, adeo de ſe ablutio erat, ut confeſtim dicant omnes propoſitum fuiſſe Sacerdoti ut infantem ablueret, nemo, ut perderet: contra vero in alia ablutionis ſpecie, nemo dicet intentam fuiſſe pueri ablutionem, ſed mortem. Sic qui mortuum canem, eumque ſordidum de ponte projecerit in flumen, nuſquam eum lavare velle dicetur; ſecus ſi vivum projiciat: quia prior emergere nequit, poſterior poteſt, etſi pręter domini ſui ſpem non ſemper emergat.

Inſt. 2. Pręcipua, niſi tota opinionis noſtrę ratio hinc petitur, quod immerſio ſine emerſione, non reputetur moraliter ablutio: atqui id falſum eſt ſaltem in pręſenti caſu. Quis enim conſpecta matre, quę infantem morti vicinum projicit in aquam, cum ſolita verborum forma, non dicat eam filium baptizare voluiſſe?

Reſp. ad 1. neg. min. actio enim, quę per ſe & independenter a circumſtantiis debet eſſe vera ablutio, non poteſt eſſe ablutio in uno caſu, niſi cum idonea eſt, quę in alio quocumque caſu talis ſit: atqui actio quam in proximam Baptiſmi materiam inſtituit Chriſtus, debet eſſe ablutio vera per ſe & independenter a circumſtantiis. Eam enim actionem in proximam Baptiſmi materiam inſtituit Chriſtus, quę communiter & moraliter dicebatur ablutio ante omnem Baptiſmi inſtitutionem: atqui ante omnem Baptiſmi inſtitutionem ea ſolum actio, vera ablutio reputabatur, quę per ſe & quocumque in caſu ablutio erat. Jam vero mera projectio ſine emergendi potentia nullibi haberi poterat ut ablutio; ergo.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad 2. neminem, qui terminorum vim ſciat, dicturum quod mater filium lavare voluerit, ſed quod voluerit perdere: unde & hæc ubicumque, nec immerito, homicidis accenſebitur.

Ex dictis colliges cum Silvio hic art. 7. quod *ſi talis infans ſupervive-ret, eſſet ut minimum baptizandus ſub conditione*. *Si autem non ſupervivat*, ait idem Doctor, *ſacra ſepultura donandus eſt*; quia non omnino indubia eſt ejus Baptiſmi nullitas.

Conclusio III. Extra neceſſitatem nec abluenda proles, donec prodierit ex utero matris, nec ubi prodiit, alibi quam in capite abluenda. Utrumque ſequitur ex dictis, unde paucis

Prob. 1. quia utrumque repugnat communi Eccleſiæ praxi; 2. quia utrumque gravibus exponeret ſcrupulis; cum viri graves Baptiſmum quocumque modo collatum infanti qui necdum omnino extra uterum prodierit, dubium reputent: nec aliter judicare auſint de eo, qui in humeris, aut pectore conferretur, licet ex ſe ſint ſpectatiſſimæ corporis partes.

Confirm. 1. pars, quia etſi fœtus animatio dici poteſt prima nativitas, ut & reipſa a S. Thoma dicta eſt, erunt tamen ſemper qui vereantur ne nativitas illa ad Baptiſmum inſufficiens ſit, dicente Auguſtino ubi ſupra: *Illa nativitate non computata, quæ gravidam facit, natus dicitur homo partu, ut poſſit renaſci ex aqua & Spiritu*. Equidem vox illa *partu*, de partu inchoato abſolute intelligi poteſt, neque aliunde plurimum urgent rationes quibus innititur Auguſtinus: ſed non inde tollitur quæcumque ſcrupuli cauſa: porro ſcrupulis neminem, extra neceſſitatis caſum, exponere licet.

At, inquies, tam poteſt puer in utero matris per Baptiſmum fieri Chriſtianus, quam Martyr per mortem: atqui hoc poteſt; ergo & illud.

Reſp. 1. conc. totum. Neque enim hic quæritur an certo invalidum ſit Baptiſma collatum infanti necdum totaliter nato: hoc enim, ſi vere ablutum ſit caput, valere docuimus ſupra cum SS. Thoma & Carolo Borromæo; ſed quæritur an id extra neceſſitatem licitum ſit. Licitum negamus, quia repugnet Eccleſiæ praxi, & ſcrupulis occaſionem dare valeat. Neque ſcrupulum tollit objectio propoſita. Unde alteri obiter inhærendo ſententiæ,

Reſp. 2. neg. maj. diſparitas erit, quod Baptiſmus, non item martyrium, vera ſit renaſcentia: porro renaſcentia, ſeu ſecunda nativitas nativitatem primam ſupponere dicetur.

CAPUT QUARTUM.

De forma Baptiſmi.

Multi circa formam Baptiſmatis prodiere errores: 1 enim male feriati quidam quos perſtringit Canon 49. ex iis qui vulgo *Apoſtolici*, & aliquando *Eccleſiaſtici* dicuntur, baptizabant, *in tres principii expertes, vel tres Filios, vel tres Paracletos*; 2. Marcitæ, a Marco quodam Gnoſtico & præſtigiatore ſic dicti, hac utebantur forma, *In nomine ignoti*

Vid. Bevereg. *Lib. 1. cap. 2. ibid. p. 381.*

ignoti Patris univerſorum, in veritate matre omnium, in eo qui in Jeſum deſcendit, &c. prout refert S. Irenæus Lib. 1. cap. 21. 3. Montaniſtæ *in Patrem, Filium, & Montanum, Priſcillamque baptizant*, ait S. Baſilius Epiſt. ad Amphilochium Can. 1. 4. Bonoſiaci quidam (non omnes, ut patet ex Can. 17. Concilii II. Arelatenſis) baptizabant *in mortem Chriſti*, uti docet laudata ſuperius Pelagii II. ad Gaudentium Epiſtola: idque & ab Eunomianis, & ante Eunomianos factitatum contendit Beveregius Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter, in Opere cui titulus, *Codex Canonum Eccleſiæ primitivæ vindicatus*, Lib. 2. c. 6. Omitto cetera id genus commenta, quæ pro errorum indole perierunt jam pridem.

Non defuere noviſſimis temporibus errores ſui circa formam Baptiſmatis. Lutherus Lib. de Capt. Babylon. ſcribit utendum quidem eſſe conſueta forma, ſed valere nihilominus Baptiſmum, quibuſcumque tandem verbis detur; imo etſi non detur *in nomine Domini*, ratum eſſe, modo in nomine Domini accipiatur. Zvvinglius Lib. de vera & falſa Relig. cap. de Bapt. negat certam in Baptiſmo requiri verborum formam. Idem tradit Gerardus Voſſius diſp. 2. de Bapt. Theſi 5.

Hæc forte fuit pars Evangelicæ libertatis, quam tantopere jactitarunt Prætenſi Reformatores: quamquam ab ea receſſiſſe videntur ipſorum diſcipuli: ſic enim Wendelinus Lib. 1. c. 32. p. mihi 448. Chriſtus *diſcipulos jubet baptizare in nomine Patris*, &c. Paulo æquivoce magis Wollebius p. 128. *Verbum, quo Baptiſmus adminiſtrandus eſt, inſtitutione Chriſti, imprimit autem formalibus illis*, Baptizo te in nomine Patris, &c. *continetur*. Ubi vocula, *imprimis*, ut bonum ſic & malum effugium parare poteſt.

Sociniani poſt Socinum Tract. de Baptiſmo cap. 2. per hæc Chriſti apud Matth. verba, *Baptizantes in nomine Patris*, non Trinitatis invocationem, ſed doctrinam de Trinitate exprimi contendunt.

Ut hæc configamus veterum novorumque errorum monſtra, ſimulque totam Eccleſiæ de Baptiſmi forma doctrinam complectamur, & motas inter Catholicos lites pro modulo expendamus, videndum 1. an ad formam Baptiſmi neceſſaria ſit, ſemperque neceſſaria fuerit Trinitatis invocatio; 2. an in ea etiam exprimi debeat ſeu actio & perſona baptizantis, ſeu perſona baptizati; 3. an utrumque præſtet forma quę a Latinis, vel a Græcis uſurpatur.

ARTICULUS PRIMUS.

An neceſſaria ſit ſemperque fuerit in Baptiſmo diſtincta Trinitatis invocatio.

NOt. 1. Baptiſmus in nomine trium perſonarum bifariam conferri poteſt, 1. confuſe & generatim, ut ſi dicatur, *Baptizo te in nomine SS. Trinitatis*; 2. diſtincte, ut ſi de more dicatur, *Baptizo te in nomine Patris*, &c.

Not. 2. formam quæ a Chriſto pendet, ex diſpenſatione ipſius potuiſſe mutari: unde ſi quando id permiſit, potuit valere hæc forma, *Baptizo te in nomine Chriſti*.

Tria igitur quęruntur in pręſenti, 1. an Trinitatis invocatio neceſſaria

ria ſit ad formam Baptiſmi; 2. an invocatio hæc diſtincte fieri debuerit; 3. an olim ſine ea valuerit Baptiſmus. Circa hæc porro diviſi ſunt Theologi. Alii Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum hodieque validum putant; ita Hugo Victorinus, Magiſter Sentent. &c. Alii ſic collatum olim ex Chriſti diſpenſatione valuiſſe putant, nunc autem negant valere; ita S. Thomas hic art. 6. ad 1. Doctor Seraphicus, &c. Alii Trinitatis invocationem requirunt, ſed invocationem hanc, ſi collective fiat, probabiliter validam eſſe opinantur, ſic Maldonatus Tom.1. de Sacrament. q.3. Alii diſtinctam perſonarum expreſſionem requirunt, quibuſcum ſit

Conclusio I. Ad valorem Baptiſmi requiritur diſtincta trium perſonarum invocatio.

Prob. Illud ad valorem Baptiſmi prorſus neceſſarium eſt, quod & præſcripſit Chriſtus, & ut eſſentiale pręſcripſit: atqui diſtinctam trium perſonarum invocationem pręſcripſit Chriſtus, & pręſcripſit ut eſſentialem. Etſi ſecundę hujus partis probatio, probationem involvit partis primę, hęc tamen paucis demonſtranda eſt.

Itaque quod Chriſtus diſtinctam Trinitatis appellationem pręceperit: demonſtrant hęc citata toties ejus verba: *Docete . . baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Siquidem verba in quibus verum pręceptum tota agnovit antiquitas, pręceptum complecti dicenda ſunt, niſi jam ab incunabulis turpiter erraſſe ſupponatur Eccleſia: atqui in his Chriſti verbis, verum pręceptum tota agnovit antiquitas. Sic Tertullianus Lib. de Bapt. c.13. *Lex tingendi*, inquit, *impoſita eſt*, *& forma præſcripta*: *Ite*, *docete nationes*, *tingentes eos in nomine Patris*, &c. & Lib. adverſus Praxeam cap.26. *Mandavit* Chriſtus, *ut tingerent in Patrem*, *Filium & Spiritum ſanctum*. Cyprianus Epiſt.73. *Poſt reſurrectionem a Domino Apoſtoli mittuntur*, *In nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus ſancti baptizare Gentiles jubentur*. Ceteros omitto Patres, quia, ut jam dixi probata ſecunda parte pars prima invicte confirmabitur.

Jam ergo quod Chriſtus diſtinctam trium perſonarum expreſſionem præſcripſerit ut aliquid eſſentiale, ſic probatur in forma. Ille ritus tanquam eſſentialis a Chriſto præſcriptus eſt, quo ſublato Baptiſmum tolli ſemper & conſtanter judicavit Eccleſia: atqui ſublato diſtinctæ trium perſonarum invocationis ritu, tolli Baptiſmum ſemper & conſtanter judicavit Eccleſia. Quæ enim hæreticos ritus hujuſce violatores, ubique temporum & locorum, cum ad ſe redirent, denuo baptizari voluit; hæc Baptiſmum eodem ſublato ritu collatum, nullum eſſe & invalidum judicavit: atqui Eccleſia ubique locorum & temporum hæreticos prædicti ritus temeratores denuo baptizari voluit. Sic Concilium Generale primum Paulianiſtas juſſit rebaptizari, Concilium Laodicenum, Montaniſtas, Concilium Arelatenſe II. Photinianos; Concilium Cp. I. Generale II. Eunomianos, Montaniſtas, & Sabellianos. Unde Concilium Arelatenſe I. an. 314. Can. 8. hoc tulit Edictum: *Placuit*, *ut ſi ad Eccleſiam aliquis de hæreſi venerit*, *interrogent eum ſymbolum*; *& ſi perviderint eum in Patre*, *& Filio*, *& Spiritu ſancto eſſe baptizatum*, *manus ei tantum imponatur*, *ut accipiat Spiritum ſanctum*. *Quod ſi interrogatus non reſponderit hanc Trinitatem*, *baptizetur*. Ubi animadverte, quod etiam in Tertulliani ac Cypriani textibus animadvertendum fuit, Baptiſmi formam

non in collativo Trinitatis nomine reponi, ſed in diſtincta trium perſonarum invocatione.

Confirm. ex SS. Patribus. Cyprianus cit. Epiſt. 73. *Quomodo*, inquit, *quidam dicunt .·. Gentilem in nomine Jeſu Chriſti .·. baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate?* Origenes in cap. 6. Epiſt. ad Rom. *Utique*, ait, *non habetur legitimum Baptiſma niſi ſub nomine Trinitatis;* quia *ipſe Dominus dixit ad Diſcipulos, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris*, &c. Baſilius Lib. de Spir. S. c. 12. *Sicut credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ſic & baptizamur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Ambroſius Lib. de Myſteriis cap. 4. *Niſi baptizatus fuerit* Catechumenus *in nomine Patris*, &c. *remiſſionem non poteſt accipere peccatorum*. Auguſtinus Lib. 6. de Bapt. c. 25. *Certa ſunt Evangelica verba, ſine quibus non poteſt conſecrari Baptiſmus:* quæ vero ſint illa verba declarat ibid. S. Doctor Lib. 3. c. 15. *Si*, inquit, *Evangelicis verbis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Marcion Baptiſmum conſecrabat, integrum erat Sacramentum*. S. Joann. Damaſcenus Lib. 4. Orthod. fidei, c. 10. *Nos*, inquit, *ſemel baptizari neceſſe eſt in nomine Patris*, &c. .·.. *qui in ſanctam Trinitatem minime baptizati ſunt, hi denuo baptizentur neceſſe eſt*. Ex quibus omnibus ſic diſputo: Illud eſſentiale eſt ad valorem Baptiſmi, ſine quo peccatorum remiſſio nec accipi nec obtineri poteſt; quo dempto Baptiſmus conſecrari nequit; quod ita neceſſarium eſt in Sacramento, ſicut neceſſarium eſt ut credatur in Patrem, Filium & Spiritum ſanctum: atqui ex prædictis Patribus, remiſſio peccatorum ſine diſtincta Trinitatis expreſſione haberi nequit; ea dempta nec conſecratur, nec conſecrari poteſt Baptiſmus, &c. ergo.

Objic. 1. Concluſio noſtra his præcipue innititur Chriſti verbis: *Ite, docete .·. baptizantes eos in nomine Patris*, &c. atqui verba hæc nullatenus probant neceſſariam eſſe explicitam Trinitatis appellationem. Non enim magis ex eo quod dixerit Chriſtus, baptizabitis *in nomine Patris*, &c. ſequitur pronuntianda eſſe hæc verba in Baptiſmo, quam ex eo quod dixerit, *Ejicietis dæmonia in nomine meo*, ſequatur pronuntianda fuiſſe hęc verba, *Ejicio te*, dæmon male, *in nomine Chriſti:* atqui hoc non ſequitur, &c.

Reſp. ad 1. diſt. maj. aſſertio noſtra his præcipue verbis innititur, juncta Traditione, C. his verbis ſolitarie ſumptis, N. Itaque Novatores qui Traditionem omnem rejiciunt, nunquam efficaciter ex ſolitario Chriſti textu adverſus Socinianos probabunt, neceſſariam eſſe in Baptiſmo diſtinctam Trinitatis invocationem: verum qui principii loco ſtatuerit cum Catholicis, Eccleſiam hinc quidem in interpretandis Scripturis infallibilem eſſe, inde vero prædicta verba, eo quo nos ſenſu ſemper interpretatam eſſe, ſeu per ipſam ſuam praxim, ſeu in Conciliorum ſuorum Canonibus, ſeu denique in præcipuorum Patrum ſententiis, is, inquam, ſi homo cordatus erit, ſponte fatebitur detortam eſſe citati textus explicationem, quæcumque a noſtra diverſa fuerit.

Ad 2. neg. maj. eadem de cauſa. Si enim ſemper docuit Eccleſia, non poſſe ſine certis verbis conſecrari Baptiſmum, numquam docuit ſine certis verbis ejici non poſſe dæmonia. Adde quod actus ejiciendi dęmones, ita de ſe ad rationem exorciſmi determinatus ſit, ut non egeat per hęc potius quam per illa verba determinari: at vero baptizandi actus, qui

de

Digitized by Google

de ſe, ad plura indifferens eſt, quique apud Judæos non ad aliam quam legalem munditiam determinatus erat, qui demum futurus erat novæ Religionis profeſſio, debuit quadantenus per præſcripta a Chriſto verba determinari; cum hæc & animos ad divinitatem quanta eſt, erigant; & præcipui Religionis myſterii confeſſionem apertam complectantur.

Objic. 2. auctoritatem S. Ambroſii, qui Lib. 1. de Spir. S. c. 3. ſic loquitur: *Quemadmodum ſi unum in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum abneges, plenum eſt fidei Sacramentum: ita etiam quamvis & Patrem, & Filium, & Spiritum dicas, ſi aut Patris, aut Filii, aut Spiritus ſancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium.* Et infra: *Nunc conſideremus utrum quemadmodum in Chriſti nomine plenum eſſe myſterium legimus Baptiſmatis Sacramentum, ita etiam ſancto tantum Spiritu nuncupato, nihil deſit ad myſterii plenitudinem. Rationem ſequamur; quia qui unum dixerit, Trinitatem ſignificavit. Si Chriſtum dicas, & Deum Patrem a quo unctus eſt Filius, & ipſum qui unctus eſt Filium, & Spiritum quo unctus eſt, deſignaſti.* Unde ſic: Qui docet valere Baptiſmum, etiamſi ſolus nominetur Pater, quia nominato Patre, Filius & Spiritus S. ſufficienter per fidem nominati cenſeantur, ille ad Baptiſmi validitatem expreſſam trium perſonarum invocationem non requirit: atqui S. Ambroſius docet valere Baptiſmum, etiamſi, &c.

Reſpondent aliqui hanc reipſa fuiſſe S. Ambroſii mentem, quæ Eccleſiæ fidei nocere nihil debeat, cum hæc a corpore SS. Patrum, non ab uno aut altero contra ceteros ſentiente repetenda ſit. Ita Simmonet Tom. 7. p. 303. ſed quia durum eſt, niſi premat neceſſitas, Patribus *erroneam opinionem* impingere: aliunde vero, ut monent in hunc locum Benedictini, *Ambroſius ipſe ſexcentis locis trium perſonarum prolationem ad verum Baptiſmum neceſſario requiri aſſeverat*, idcirco textum ejus etſi difficilem benigne interpretabimur, prout fecere Bellarminus, Juenin, Habert, Tournely, &c. Itaque

Reſp. diſt. maj. qui docet valere Baptiſmum, etiamſi nominetur ſolus Pater a Miniſtro Baptiſmi, ille, &c. C. maj. qui docet valere Baptiſmum, etiamſi nominetur ſolus Pater a ſubjecto Baptiſmi, ſeu a perſona baptizata, N. maj. ſic diſtincta min. neg. conſeq. Itaque ut ex objecto loco nihil colligi valeat, unum ſufficit, nempe ut Ambroſius doceat tantummodo Baptiſma, ſuum plene effectum ſortiri poſſe, tametſi ille qui baptizatur, interrogatus, ut moris erat, an credat in Patrem, & Filium, & Spiritum S. reſponderit unice ſe v. g. credere in Patrem, aut Spiritum S. modo dum unam ore confitetur perſonam, in ceteras corde credat: atqui hoc ſolum docet Ambroſius, nec ultra progreſſus fingi poteſt, quin & contradictionis arguatur, & erroris capitalis in fide. Arguetur quidem contradictionis, quia alibi ſæpius contrarium docuit, potiſſimum citato ſupra Lib. de Myſteriis, n. 20. arguetur & erroris a quo prorſus abhorrebat. Scilicet definitum erat, & apud Catholicos omnes tempore Ambroſii receptum, Miniſtri fidem ad effectum Baptiſmi neceſſariam non eſſe; ac proin & infantes & adultos quandoque juſtificari per Baptiſmum collatum ab hæreticis: atqui ſi loquatur S. Doctor de perſona baptizantis in textu objecto, jam contrarium tenere debuit cum Donatiſtis. Sic enim expreſſe habet: *Plenum*

num eſt Baptiſmi Sacramentum, *ſi Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum fatearis: ſi unum neges, totum ſubrues*. Et iterum: *Quamvis & Patrem & Filium, & Spiritum S. dicas, ſi Patris, aut Filii, aut Spiritus ſancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium*. Sane vacuum recipit myſterium, qui unam e tribus perſonis negat: ſed an vacuum confert myſterium, qui in trium nomine baptizat infantem?

Confirm. 1. quia ex S. Ambroſio ibid. n. 41. *Eunuchus Candacis Reginæ*, quia credebat Chriſto *plenum myſterium conſecutus eſt:* ſecus de Epheſiis illis, qui ſine *fide Spiritus ſancti baptizati fuerant;* ergo perſpicuum eſt S. Doctorem hic loqui de profeſſione facienda a baptizato, non autem a baptizante.

Confirm. 2. quia ſi eo loci diſſerat Ambroſius de invocatione a Miniſtro Baptiſmi facienda, non autem de fide & profeſſione ſuſcipientis, neceſſum eſt ut ratum habuerit Baptiſma in ſolo Spiritus ſancti nomine collatum: atqui nemo id unquam ſomniavit e Catholicis Doctoribus, præter Magiſtrum Sentent. a quo omnes hac in parte receſſerunt; ergo neque id ſomniaſſe cenſendus eſt Ambroſius.

Inſt. Sic pergit Ambroſius n. 44. & 45. *Si Spiritum dicas, & Deum Patrem a quo procedit Spiritus; & Filium, quia Filii quoque eſt Spiritus nuncupaſti. Et ut rationi copuletur auctoritas, in Spiritu quoque recte nos baptizari poſſe Scri-*
Act. 1. 5. *ptura indicat, dicente Domino: Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto*: atqui verba hæc de baptizantis ſolius perſona intelligi poſſunt; ergo.

Reſp. neg. min. verba enim hæc, utpote ambigua, intelligi debent ſicut ea quæ præcedunt; ergo cum ex probatis, verba quæ præcedunt, ſignificent dumtaxat eum qui ſolum Patrem profitetur, plenum recipere poſſe Baptiſmi fructum, ſic & poſtrema hæc verba tantum ſignificant ab eo quoque plenum recipi poſse Sacramentum, qui nonniſi Spiritum ſanctum profeſſus fuerit. Haud equidem ſenſum hunc multum juvat citatus iſte ab Ambroſio textus: *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto*, ſed neque etiam adverſarios juvare poteſt: cum conſtet Apoſtolos, quando a Spiritu ſancto baptizati ſunt die Pentecoſtes, non fuiſse baptizatos ſacramentaliter. Et vero, quæ tunc Baptiſmi materia, quæ forma, quis homo miniſter?

Obj. 3. Ex citatis inter probationes noſtras Patribus, non pauci id unum exigunt ad Baptiſmatis ſubſtantiam, ut invocetur SS. Trinitas: atqui hæc invocari poteſt ſine diſtincta trium perſonarum appellatione; ergo.

Confirm. a fortiori ex S. Bernardo, qui interrogatus an in extremis valide baptizatus eſset puer ſub hac forma, *Baptizo te in nomine Dei, & ſanctæ & veræ Crucis*. Sic reſpondet Ep. 403. alias 340. ad Henricum Archidiaconum: *Ego vere hunc baptizatum puto: nec ſonum vocis, veritati fidei, & pietati intentionis præjudicare potuiſſe*.

R. ad 1. neg. maj. qui enim Trinitatem in genere nominant, pene ſemper ſui interpretes, tres ejus perſonas diſtincte recenſent: qui vero id non fecere, id quod ubique fiebat dixiſse cenſendi ſunt; ubique porro Baptiſmus in diſtincta trium perſonarum invocatione conferebatur. Ceterum aliud eſt ſuſpicari cum Maldonato, valere poſse Baptiſma in collectivo Trinitatis nomine datum; aliud cum Luthero docere valere idem Baptiſma quocumque nomine conferatur, modo recipiatur cum fide: neque quia primum tolerabitur, licebit non execrari ſecundum.

R. ad 2. falſum eſse id quod docet cit. Epiſt. S. Bernardus; indulgendum

dum tamen viro Sancto, qui ſi erravit, quod humanum eſt, modeſte erravit, quod piorum eſſe ſolet: cum ergo locutus fuerit, ut ait ipſe, *ſine præjudicio ſanius ſapientis*, dabit veniam, ſi ab eo recedamus, ne a ceteris divellamur.

CONCLUSIO II. Multo probabilius eſt nunquam valuiſſe Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum: valuiſſe tamen cenſerunt viri graves.

Prob. 1. pars. Si quando valuit Baptiſmus in ſolo Chriſti nomine, vel quia forma hæc de ſe ſufficiens eſſet; vel quia cum Apoſtolis diſpenſatum fuerit, ut, omiſſa forma communi, iſta ſola uterentur: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. ut patet ex præcedenti Concluſione, ubi non unius tantum perſonæ, ſed trium invocationem a Chriſto præſcriptam fuiſſe probavimus. Non 2. tota enim prætenſæ hujus diſpenſationis cauſa petitur ex Libro Actuum, ubi Apoſtoli in nomine Jeſu Chriſti baptizaſſe quater perhibentur: atqui hæc ratio parum aut nihil concludit. Ut enim ex ea ratione nihil aut fere nihil inferri poſſit, ſufficit ut primævi Patres, quibus notior eſſe debuit germanus horumce verborum ſenſus, ea non litteraliter, & ut ſonare videntur, ſed in ſenſu qui noſtrum includat, ut plurimum intellexerint: atqui ſic res ſe habent. *Act. 2. 8. 10. 19.*

Prob. min. quia Patrum alii, de Chriſti nomine mentionem factam eſſe volunt, ut tota denotaretur Trinitas quam prædicaverat Chriſtus. Sic S. Cyprianus Epiſt. 73. *Chriſti*, inquit, *mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed ut Patri quoque Filius adjungeretur*. Idem ſentiunt Anonymus Cypriano coætaneus, Baſilius, & alii plures: unde Eulogius apud Photium Biblior. Cod. 280. *Quod dictum eſt in Actis de iis, qui Baptiſmum Joannis accepiſſent, His auditis baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu: hoc eſt quia baptizati ſunt juxta traditionem, doctrinamque Domini Jeſu. Quare & alibi cum dicit: In Chriſto, vel in morte Chriſti baptizati ſunt, eumdem ſenſum debemus intelligere ſignificari; hoc eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizati ſunt: ſic enim docuit & tradidit Jeſus C. D. N. ut Baptiſma fieret*. Alii vero Patres per Baptiſmum in nomine Chriſti, intelligunt Baptiſmum iis datum qui ſolemnem fidei in Chriſtum profeſſionem emiſerant. Ita Sanctus Joannes Damaſcenus Lib. 4. Orthod. fidei cap. 10. idque in Scripturis fundamentum habet. Siquidem Act. 22. verſ. 16. hæc Ananiæ ad Paulum verba: *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine ejus*, mera iſtorum quæ ſubſtitui potuiſſent, interpretatio videntur, *Exurge & baptizare in nomine ejus*. Ibid. cap. 8. verſ. 36. Eunucho Baptiſmum petenti, reſpondet Philippus: *Si credis ex toto corde, licet* baptizare te: cumque reſpondiſſet: *Credo Filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum*, Philippus *baptizavit eum*: ubi non dicit textus pro ſolito more, *Baptizavit eum in nomine Domini*; quia in nomine Domini baptizatus intelligebatur, qui Domini fidem profeſſus erat. Alii demum Patres per Baptiſmum in nomine Chriſti datum, nihil aliud intelligunt, quam Baptiſma Chriſti prout a Joannis Baptiſmate diſtinguitur, & ipſius Chriſti nomine ſeu auctoritate confertur. In nomine enim idem eſt ſæpius ac in virtute; ut Act. 3. ubi Petrus ſanans claudum, ait: *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula*. Atque hanc explicationem, quæ facilis eſt & obvia, ſicut & præcedens amplectitur Theophilactus in cap. 24. S. Lucæ, ubi ſic: *Quando di-*

do dicimus Baptiſma fieri in nomine Chriſti, non dicimus quod oporteat in ſolius Chriſti nomine fieri; ſed quod Chriſti Baptiſma ſpirituale ſit non Judaicum: neque quale Joannes in pœnitentiam ſolum, ſed & communionem Spiritus ſancti, & remiſſionem peccatorum conferat.

Confirm. 1. ideo volunt adverſarii Apoſtolos in ſolo Chriſti nomine baptizaſſe, quia cum ipſis diſpenſatum fuerit ut ſic baptizare poſſent: atqui diſpenſatio hęc fictitia eſt, nec ulla quę ſufficiens ſit, ejus ratio aſſignari poteſt. Ajunt nempe id factum ut inter fideles inclareſceret nomen Chriſti. Sed numquid non ipſum ſatis illuſtrabant miracula virtute ejus perpetrata, crebrę ejus prędicationes, profeſſio ejus ante Baptiſmum requiſita, & aſſociatio ęterno Patri. Certe, ait Silvius hic q. 66. art. 6. ſi in Baptiſmo meminiſſe Chriſti conveniebat, hęc poterat uſurpari forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti, & Spiritus ſancti.*

Confirm. 2. quia hęc S. Petri verba Act. 2. v. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine J. C.* non diriguntur ad baptizantes (qui utique Baptiſmi formam non ignorabant) ſed ad baptizandos; ergo genuine & naturaliter explicantur de poſtulata a baptizandis in Chriſtum fide.

Confirmant aliqui 3. quia miratur Paulus Act. 19. quod baptizati quidam neſcirent, an eſſet Spiritus ſanctus; & ab iis repente quęrit, *in quo ergo baptizati* ſint: atqui, ait doctiſſ. Tournely, quęſtio hęc ſupponit ſolitum fuiſſe exprimi in Baptiſmo nomen Spiritus ſancti, ſicut Patris & Filii; ergo.

Verum, ut dicam quod res eſt, probatio hęc parum urget, 1. quia male Spiritum S. edocti fuiſſent, qui nomen ejus nonniſi obiter audiiſſent, & forte nec audiiſſent, dum ſimul in aqua mergerentur; 2. quia cum Myſterium Trinitatis ante explicandum foret & credendum, quam quis ſacro Fonte tingeretur, palam erat eos qui nequidem ſciebant an eſſet Spiritus ſanctus, Chriſti Baptiſmo ablutos non fuiſſe. Addi quidem poteſt cum Silvio, eum qui pręceperat ut Gentiles Trinitatem edocerentur, juſſiſſe ſimul eos in nomine Trinitatis baptizari: ſed redit difficultas, an non ſcilicet eo in pręcepto diſpenſatum eſset. Jam

Prob. 2. pars, nimirum quod Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine datum pro rato habuerint viri graves. Sic enim ſenſere 1. Angelicus Doctor 3. p. q. 66. art. 6. ad 1. ubi hęc habet: *Ex ſpeciali Chriſti revelatione Apoſtoli in primitiva Eccleſia in nomine Chriſti baptizabant, ut nomen Chriſti, quod erat odioſum Judæis & Gentibus, honorabile redderetur;* 2. Doctores Irrefragabilis, Seraphicus, & Subtilis; 3. ulterius progreſſi eamdem formam hodiedum ſufficere judicarunt Hugo a S. Victore, Magiſter Sentent. & aliquando Venerabilis Beda in cap. 10. Act. Apoſt. 4. idem indubie tenuit Nicolaus I. ut liquet ex celebri ejus ad Bulgaros Reſponſo cap. 104. ubi de iis qui a Judeo vel Pagano tincti erant, ſic loquitur: *Hi profecto ſi in nomine SS. Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſint (unum quippe idemque eſt ut Sanctus exponit Ambroſius) conſtat eos non eſſe denuo baptizandos.*

An autem, ut hic male Apoſtolorum Acta intelligit Nicolaus, ſic non male Ambroſium explicet, ambigunt eruditi. En S. Doctoris textum ex citato ſuperius ejuſdem loco: *In Chriſti nomine plenum eſſe myſterium legimus Baptiſmatis Sacramentum.* Iis quidem verbis nituntur Scotiſtę; ſed perperam, cum ex dictis conſtare debeat obſcurum hunc, quo deceptus

Digitized by Google

ceptus eſt Nicolaus I. Ambroſii locum, non de forma a Miniſtro proferenda, ſed de invocatione facienda a baptizato intelligi debere.

Ceterum, ait hic Gonet diſp. 1. n. 105. *licet Nicolaus revera arbitratus ſit, quod tempore ſuo valeret Baptiſma in nomine Chriſti, hoc tamen non decrevit ut ſummus Pontifex, ſed ut Doctor particularis, tanquam opinionem quam putavit eſſe Ambroſii. Summi namque Pontifices quod extra Concilium decernunt, non ſemper conſtituunt tanquam articulum fidei, maxime quando Auctorem citant; & ideo non obſtante tali decreto, ſequi debemus contrariam doctrinam.* Certe cum hanc Nicolai opinionem renovaſſet Cajetanus, eam e Scriptis ipſius in editione altera Romana eradi juſſit Pius V.

Objic. 1. contra 1. part. Tam vox iſta, *in nomine Chriſti*, in Actibus Apoſt. ſignificat formam ſola Chriſti invocatione perficiendam, quam apud Matth. voces *in nomine Patris*, &c. formam ſignificent in nomine trium perſonarum perficiendam: atqui voces iſtæ, *in nomine Patris*, &c.

Reſp. neg. maj. 1. quia verba Chriſti apud Matthæum dirigebantur ad Apoſtolos, quibus baptizandi forma præſcribebatur: at vero verba Actuum Apoſt. diriguntur ad baptizandos, qui non indigebant edoceri quo ab Apoſtolis ritu baptizandi eſſent; ſed quid faciendum ſibi foret, ut plenum reciperent Baptiſmi effectum. Quid autem certius præſcribi poterat, quam ut ejus quem affixerant cruci, nomen ſupplices invocarent. 2. quia Traditio vocem *in nomine* non eodem intellexit ſenſu in Actibus, quo apud Matthæum.

Objic. 2. S. Stephanus Papa ratum habuit Baptiſma in ſolo Chriſti nomine datum, ut tradit S. Cyprianus Ep 73. ad Jubajanum, ubi ſic: *Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Eccleſiam, imo & contra Eccleſiam, modo in nomine Jeſu Chriſti, ubicumque & quomodocumque Gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe, quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari jubeant in plena & adunata Trinitate?* ubi opponit S. Doctor Baptiſmum quem approbabat Stephanus, Baptiſmo in plena & adunata Trinitate collato: atqui non ſtaret oppoſitio illa, niſi Stephanus Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine datum approbaſset; ergo.

Reſp. ad 1. neg. ant. ad 2. 1. neg. maj. quia incertum eſt an hic loquatur Cyprianus de Stephano; tum quia verba hæc, *quidam dicunt*, quæ Cyprianus non explicat, ut Stephano ſic & aliis applicari poſsunt; tum quia id quod citato loco refert Cyprianus, legerat ipſe in Epiſtola ad Jubajanum ſcripta, & ad ſe ab eodem Jubajano tranſmiſsa: atqui probari nequit Jubajanum ullas unquam a Stephano Litteras accepiſse: nec credi facile poſſit Pontificem, qui Decretum de non rebaptizandis hæreticis recta miſerat ad Cyprianum, ad alium miſiſse Epiſtolam ejuſdem Decreti expoſitivam; ergo. Sed dato quod de Stephano loquatur Cyprianus.

Reſp. 2. diſt. maj. opponit S. Doctor Baptiſmum quem approbabat Stephanus, id eſt quem errore facti a Stephano approbari credebat Cyprianus, C. id eſt quem de facto approbabat Sanctus ille & Summus Pontifex, N. Itaque per Baptiſmum in nomine Chriſti collatum, ſi tamen iis terminis uſus ſit Stephanus, nihil aliud ille intelligebat quam Baptiſmum virtute & auctoritate Chriſti datum; idque appoſite ad ſtatum controverſiæ quam cum Cypriano habebat, ut efficacius oſtenderet Ba-

 ptiſmum,

ptiſmum, modo ſit ipſe Chriſti Baptiſmus, vim ſuam non a Miniſtro, ſed ab ipſo Chriſto habere. Et vero an Stephanus, qui *nihil niſi quod traditum eſſet*, innovari volebat, a forma per Chriſtum expreſſe tradita, & de qua ipſum inter & Cyprianum nulla movebatur quæſtio, gratis receſſiſſet, ut dubiam proponeret formam, & ſe novis extra rem ambagibus implicaret.

Confirm. quia hanc eſſe Stephani mentem uſque adeo perſuaſum habuit Firmilianus, ut licet extra metam omnem addictus Cypriano, parumque propenſus in Stephanum, ſic hujus ſententiam reddiderit: *Illud quoque abſurdum, quod non putant quærendum eſſe quis ſit ille qui baptizaverit, eo quod qui baptizatus ſit, gratiam conſequi potuerit invocata Trinitate nominum Patris & Filii & Spiritus ſancti.*

Inſt. Non aliunde melius erui poteſt Stephani ſenſus, quam ex praxi ejuſdem: atqui conſtat Stephanum in ſolo Chriſti nomine baptizaſſe. Ferunt enim Acta paſſionis ejus, quæ teſte ad an. 259. Baronio, plenam merentur fidem, eum in nomine Domini noſtri J. C. centum & octotam viros quam mulieres baptizaſſe; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. ferunt eum baptizaſſe in nomine Domini, id eſt Dominicum Baptiſma contuliſſe, C. id eſt ſub hac baptizaſſe forma, *In nomine Domini*, N. Contrarium quippe ex iiſdem Actis liquet, ibi enim refertur Nemeſium militiæ Tribunum, ſub hac tinctum eſſe forma, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizo te*. Ita ferme doct. Tournely. *Baron. n. 23.*

Obj. 3. cum Henno auctoritatem S. Hilarii qui Lib. de Synodis n. 85. hæc loquitur: *Apoſtoli baptizare in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. juſſi, tantum in Jeſu nomine baptizaverunt;* ergo.

R. diſt. tantum baptizaverunt in nomine Jeſu, ſi Scripturæ textus ad corticem ſumatur, ut aliquando ſumi non debere probat Hilarius, C. tantum baptizaverunt in nomine Jeſu de facto & in rei veritate, N. Totus eſt ibi Hilarius ut probet non eſſe improbandum, *quidquid vitioſe intelligi* poſſit. Id ut aſtruat S. Doctor, varios congerit Scripturæ textus, quibus pronum ſit abuti; eumque inter alios ubi Apoſtoli, licet baptizare in nomine Patris, &c. juſſi ſint, *tantum in nomine Jeſu* baptizaſſe leguntur; ergo, juxta Hilarium, textus ille vitioſe intelligeretur, ſi de dato ab Apoſtolis in ſolo nomine Jeſu Baptiſmo intelligeretur. Et vero vitioſe intelligitur textus, cum ex eo ſequitur Apoſtolus divinæ juſſionis tranſgreſſores fuiſse: porro ſi juſſi baptizare in nomine trium perſonarum Apoſtoli, in ſolo nomine Jeſu baptizaſsent, jam divinæ juſſionis fuiſſent tranſgreſsores. Quis porro Apoſtolos ab Hilario in divinæ legis temeratores traductos exiſtimet? ajunt Hilarii Editores.

Obj. 4. S. Baſilium qui Lib. 5. adverſus Eunomium cap. 5. docet Gentiles in Trinitatis nomine, Judæos autem in nomine Chriſti baptizatos eſse.

R. Baſilii ſcopum eſse quod eadem ſit Chriſti virtus & auctoritas, quæ Patris & Spiritus ſancti, eadem quoque Spiritus S. (cujus divinitatem totus hic aſserit S. Doctor) quæ Patris & Filii. Id ut aſtruat, oſtendit operationes quæ indubie Dei ſunt, v. g. regenerationem a peccatis, nunc Filio, nunc Spiritui S. aſcribi; quandoquidem ex regeneratis alii

in

in Chriſto, alii in Spiritu S. baptizati dicantur: ſed ne uno quidem verbo indicat ad formam Baptiſmi ſufficere ut vel Filius ſolus, vel ſolus Spiritus S. a baptizante invocetur. Certe non valet illatio hæc; Spiritus ſanctus, perinde ac Filius juſtificat in Baptiſmo; ergo ſola vel Spiritus S. vel Filii invocatio ex parte Miniſtri ſufficit ad ſubſtantiam Baptiſmatis.

Objic. 5. Concilium Nemauſenſe an. 1284. tit. de Bapt. hæc habet: *Idem dicimus, ſcilicet infantem baptizatum eſſe, ſi baptizans dixit, Baptizo te in nomine Chriſti;* ergo.

Reſp. neg. conſeq. privata enim illa Synodus, nullum traditioni præjudicium inferre poteſt. Certe hæc Bertrandi Nemauſenſis opinio, vel ipſi ſuo Auctori ſuſpecta videbatur, cum nolit ſuam hanc formam laicos edoceri, *ne*, inquit, *a forma ſtatuta per Eccleſiam recedatur*.

ARTICULUS SECUNDUS.

An in Baptiſmi forma exprimi debeat actio Miniſtri, &c.

SEnſus quæſtionis eſt, an ſicut in Baptiſmo neceſſarium eſt, ut Trinitas diſtincte nominetur, ſic & neceſſe ſit, ut proferantur iſta, *Ego baptizo te*, quin & aliqua movetur difficultas de voculis, *in nomine*. Pro ſolutione ſingulas voces ſcrutabimur.

Quod ſpectat ad verba, *Ego te baptizo*, aut æquivalentia, hæc citra Sacramenti diſpendium omitti poſſe ſenſere veteres quidam Theologi, ut Petrus Cantor, Præpoſitus, Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus, ac præcipue Stephanus ex Abbate ſanctæ Genovefæ, deinque S. Euvertii apud Aurelios, Epiſcopus Tornacenſis, qui in Epiſt. 5. ad Pontium Claromontanum Antiſtitem, a quo ea de re conſultus fuerat, evincere conatur ratum eſſe Baptiſma, ſub his ſolum vocibus, *In nomine Patris, & Filii*, &c. Opinionem hanc ipſa Stephani Tornacenſis ætate, ſed per Conſtitutionem a Stephano probabiliter ignoratam reprobavit Alexander III. circa an. 1175. Cenſet porro Morinus Lib. 8. de Pœnit. c. 16. n. 21. poſt promulgatam & receptam hujus Pontificis Decretalem, non valuiſſe amplius Baptiſma ſuppreſſis verbis, *Ego te baptizo*, vel æquivalentibus collatum: verum hoc antea valere potuiſſe ſuſpicatur. Unde de hujuſmodi Baptiſmo idem ferme judicium haberi vult ac de Matrimoniis clandeſtinis, quæ ante Synodum Tridentinam rata fuere, at poſt eam non valent. Sit

Conclusio I. Ad validitatem formæ baptiſmalis haud neceſſarium eſt ut vel pronuntietur pronomen *Ego*; vel verbum *Baptizo* active proferatur.

Prob. 1. pars, quia verbum *Baptizo*, cum ſit indicativum primæ perſonæ, implicite includit illud pronomen. Haud tamen illud omitti debet, ne a trito Eccleſiæ uſu recedatur.

Prob. 2. pars, quia ex dicendis Baptiſma Græcorum ab Eccleſia Romana comprobatum eſt: atqui tamen *Græci* verbum, *Baptizo*, non adhibent active; ergo.

Conclusio II. Hæc verba *Baptizo te*, aut alia æquivalentia, citra periculum nullitatis in forma Baptiſmi omitti non poſſunt. Duæ ſunt

Con-

Concluſionis partes, prima reſpicit actionem Miniſtri per verbum *Baptizo*, aut aliud æquivalens exprimendam: ſecunda reſpicit ſubjectum, vocula *Te*, aut alia ſimili deſignandum. Utraque ſimul vel ſeorſim probari poteſt.

Prob ſimul, 1. ex cap. 1. *De Baptiſmo*, ubi ſic rem definit Alexander III. *Si quis puerum ter in aqua immerſerit in nomine Patris*, &c. *& non dixerit*, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. *non eſt puer baptizatus*.

Nec dicas Decretalem hanc haberi poſſe ut privati Doctoris ſententiam, ſicque de facto habitam fuiſſe a Stephano Tornacenſi, qui etſi viginti poſt Alexandrum III. annis obiit, haud tamen ratum habere deſiit Baptiſma ſine prædictis verbis adminiſtratum.

Obiit Alex. III. an. 1181.

Nam quidquid ſit de natura Decretalis ab Alexandro III. emiſſæ, conſtat eam & a Romano Pontifice, eoque in antiquitate verſatiſſimo prodiiſſe; & nihil habere quod valori Sacramenti non faveat, quæ ratio in moralibus ſummi ponderis eſſe debet, conſtat proinde in ea tradi opinionem quam non modo ſimplex Abbas, qualis tunc Aureliæ erat Stephanus, ſed & privatus quilibet Epiſcopus opinioni ſuæ præferre teneatur. Merito igitur ſupponimus virum pium, qualis fuit Stephanus Tornacenſis, Alexandri III. Decretalem neſciiſſe: neque id mirum, cum innumeræ id genus Summorum Pontificum reſolutiones, ut plurimum ad homines privatos directæ, nec ante innotuerint, quam a S. Raymundo in unum corpus redactæ; nec ante certi juris vim habuerint, quam a Gregorio IX. fuerint confirmatæ. Et vero ſi Stephanus humiliter teſtetur profundere ſe *opiniones*, non *aſſertiones*, paratumque *ſummi & Catholici viri Domini* Mauritii *Pariſienſis* Epiſcopi *ſequi veſtigia*: quanto lubentius Romani Epiſcopi veſtigia ſecuturus conjici poteſt. Ut ut eſt, conſtat nec Mauritium, nec Pontium Claromontanum idem ſenſiſſe cum Stephano: uterque enim Baptiſma ſine prædictis verbis invalide conferri judicavit; Pontius vero *peſſimam* vocat conſuetudinem ſic baptizandi, ſeu, ut loquitur *undejandi*, quacumque tandem id ex neceſſitate fiat.

Prob. 2. quia in Sacramentis ea debet neceſſario teneri forma, quæ & tutior eſt, & antiquitati conſentanea magis: atqui talis eſt forma quæ Miniſtri actionem relative ad ſubjectum exprimit. Quod tutior ſit nemo in dubium revocat, ea enim poſita, ſi forte neceſſaria non ſit, non periclitatur Sacramentum: ea vero ſublata, ſi neceſſaria eſt, nihil conficitur. Quod autem antiquitati magis conſentanea ſit, patet, quia ubicumque tradita eſt diſtinctius forma Sacramentorum, hæc tradita invenitur, non ut ritus recens, & qui pro nutu omitti poſſet, ſed ut aliquid quod ubicumque conſtanti uſu obſervatum erat, prout ſcilicet obſervari ſolent, quæ pertinent ad Sacramenta. Sic nude & ſimpliciter formam hanc referunt S. Gregorius Magnus * in ſuo Sacramentario, Auctor Ordinis Romani, antiqua Liturgia Gallicana a doctiſs. Mabillonio edita, & Rituales Libri omnes, quos edidit R. P. Martene, uno dempto Cameracenſi, non antiquiore trecentis annis, in quo voces, *Baptizo te*, ſuppreſſæ ſunt, forte quia iis in partibus invaluerat opinio Stephani Tornacenſis. Eamdem formam clare ſubindicat Venerabilis Beda * Lib. var. qq. q. 24. his verbis: *Si quis dicat*, *Ego te baptizo in Chriſto Jeſu*, *& non dicat*, *In nomine Patris*, &c. *ſicut Dominus inſtituit*, *non eſt verus Baptiſmus*; ubi

* *Obiit an.* 604.

* *Obiit an.* 735.

ubi obiter animadverte Bedam ab ea quam olim tenuerat circa valorem Baptiſmi in Chriſti nomine dati, opinione receſſiſſe. Antiquius dabunt argumentum Acta paſſionis S. Stephani Papæ, ſi genuina ſunt, ut maxime genuina cenſet Baronius: de quo ſupra.

Prob. 3. ex Cenſura quam an. 1690. tulit Alexander VIII. contra Propoſitiones multas, quarum hæc eſt n. 27. *Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, 'In nomine Patris, &c. prætermiſſis illis, Ego baptizo te.* Ejuſdem doctrinæ vel umbram a Diœceſi ſua ablegavit an. 1707. Illuſt. Bajocenſium Antiſtes.

Prob. 4. ratione S. Thomæ hic q. 66. art. 5. ad 2. quæ ſic proponi poteſt: ad valorem Baptiſmi neceſſum eſt ut actio abluendi in Baptiſmo habeat ſignificationem ſacramentalem: atqui ut actio illa ſignificationem ſacramentalem habeat, requiruntur hæc verba *Baptizo te*, vel æquivalentia. Vel enim actio abluendi ſignificationem habet ſacramentalem a ſe ſola, vel a ſola Trinitatis invocatione, vel ab eadem invocatione his conjuncta S. Thom. verbis, *Baptizo te*: atqui non 1. cum *ablutio hominis in aqua propter multa fieri* poſſit, puta ad refrigerandum corpus, ad abluendas ejus ſordes, &c. non 2. cum & ipſa SS. Trinitatis invocatio multos ob fines fieri queat, imo & *omnia in* ejus *nomine facere debeamus, ut habetur Coloſſ.* 3. ergo ſupereſt ut actio abluendi ſacramentalem ſignificationem ab iis mutuetur verbis, *Baptizo te*, &c. *& ideo ſi non exprimatur actus Baptiſmi, vel per modum noſtrum, vel per modum Græcorum non perficitur Sacramentum.*

Prob. 2. pars. Non valeret abſolutio ſub hac forma, *Abſolvo*, vel *Datur abſolutio in nomine Patris;* quia abſolutio non in individuum vagum cadit, ſed in certam determinatamque perſonam: atqui eadem ratio militat in Baptiſmate; ergo.

Confirm. ex Florentina Synodo, quæ ut probatam ſibi Græcorum formam exhibeat, non habet ſimpliciter, *Baptizetur ſervus Chriſti*, ſed *Baptizetur talis ſervus Chriſti*: ubi *talis* perperam adderetur, niſi ſubjectum baptizandum diſtincte deſignari oporteret.

Objic. 1. Illud ſolum ad valorem Baptiſmi neceſſarium eſt, quod a Chriſto præſcriptum fuiſſe probari poſſit: atqui probari non poteſt, verba hæc, *Ego te baptizo*, a Chriſto præſcripta eſſe: imo probari poteſt eadem non debuiſſe præſcribi. Et quidem 1. probari non poteſt verba hæc a Chriſto præſcripta eſſe. Tota enim id aſſerendi ratio in iis fundatur verbis: *Ite, docete* ∴ *baptizantes in nomine Patris*, &c. atqui verba hæc nihil probant. Non enim magis probant, ab eo qui baptizat, dicendum eſse, *Baptizo te*, quam probent ab eo qui docet, dicendum eſse, *Doceo te*: atqui, &c. 2. probari utcumque poteſt, verba hæc a Chriſto præſcripta non fuiſse. Quia nimirum ubi manifeſta eſt actio operantis, nemo ſapiens præſcribere poteſt ut hanc ille verbis ſuis indicet. Certe tam ridiculum eſt, ut qui baptizat, moneat ſe baptizare, quam ridiculum fuiſset, ut vel Moyſes, cum, jubente Deo virgam ſuam projecit ut ſerpens fieret, diceret, *Ego virgam meam projicio*: vel Gieſi, cum jubente Eliſeo, baculum ſuum ſuper pueri ſuſcitandi faciem poneret, iis, quaſi novi quid edocturus, uteretur verbis, *Ego baculum meum pono ſuper faciem pueri*: atqui hujuſmodi declarationes in re tam aperta ridiculæ fuiſsent; ergo.

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. ad 1. neg. min. pro utraque parte. Ad 1. 2. neg. maj. etſi enim verba hæc, *Ite docete baptizantes*, non invicte probant exprimendam eſſe actionem baptizantis; at eam tamen exprimendam eſſe probant, tum periculum ne expreſſio hæc a Chriſto præcepta fuerit; tum conſtans & perpetua Eccleſiæ praxis. Nempe vero poteſt quiſquis Deum timet, ſecum duplicem hanc ratiocinationem efformare. 1. Forte quidem non præcepit Chriſtus, ut diceretur, *Baptizo te*, ſed & id forte præcepit; ergo mihi & proximo peſſime conſulam, ſi id omiſero, quod admiſſum non nocet, prætermiſſum nocere poſſit; 2. verba hæc, *Ego te baptizo*, in uſu erant ſexto Eccleſiæ ſæculo, ut patet ex Sacramentario S. Gregorii, ubi referuntur in terminis; ergo & in uſu erant ſæculo quinto; idem dic de quarto, tertio, &c. alioqui probent adverſarii ea ſub iſtud tempus ab aliquo vel Pontifice vel Concilio inſtituta fuiſſe: neque enim ea inſtituiſſe Gregorius dici poteſt, cum ab eo referantur ut ritus in Eccleſia communis. Saltem oſtendant poſitive fuiſſe tempus aliquod, quo Baptiſma ſine iiſdem collatum fuerit: id enim ratiunculæ & fictitiæ paritates male admodum probant. Unde

Ad 2. 2. neg. ant. tum quia ſi Deus ſapienter præcipere potuit, ut infans, niſi quibuſdam aquæ guttis tingeretur, periret in æternum; potuit & præcipere ut niſi per verba actionem Miniſtri deſignantia tingeretur, male tingeretur; tum quia actio abluendi cum ad plura indifferens eſſet, indigebat ſpeciali determinatione: actiones vero vel docendi, vel projiciendi virgam, vel baculum ponendi ſuper faciem infantis, nulla id genus determinatione indigebant; tum denique quia in Sacramentis res ſtrictius quam in alia quacumque materia accipiuntur.

Inſt. 1. Merito præſumitur verba, de quibus altum fuit ſilentium per priora quinque Eccleſiæ ſæcula, in quibus tot motæ ſunt lites circa requiſita ad valorem Baptiſmi, iiſdem ſæculis in Baptiſmo uſurpata non fuiſſe: atqui de verbis, *Baptizo te*, altum fuit apud Patres ſilentium, &c.

Reſp. neg. maj. præterquam enim non omnia ſcripta ſunt, & multo minus Sacramentorum formæ, prout dedita opera an. 1745. probavit R. P. Carolus Merlin, haud mirum videri debet nullum e priorum quinque ſæculorum Patribus ſcripſiſſe, neceſſaria eſſe verba de quibus contendimus in præſenti. Ratio eſt, quia nullus eorum condidit Rituales Libros; nullus adverſarium habuit, qui verborum horumce neceſſitatem impugnaret. Tota lis fuit de invocatione expreſſa Trinitatis; nulla an invocationi huic præmittenda eſſent verba, quæ Miniſtri actionem exprimerent.

Inſt. 2. Non modo de prædictis verbis ſiluere Patres, ſed & ea ſaltem generaliter reprobavere. Sic enim loquitur S. Auguſtinus Serm. 99. alias Homilia 23. inter 50. in hæc verba Chriſti Luc. 7. *Remittuntur tibi peccata tua ∴ fides tua te ſalvam fecit. Medicus bonus ægros non ſolum præſentes ſanabat, ſed & futuros etiam prævidebat. Futuri enim erant homines, qui dicerent, Ego peccata dimitto, ego juſtifico, ego ſanctifico, ego ſano quemcumque baptizo*: ſed qui non patitur ut dicat homo homini, *Ego peccata dimitto*, non paſſus eſſet ut diceretur, *Ego baptizo te*, id eſt ad æternam vitam abluo; ergo.

Reſp.

Reſp. diſt. min. non paſſus eſſet ut diceretur tumida fronte, & hęretica ſuperbia, prout ab illis dicebatur, quos eo loco carpit Auguſtinus, C. non paſsus eſset ut diceretur nomine Chriſti, & a Miniſtro qui ut ſimplex ejus miſericordiæ inſtrumentum ſe gereret, N. Quod autem hæreticos quoſdam, qui inſolenter gloriabantur, quaſi meritis propriis propriaque virtute alienas labes expungerent, increpet ibidem Auguſtinus, patet ex ſolo S. Doctoris contextu. Sic enim Chriſtum inducit loquentem: *O homo quando a Judæis putatus ſum homo, dimiſſionem peccatorum fidei dedi. O hæretice cum ſis homo, dicis: Veni mulier, ego te ſalvam facio*, &c.

Ex his colliges gratis fictum eſse Morini ſyſtema, quo Baptiſmum omiſſis verbis, *Baptizo te*, olim valuiſse cenſet, nunc autem poſt receptam Alexandri III. Decretalem valere negat. Siquidem nulla cujuſquam Pontificis Conſtitutio efficere poteſt, ut forma quam Chriſtus valere voluit, non valeat ſemper; unde ſi olim valuit, neceſse eſt ut hodiedum valeat.

Confirm. Si forma hæc, *In nomine Patris*, &c. jam non ſufficit, ut ſufficiat iſta, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. neceſsum eſt ut hæ duę formæ differant ſubſtantialiter; quæ enim accidentaliter ſolum differunt, perinde valida ſunt, licet non ſemper perinde licita ſint; ergo juxta Morinum, poſt Alexandri III. Decretalem forma Baptiſmi alia eſt ſubſtantialiter, quam ante Decretalem illam fuerit; ergo per Decretalem illam facta eſt mutatio ſubſtantialis in Baptiſmo; ergo poteſt aliquid Eccleſia in formam Sacramentorum, quod Tridentino directe adverſatur.

Nec doctiſſimo viro prodeſt paritas e clandeſtinis matrimoniis, quę olim valuere, nunc autem non valent, deſumpta: quia, ut alibi diximus, hujuſmodi matrimoniis deeſt ratio legitimi contractus ac proinde ratio materię ad Sacramentum, juxta Chriſti inſtitutionem, ſufficientis: at vero in Baptiſmo collato ſimpliciter *in nomine Patris*, &c. nihil, ſecundum Morinum deeſset eorum quę Chriſtus tanquam ſufficientia inſtituit, non materia, non forma, non intentio Miniſtri. Si quid ergo probare velit Morinus, neceſsum eſt ut oſtendat Eccleſiam potuiſse certas apponere conditiones, quarum defectu matrimonium ſit nullum, eo etiam caſu, quo tota ejus ſubſtantia a perſonis idoneis cum intentione debita poneretur: id autem nuſquam probabit. *Supra p.* 149.

Confirm. Si verba hęc, *Baptizo te*, jam neceſsaria ſint ad valorem Baptiſmi, vel ut pars eſsentialis formę, vel ut conditio ſine qua non. Si ut pars formę eſsentialis; ergo ſemper in uſu fuerunt. Si ut conditio ſine qua non; ergo fieri poteſt ut non perficiatur Sacramentum poſitis etiam materia, forma, perſona & intentione Miniſtri, quod & Florentino & Theologis omnibus adverſatur.

Objic. contra 2. part. Stephanus II. formam hanc approbavit, *In nomine Patris mergo, & Filii mergo, & Spiritus S. mergo*: atqui forma hęc perſonam abluendam non exprimit.

Reſp. approbationem hanc nullo roboris alicujus niti fundamento: ceterum ſi vere data ſit, prorſus eſse improbandam.

CONCLUSIO III. Melius & tutius cenſent, qui particulam *In*, ad validitatem Sacramenti neceſsariam eſse credunt.

Prob.

Prob. quia incertum eſt an vox *nomine*, eumdem habeat ſenſum, quem vox *in nomine*. Affirmant quidem aliqui cum Coninck, Fraſſen, &c. quia qui ſignificat ſe pręſtare aliquid nomine alterius, ſignificat ſe id in nomine ejuſdem facere: unde, inquiunt, docent Grammatici ablativum abſolutum eamdem habere ſignificationem ac ablativum per prępoſitionem *in* deſignatum. Sed reclamant alii, ajuntque variari ſenſum, eo quod Miniſter dicens, *Baptizo te nomine*, inſinuet ſe baptizare vice Patris; prout ſalutat alterius vice, qui ejus nomine ſalutat; ergo res dubia videri poteſt: in dubio autem plus ſapiunt qui Sacramento provident.

Ut ut eſt, fatetur idem Coninck graviter reprehendendum eſse qui de induſtria voculam *in* omitteret. Imo docet Sotus eum lethalis peccati reum fore; idemque ait de omittente conjunctionem *&*, hoc modo, *Baptizo te in nomine Patris, Filii, Spiritus S.* quam tamen formam cenſent plures valere, niſi qui ea utitur perſonas identificare velit: quod minus pręſumi poteſt, cum forma quaſi poſito inter ſingulas voces comate pronuntiatur: ſic enim familiare eſt ut dicamus: *Ita tenendum poſt Cyprianum, Ambroſium, Leonem*, &c.

Conclusio IV. Vocula *nomine*, ad ſubſtantiam Baptiſmi prorſus neceſſaria eſt: unde non ſtabit Sacramentum ſi quis vel *in nomine Patris*, &c. vel, *in Patris, & Filii*, &c. baptizet.

Prob. quia ad ſubſtantiam formę Baptiſmi, neceſsarium eſt ut & unitas eſsentię in divinis, & perſonarum Trinitas exprimatur: atqui ſi vel dematur vox *in nomine*, vel ei ſubſtituatur, vox *in nominibus*, jam non exprimitur unitas illa; ergo.

Confirm. ex S. Ambroſio Lib. 2. de Sacram. c. 7. ubi ſic loquitur: *In uno nomine baptizare nos juſſit, hoc eſt in nomine Patris*, &c. *quia unum nomen, ubi eſt una ſubſtantia, una divinitas, una majeſtas*. Conſonat Auguſtinus Lib. 2. contra Maximian. c. 23. his verbis: *In nomine, non in nominibus: hi enim tres unum ſunt: & hi tres unus eſt Deus.*

Quæres an valeat Baptiſmus, ſi uſitatæ formæ terminis termini ſubſtituantur æqui valentes.

Reſp. 1. non licet a forma communi recedere etiam accidentaliter, niſi id graves exigant cauſæ, quæ vix unquam occurrunt. Tanto autem quis gravius delinquet, quanto plus a trito itinere deviabit; niſi forte excuſet ignorantia, quæ vel obſtetricibus ſuffragari nequit, quia tenentur ex ratione officii ſui formam Baptiſmatis callere. Ita Silvius 3. p. q. 60. art. 8. Pontas v. *Batême* caſ. 9.

Reſp. 2. ſtare Sacramentum, ſi formæ terminis non ſubſtituantur niſi termini vere æquivalentes; unde ſi quis pluraliter loqui aſſuetus, pro *Baptizo*, dicat, *Baptizamus*, non nutabit Sacramentum, ut ex Cajetano docet idem Silvius q. 66. a. 5. ubi merito annotat ejuſmodi vanitates omnino fugiendas eſſe. Idem eſt ſi quis honoris male intellecti cauſa dixerit, *Baptizo vos*, vel *celſitudinem veſtram*. Item ſi dicatur, *Baptizo Petrum*, vel *Petrus baptizatur a me*. Quin & tunc verum perficietur Sacramentum, etſi perſona præſens, non ſit ejuſdem nominis aut ſexus; quia quiſquis baptizat, primo & directe intendit baptizare ſubjectum præſens, quod ex errore putat eſſe Petrum: unde verba ejus hunc habent ſenſum, Baptizo te, quem Petrum vocari exiſtimo. Aliunde eſt de matrimonio, in quo contrahendi voluntas hanc ſignate perſonam afficit.

Hic

Hic caute notandum fieri facile poſſe ut habeantur quaſi formæ communi æquivalentes termini, qui eidem revera non æquivaleant, unde, & id jam alibi obſervavimus, non valet Baptiſma collatum in nomine SS. Trinitatis, vel in nomine Dei unius & trini; etſi voces illæ idem eſſe videntur quod Pater, Filius & Spiritus S. Item nec valet juxta S. Thomam 1. part. q. 40. art. 2. Scotum, Silvium 3. p. q. 66. art. 5. & alios plures contra Cajetanum, ſi conferatur *in nomine Genitoris, Geniti, & ab utroque ſpirati* ſeu *procedentis;* quia licet nomina hæc idem materialiter ſonent, quod Pater & Filius, &c. non tamen formaliter. Pater enim, Filius, &c. ex uſu communi ſignificant hypoſtaſim, ideoque & perſonam ſubſiſtentem: Genitor vero & Genitus, deſignant ſolum proprietatem, & modum originis unius perſonæ ab alia. Adde 1. quod vox *Geniti* latius pateat quam vox *Filii;* cum non omne genitum ſit filius; 2. quod *Grand. p. 81.* Chriſtus voluerit, in Baptiſmo eas uſurpari voces, quæ ex communi populorum uſu inſtitutæ ſunt ad profitendam aperte trium perſonarum fidem; unde & ipſi adverſarii pro irrito habent Baptiſmum datum, ſeu in nomine Trinitatis, ſeu in nomine Ingeniti, vel Innaſcibilis, &c. licet poſtrema hæc duo ex accommodatione Patrem ſignificent. Quapropter Baptiſma ſub his formis collatum, omnino iterari oporteret, ſaltem ut dubium: idemque eſt ſi datum eſſet, *in nomine Genitoris, Nati, & S. Flaminis; in nomine Patris, &* Verbi, vel *Patris & Chriſti; in nomine primæ, ſecundæ, & tertiæ perſonæ*. Standum ergo eſt & immobiliter ſtandum perpetuæ conſtanti Eccleſiæ praxi. Sane, ajebat S. Epiphanius hær. 73. *non dicit* Chriſtus, *baptizantes eos in nomine Geniti & Ingeniti, ſed in nomine Patris*, &c. quod & iiſdem pene verbis docet S. Athanaſius Serm. 2. contra Arianos.

Sed quid de hac forma, *Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii*, &c. eam approbant Suarez, Leander, & alii plures; & confirmant ex veteri Baptiſmi ordine quem circa an. 630. conſcripſit Severus Alexandrinus, ubi ſic legere eſt, *Baptizatur talis in nomine Patris amen. In nomine Filii amen; & Spiritus ſancti ad vitam ſæculi ſæculorum*. Neſtoriani *Biblior. PP. t. 12. p. 732.* etiam in Palæſtina dicuntur ter repetere voces *in nomine*. Nihilominus eadem forma pluribus admodum dubia videtur, nec immerito: quia ſicut forma Baptiſmi, qua parte ſignificat Trinitatem, eam ſignificare debet voce quæ Trinitatem ſignificet potius quam unitatem; ita qua parte unitatem ſignificat, eam ſignificare debet voce quæ identitatem potius ſignificet, quam Trinitatem: porro vox *in nomine*, ter repetita, non magis unum nomen ſignificat quam trinum.

Nec nocet quod valeat Baptiſma datum, *in nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus S.* quia in iſto naturæ divinæ unitas ſatis exprimitur, per ly *in nomine* numero ſingulari ſemel prolatum. Parum autem obeſt formæ vel a Severo Alexandrino præſcripta, vel forte obſervata a Neſtorianis. Hi enim ut in aliis pluribus, ſic & in præſenti errare potuerunt: unde qui eas in partes mittuntur Miſſionarii, ſedulo praxim hanc inveſtire debent, & quos ad Eccleſiæ Romanæ gremium reduxerint, ſi ſic baptizati fuere, ſub conditione denuo baptizare.

Suſpecta etiam videri debet hæc, quæ tamen Comitolo non diſplicuit, *Comit.* Baptiſmi formula, ab Itala quadam domi puerum tingente uſurpata: *L. 1. q. 9.*

Bapti-

Baptizo te cum Patre, & Filio, &c. quia hic vel male vel nullatenus exprimitur naturę divinæ unitas. Ita Henricus a S. Ignatio.

Verba hęc, *lavo, abluo, intingo*, voci, *Baptizo*, ſynonyma eſse contendunt plerique Theologi. Unde, ait Tournely p. 103. deſerendus Innocentius IV. qui ſcribens in cap. 1. *De Baptiſmo*, ait nullum fore Baptiſmum, ſi quis diceret, *Ego Petrus*, vel *Ego Sacerdos te tingo*, aut *abluo*, aut *balneo*, aut *mergo*. Sunt tamen qui Tournelyum lubentius hic deſerant quam Innocentium circa verba *mergo*, aut *balneo*, pręſertim cum Baptiſmus datur per infuſionem. An enim vere ſatis dixerim mergi aut balneari a me infantem, cujus caput ſolum fluentibus quidem ſed paucis aquę guttis aſpergo? Ita Silvius eod. art. 5. concl. 2. ubi vel ipſas voces, *lavo, abluo, intingo*, quas alibi cum torrente Theologorum ſufficere docuimus, ad minus pro dubiis habere videtur; unde concludas nihil hic innovandum.

Supra p. 155.

ARTICULUS TERTIUS.

De forma Græcorum.

EX dictis colligi facile poteſt validam & legitimam eſſe formam qua jampridem utuntur Occidentales; quia totam Chriſti inſtitutionem ſervat: unde quod Schiſmatici quidam Græci, eos qui a Latinis baptizati fuerant, rebaptizare auſi ſint, prout traditur in Concilio Lateranenſi IV. cap. 4. vel ſummæ aſcribendum imperitiæ, vel capitali odio, quo jampridem Romanam Eccleſiam proſequuntur. Jam quæritur quæ, quam antiqua, & an ſana ſit Græcorum forma. Rem paucis expediemus.

Conclusio I. Græcorum forma non deprecativa eſt aut imperativa, *Baptizetur*, ſed indicativa, *Baptizatur ſervus Dei N. in nomine Patris*, &c.

Prob. 1. quia Leo X. in Conſtitutione *Accepimus nuper*, data 18. Maji 1521. teſtatur morem baptizandi Græcorum a Florentino Concilio approbatum, hunc eſſe, *Baptizatur*, &c. 2. quia idem tradit Clemens VII. in Brevi die 26. Maji an. 1526. quo confirmat prædictam Leonis Conſtitutionem, quam, inquit, *in Secretaria noſtra diligenter inſpici & examinari fecimus*, atque *de verbo ad verbum tranſcribi*; 3. quia Joannes Moſchus, in Prato ſpirituali cap. 176. narrat Judæum de quo ſupra diximus, in arena ſub his verbis (circa an. 630.) baptizatum fuiſſe: *Baptizatur Theodorus in nomine Patris*, &c. 4. quia non aliam legere eſt formam ſeu in Arcudio Græcorum rituum peritiſſimo, ſeu in veteribus aut novis Græcorum Euchologiis, quæ edidit P. Goarius.

Ex quibus colligit poſt Farvacium Henricus a S. Ignat. hic n. 60. in Florentina Armenorum inſtitutione non eſſe legendum, *Baptizetur*, ſed *Baptizatur*. Exiſtimavit quidem S. Thomas Græcos uti voce, *Baptizetur*, idemque ſenſerunt Theologi complures: at non mirum quod Gręcorum ritus diu Latinos fugerit. Sunt utique facta hæc ex eorum numero in quibus & Sancti, & ipſi ſummi Pontifices labi facile poſſint.

Conclusio II. Perantiqua eſt, quæ a Græcis adhibetur Baptiſmi formula.

Prob.

Digitized by Google

Prob. Formula quæ jam ab ipſis S. Chryſoſtomi temporibus in uſu fuiſſe videtur, quam tradunt Auctores ſexti ſæculi, quam conceptis verbis referunt Euchologia ante annos plus mille conſcripta, magnæ antiquitatis eſſe debet: atqui formula Græcorum 1. videtur in uſu fuiſſe jam ab ipſis S. Chryſoſtomi temporibus, ideſt labente ſæculo IV. ſic enim ſcribit S. Doctor Hom. 1. in Act. Apoſt. *Non dixit* Chriſtus, *Ego vos baptizo Spiritu ſancto*, *ſed baptizabimini*, *nos docens ut modeſte de nobis ſentiamus*; 2. eamdem exhibet Joannes Moſchus Auctor ſæculi ſexti, 3. hanc repræſentant omnia Græcorum Euchologia, &c.

Incertum tamen an forma hac ab initio uſi ſint Græci; hanc enim expreſſe formam tradit S. Gregorius Nazianz. Orat. 40. verſus finem: *Baptizo te docens in nomine Patris*, &c. niſi factum dicatur ut iſtam alii e Græcis, illam alii ſequerentur.

Quæres quorſum Græci in ea qua utuntur forma perſonam Miniſtri non exprimant.

Reſp. id factum 1. quia exiſtimarunt iſtud ſapere magis chriſtianam modeſtiam, prout indicat citatus mox Chryſoſtomi locus: & hæc ratio parum urget, quia qui in ſolo alterius nomine baptizat, merum ſe ejus inſtrumentum profitetur; 2. quia miſera æmulatio qua vexati Corinthiorum alii dicebant, *Ego ſum Cephæ*, alii, *Ego ſum Apollo*, Græciam pervaſerat, imo & Africam: huic autem ut patrio morbo occurrerent Orientales, Miniſtri perſonam quaſi ſepoſuerunt. Quod in Occidente, unde eadem ægritudo exulabat, fieri neceſſe non fuit. Sic olim propter Judaizantes aliquos vetuit S. Ignatius Martyr, ne quis Sabbato jejunaret extra ſanctiorem hebdomadam; eoſque qui ſecus agerent Chriſtum denuo cruci affigere docuit; nec tamen inde quis colligere poteſt Latinos Chriſtum crucifigere. De his late & erudite diſſerentem vide Arcudium Lib. 1. cap. 8.

CONCLUSIO III. Valet citata Baptiſmi forma.

Prob. 1. quia Latini nullam unquam ea ſuper re litem movere Græcis; 2. quia Eugenius IV. in Inſtructione Armenis data, poſt approbatam Latinorum formam ſic pergit: *Non tamen negamus*, *quin & per illa verba*: *Baptizetur* (ſeu ut legendum diximus, *Baptizatur*) *talis ſervus Chriſti in nomine Patris*, &c. *vel Baptizatur manibus meis talis in nomine Patris*, &c. *verum perficiatur Baptiſma*; 3. quia cum ſummus ille Pontifex de quo loquitur Albertus Magnus in 4. diſt. 3. q. 2. in id propendiſſet ut denuo baptizarentur Dalmatæ quidam, qui licet Romanæ Eccleſiæ ſubditi a Græcis Græca forma baptizati erant; re tamen ponderata maturius eoſdem rebaptizari prohibuit.

Prob. 2. valet forma cui nihil eſſentiale deeſt: atqui.. Ei ſiquidem formæ nihil eſſentiale deeſt, quæ exprimit externam Miniſtri actionem, ablutionem ſcilicet, & præcipuam interioris Baptiſmi cauſam, nempe Trinitatem diſtincte deſignat: atqui Græcorum forma utrumque facit; ergo.

Dices: Ad valorem Baptiſmi neceſſum eſt ut exprimatur perſona Miniſtri: atqui hæc non exprimitur in forma Græcorum. Major patet ex cap. 1. *De Baptiſmo*, ubi Alexander III. declarat non fieri Baptiſmum, niſi quis dicat, *Ego te baptizo*. Minor non minus aperta eſt: cum enim Græci ſua utantur formula, ne Baptiſmum ſibi attribuere videantur, conſtat

 eos

eos ne implicite quidem perſonam complecti voce, *Baptizatur*. Si enim, ut aliqui volunt, ſupplendum eſſet, *a me*, vel *manibus meis*, jam ſuum hunc modeſtiæ & humilitatis ſcopum non aſſequerentur.

Reſp. ad 1. neg. maj. cum Suare diſp. 21. ſect. 2. nam requiritur quidem ut actus baptizandi explicite declaretur in forma: verum haud opus eſt ut ipſa Miniſtri perſona exprimatur.

Nec nocet Alexandri III. Decretum; quia, ut notant poſt Gloſſam Doctores, voluit ſolum ille Pontifex ut nihil duceretur Baptiſma non expreſſo Miniſtri actu collatum; quod ut oſtenderet, Latinorum forma, quia apud Romanos communi, uſus eſt, non quia quoad expreſſionem perſonæ omnino neceſſaria.

Ceterum dici poſſit Miniſtri perſonam implicite contineri in Græcorum formula: utique enim continetur in iſta phraſi, *Baptizatur N. manibus meis*, quam a quibuſdam Græcis admiſſam eſſe liquet ex Eugenii IV. Decreto: atqui vix quiſquam credat Græcos formis adeo diſparibus uſos eſſe, ut ab alia Miniſtri perſona prorſus excludi vellent, ab alia minime; ergo. Et vero Græci dum veſtes induunt albas, ajunt: *Induitur ſervus Dei*; prout ibidem notat Arcudius; hic porro, *induitur*, idem eſt ac *induo me*.

Stat tamen eos utcumque obviam ire ſchiſmati olim ſuborto apud Corinthios: quia tam obſcure Miniſtrum indicant, ut vix a plebeis, qui ſoli adeo hebetes eſſe poſſunt, ut de Baptiſmorum præeminentia contendant, intelligantur.

Pag. 127. Utra alteri forma præferenda ſit, expendit Suarez ibid. & Græcæ præfert Latinam; tum quia hæc magis conſentanea eſt his Chriſti verbis, *Baptizantes eos*, quod fatetur Arcudius; tum quia melius exprimit Baptiſmi cauſas, & ipſum baptizandi actum ut actualiter exercitum.

CAPUT QUINTUM.

De Miniſtro Baptiſmi.

Ut quæſtio iſta, quæ non modicum habet difficultatis, ſecundum ſe totam expendatur.

Not. 1. Baptiſmum adminiſtrari poſſe vel ſolemniter, puta certo anni tempore, aut cum certis quibuſdam ritibus, qui ad Sacramenti ſubſtantiam neceſſarii non ſint; vel privatim, ita ut tunc ea ſolum ponantur aut poni debeant, quorum defectu corrueret Baptiſmi ſubſtantia.

Not. 2. duplicem diſtingui Baptiſmatis Miniſtrum, alium ſolemnitatis; alium neceſſitatis. Poſterior ille eſt qui nonniſi in defectum alterius ad hoc deputati baptizat, & inter baptizandum ea ſolum adhibere debet, quæ ad validitatem Baptiſmi requiruntur: prior vero is eſt cui, utpote ad id muneris deputato, ritus omnes ab Eccleſia in Baptiſmate uſurpari conſuetos adhibere competit: & id quidem vel cuipiam competere poteſt abſolute & ſine ulla ab alio dependentia, vel nonniſi dependenter a voluntate Superioris.

Not. 3. Sacramentum quodlibet vel valide ſimul & licite adminiſtrari, cum nempe in collatione ejus concurrit quidquid ſeu ad ſubſtantiam

ſeu

Google

ſeu ad modum actionis neceſſarium eſt; vel valide & illicite, cum etſi nihil ex parte ſubſtantiæ deſit, deeſt tamen aliquid ex parte modi; ut ſi quis vel in peccato conſtitutus Sacramentum adminiſtret; vel illud cum iis ſolemnitatibus conferat, quarum uſus Superiori reſervatus ſit.

Jam quæritur quis ſeu ſolemnis, ſeu privati Baptiſmi Miniſter ſit: qua de re extremæ fuerunt hodieque ſunt heterodoxorum opiniones: 1. enim fuere, qui admiſſis in Sacerdotii partem mulieribus, eaſdem Baptiſmi etiam ſolemnis adminiſtratrices conſtituerint: ita Marcion, qui, teſte Epiphanio hæreſi 42. n. 4. *Mulierculis baptizandi poteſtatem facit*; ita & Collyridiani, ut patet ex toto ejuſdem Epiphanii diſcurſu ibid. hær. 79.

2. alii in oppoſitam partem enixius deflectentes, nec mulieribus nec laicorum ulli, ſed iis ſolum qui Eccleſiæ miniſterio deputati eſſent, permiſere ut in ipſo etiam extremæ neceſſitatis caſu quempiam baptizarent. Ita Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 20. an autem collatum iis in circumſtantiis a Laico Baptiſma nullum reputari debeat, an illicitum duntaxat, non convenit inter Novatores. Pro validitate certant Witachetus Controverſia de Bapt. q 3. c. 1. Georgius Abbas Anglus, apud Voſſium; & teſte Caſebauno in Reſponſ. ad Epiſt. Card. Baronii, Eccleſia vel potius Synagoga Anglicana. Pro nullitate contendunt Beza, qui q. 144. de Sacramentis, Baptiſmum a ſatana in Miniſtrum publicum tranſverſo præponit Baptiſmati a Laicis adminiſtrato. Wollebius Baſileenſis Profeſſor, qui in Compendio Theologiæ Chriſtianæ Lib. 1. c. 23. n. 4. ſic loquitur: *Baptiſmum a privato aut muliere adminiſtratum (ut fit in Papatu) ratum non habemus*. Idem de Baptiſmate a Gentilibus dato tuetur Voſſius diſp 10. de Bapt. theſi 12. ad hos, teſte Arcudio Lib 1. de Bapt. cap. 11. accedunt per *totam ferme Græciam, Ruſſiam & Moſcoviam* Græcanici ritus ſectatores, qui, *abſente Presbytero permittere malunt ut infantes ſine Baptiſmo e vita decedant, quam eos ſalutari lavacro abluere; quod exiſtiment ſibi laicis ne in neceſſitate quidem licere hoc munere fungi.*

3. & id quoque olim in diſputationem vocatum eſt an valeret Baptiſma ſeu ab Hæreticis, ſeu ab iis etiam qui baptizati non eſſent, adminiſtratum. Ut a prædictis, quæ per exceſſum & defectum pugnant, errorem portentis æquo pede recedamus, ſit

CONCLUSIO I. Omnis viator homo, ſeu vir, ſeu mulier, fidelis aut infidelis, baptizatus vel non baptizatus, in caſu neceſſitatis poteſt licite baptizare.

Prob. 1. pars de laicis hominibus: 1. quia Ananias Paulum baptizavit Act. 9. atqui probabiliſſimum eſt Ananiam merum fuiſſe laicum; tum quia ita docent Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ, demonſtrante Beveregio, magnæ ſunt antiquitatis; tum quia baptizatus eſt Paulus anno a Chriſti paſſione primo: porro Calviniſtæ, qui omnia ex Scripturis probant, nuſquam probabunt illos hactenus, ordinatos fuiſſe Epiſcopos vel Sacerdotes præter Apoſtolos; aut Diaconos præter ſeptem; ergo. Ita ferme Bellarminus Lib. 1. de Bapt. cap. 7.

Reponit Wendelinus 1. laicum dici non poſſe, qui a Deo vocatus fuerit ad ſacrum Baptiſmi conferendi munus; 2. ex Ananiæ facto ſecuturum, quod negamus, laicos extra neceſſitatis caſum baptizare debere. Verum hæc parum obſtant.

X 2 Non

Non 1. quia is ſolum extra laici ſtatum conſtituitur, qui juxta receptum Eccleſiæ morem initiatur Ordinibus, prout ſuo loco demonſtrabitur.

Non 2. 1. quia urgebat juſſio divina, atque e re chriſtiana erat ut continuo baptizaretur Paulus, cujus converſio quo celerius Damaſci quaſi in theatro proditura erat, eo plus ſtuporis hoſtibus nominis Chriſtiani erat paritura; 2. quia ipſa multiplicandi fidelium gregis neceſſitas, videtur tunc fuiſse ratio permittendi, ut facilius conferretur Baptiſma ab iis qui Sacerdotes non eſsent. Sic, ordinante Deo, baptizavit Philippus Diaconus Eunuchum, qui facile ab Apoſtolo quopiam baptizari potuiſset. Sic probabiliſſimum eſt tria hominum millia, qui uno in die baptizati ſunt ante Diaconorum electionem, non ſolum ab Apoſtolis, ſed & a fidelibus laicis tinctos fuiſse; 3. quia æquum fuit ut Spiritus ſanctus qui futuras Calvinianorum novitates prævidebat, eaſdem multiplici facto jam ab initio Eccleſiæ, ob ſummam rei gravitatem confutaret. Atque hinc forte S. Petrus, qui Cornelium ejuſque familiam per ſe haud difficulter baptizare potuiſset, juſſit eos baptizari,
Act. 10. v. 48. utique per *fratres* qui ſecum venerant, & quos vel Apoſtolos, vel ſaltem Diaconos fuiſse probari nequit.

Prob. 2. ex Patribus: Tertullianus Lib. de Bapt. cap. 17. *Dandi*, inquit, Baptiſmi *jus habet ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus; dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt: alioquin etiam laicis jus eſt* ∴ unde *reus erit* laicus *perditi hominis, ſi ſuperſederit præſtare quod libere potuit*. Quo in textu non tantum ineſt laicis baptizandi potentia, ſed &, urgente periculo, neceſſitas incumbere declaratur.

Idipſum docet S. Hieronymus Dial. adverſus Luciferianos: *Si*, inquit, *neceſſitas cogit, ſcimus etiam licere Laicis baptizare: ut enim accipit quis, & dare poteſt*. Concinit Auguſtinus Lib. 2. contra Epiſt. Parmeniani cap. 13. his verbis: Laicus *nulla neceſſitate cogente ſi* baptizet, *alieni muneris uſurpatio eſt, ſi autem neceſſitas urgeat, aut nullum aut veniale peccatum eſt. Sed etſi nulla neceſſitate uſurpetur, & a quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non poteſt dici non datum, quamvis recte dici poſſit illicite datum*.

Nec nocet diſjunctiva hæc quam objicit Calvinus, *nullum aut veniale peccatum*: hæc enim verba, ut bene notat ibid. Bellarminus, *ſignificant peccatum eſſe veniale, cum laici non adhibent omnem diligentiam ut Sacerdotem inveniant, qui baptizet; nullum autem eſſe peccatum, cum adhibita diligentia, & Sacerdote minime invento ipſi baptizant*. Unde, ut bene notat idem Cardinalis, quod addit ibid. Auguſtinus, neſcire ſe *an pie quiſquam dixerit Baptiſmum* hunc *eſſe repetendum*, non eſt vox dubitantis, ſed per oratoriam phraſim aſserentis nonniſi impie poſse dici hujuſmodi Baptiſmum eſse repetendum. Et vero quis firmam aſsertionem non deprehendet in his verbis: *A quolibet* ∴ *datum fuerit, non poteſt dici non datum*. Hinc illud ejuſdem Patris Lib. 7. de Bapt. c. 53. *Non dubitarem habere eos Baptiſmum, qui ubicumque & a quibuſcumque illud verbis Evangelicis conſecratum ſine ſua ſimulatione & cum aliqua fide ſuſcepiſſent*. Haud profecto dubitanter loquitur, qui ſe aſserit non dubitare.

Prob. 2. pars de mulieribus, 1. ex triplici quem mox citavimus Pa-

Patrum textu. Qui enim indiſtinctè docent valere Baptiſmum a laicis datum, ii, niſi feminas, quæ ſub hominum nomine ſeu in Scriptura ſeu in Traditione intelligi ſolent, diſerte excludant, comprehendiſſe cenſentur: atqui laudati Patres indiſtinctè docent valere Baptiſmum a laicis datum, nec ullibi excludunt feminas, ſed potius includunt diſerte: cum Baptiſmum *ubicumque & a quibuſcumque* datum valere pronuntient; ergo.

2. ex Romanis Pontificibus, Urbano II. & Eugenio IV. quorum prior in Epiſt. ad Vitalem Presbyterum ſic ſcribebat an. circiter 1094. *Videtur nobis reſpondendum ut & Baptiſmus ſit, ſi inſtante neceſſitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit.* Poſterior ſic habet in Decreto ad Armenos: *In cauſa neceſſitatis non ſolum Sacerdos & Diaconus, ſed etiam laicus vel mulier, imo etiam paganus & hæreticus baptizare poteſt, dummodo formam ſervet Eccleſiæ, & facere intendat quod facit Eccleſia.* *Apud Gratian. c.4. xxx q. 1.*

3. poſſunt mulieres id quod ſibi nulla lege interdictum eſt: atqui ∴ Non lege naturali; neque enim intrinſece malum eſt aut indecens, quod mulier infantem aliquando tingat; ſicut nec indecens fuit quod Sephora filium ſuum circumciderit. Non lege divina: hæc enim lex citari nequit. Non lege Eccleſiaſtica: cum ex ea potius inferatur contrarium.

Prob. 3. pars de infidelibus. Infidelium, ſeu eorum qui fide carent, alii baptizati ſunt, ſed hæreſim profitentur, ut Calviniſtæ; alii nec baptizati ſunt, nec proprie hæretici, ut Pagani complures: atqui valet Baptiſma ab utrislibet collatum: 1. quidem valet ſi collatum ſit ab hæreticis, ut fuſe contra S. Cypriani mentem probavimus Tractatu præcedenti; 2. valet & a ceteris infidelibus collatum; etſi nonnunquam id in dubium vocavit Auguſtinus: 1. enim id aperte docet S. Leo paucis poſt Auguſtini obitum annis * Sic ille Epiſt. 90. alias 92. ad Ruſticum Narbonenſem, quæ refertur c. 38. *De conſec.* diſt. 4. *Hi ∴ qui ſe baptizatos ſciunt, ſed cujus fidei fuerint qui eos baptizavere, ſe neſcire profitentur, quolibet modo formam Baptiſmatis acceperint, rebaptizandi non ſunt.* Idem an. 866. edocuit Nicolaus I. in Reſp. ad Conſulta Bulgarorum apud Gratian. ibid. c. 24. ubi ſic: *A quodam Judæo, neſcitis utrum Chriſtiano, an Pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de iis ſit agendum conſulitis. Hi profecto, ſi in nomine ſanctæ Trinitatis ∴ baptizati ſunt ∴ conſtat eos non eſſe denuo baptizandos.* Idipſum tradidere tum Concilium Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. ubi definitur, *Sacramentum Baptiſmi a quocumque rite collatum proficere ad ſalutem;* tum Eugenius IV. in citato mox Decreto: atqui hæc Romanorum Pontificum Decreta non privatæ, ſed totius, atque adeo etiam Orientalis Eccleſiæ doctrinam exhibent. Siquidem a Photii temporibus magis magiſque inquiſierunt Græci occaſiones recedendi ab Eccleſia Romana; & mordaci dente, quidquid in ea ſibi ſaperet minus, imo multa quæ ne ſpeciem quidem haberent mali, avide carpſerunt: atqui tamen iidem Græci nihil unquam hac in parte objecerunt Latinis, ſeu dum ferveret diſcordiarum æſtus, ſeu dum pax reſarciretur in Conciliis Generalibus Conſtantinopolitano IV. Lugdunenſi II. & Florentino; ergo. ** Anni 443.*

Prob. 4. pars de non baptizatis, tum ex iis quæ modo dicta ſunt de poſtrema infidelium ſpecie; tum ex Concilio Compendienſi an. 757. ubi hæc

leguntur Can. 9. *Si quis baptizatus eſt a Presbytero non baptizato, & ſancta Trinitas in ipſo Baptiſmo invocata fuerit, baptizatus eſt.*

Plures non congeram textus, cum fateatur Calvinus Lib. 4. Inſtit. cap. 15. ſibi adverſari Traditionem, & *multis abhinc ſeculis, adeoque ab ipſo fere Eccleſiæ exordio uſu receptum, ut in periculo mortis Laici baptizent.* Bene quidem, ſi dematur vox *fere*, quæ ſubinſinuat factam aliquando in puncto præſenti innovationem, cujus ſane epocham nuſquam aſſignabit Calvinus.

Hic q. 67. a. 3. Confirmatur tota Concluſio iſthoc S. Thomæ diſcurſu: *Inter omnia Sacramenta maximæ neceſſitatis eſt Baptiſmus, qui eſt regeneratio hominis in vitam ſpiritualem: quia pueris aliter omnino ſubveniri non poteſt, & adulti non poſſunt aliter, quam per Baptiſmum plenam remiſſionem conſequi, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam:* adde, nec poſſe eos aliter jus habere ad alia Sacramenta: *& ideo ut homo circa remedium tam neceſſarium defectum pati non poſſit, inſtitutum eſt* a Chriſto, *ut & materia Baptiſmi ſit communis, ſcilicet aqua, quæ a quolibet de facili haberi poteſt, & miniſter Baptiſmi etiam ſit* in neceſſitatis caſu, *quicumque non ordinatus, ne propter defectum Baptiſmi homo ſalutis ſuæ diſpendium patiatur.* Huic quidem incommodo occurrerunt Novatores infantibus Cœlum citra Baptiſmi opem referando: ſed quam irrito id moliti ſint conatu, planum fiet ex dicendis.

Objic. 1. Ii ſoli baptizare poſſunt, quibus baptizandi licentiam conceſſit Chriſtus: atqui Chriſtus nec laicis viris nec mulieribus licentiam fecit baptizandi. Iis quippe ſolis poteſtatem baptizandi conceſſit, quibus dixit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos:* atqui id ſolum dixit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, non laicis, &c.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. conſtat enim ex Scriptura Philippum baptizaſſe; & is tamen nec Apoſtolus erat, nec Sacerdos, ſed ſolum Diaconus. Conſtat iterum Apoſtolos prius baptizaſſe, quam vel Epiſcopi vel Presbyteri forent. Unde non dixit quidem Chriſtus Matth. ult. laicis ut baptizarent; ſed jam antea viris adhuc laicis præceperat ut baptizarent Vide ſupra cap. 2. art. 2. concl. 2.

Inſt. cum Wendelino; Quibus permiſſum non eſt publice docere in Eccleſia, iis nec permiſſum eſt baptizare: atqui laicis, præſertim vero mulieribus permiſſum non eſt docere in Eccleſia. Minor conſtat ex Paulo I. Cor. 14. v. 34. & I. Timot. 2. v. 11 Major non minus certa eſt, quia publice docere & Sacramenta adminiſtrare pertinet ad idem officium.

Reſp. diſt. maj. quibus permiſſum non eſt publice docere, iis permiſſum non eſt baptizare publice, ſolemniter, & quaſi paſſim ad id munus deputati ſint ex officio, C. iis non eſt permiſſum baptizare in caſu neceſſitatis, N. Non enim magis in hoc caſu baptizare prohibentur, quam in pari caſu prohibeantur docere: atqui nullibi prohibentur laici aut mulieres docere in caſu neceſſitatis; ſed e contra: cum iis, ſicut & ceteris mandaverit Deus de proximo ſuo.

Inſt. 2. Si laici & mulieres privatim baptizare poſſint, & id publice poterunt: atqui falſum conſequens. Minor eſt ex conceſſis: prob. maj. Qui plus poteſt, poteſt & minus: atqui plus eſt baptizare ſimpliciter, quam

cum

Digitized by Google

cum ſolemnitate. Primum enim pertinet ad jus divinum; ſecundum autem ad ritus qui non ſunt niſi juris Eccleſiaſtici.

Reſp. ad 1. neg. maj. ad 2. data majore, quæ plerumque falſa eſt, neg. min. Baptiſmus enim ſolemnis & Baptiſmum ſimplicem totum importat, & ſacros ritus, quos Eccleſia nonniſi a Miniſtris ad id deputatis peragi voluit.

Objic. 2. Joannes Moſchus cap. 176. Prati ſpiritualis, refert laicos Judæo in itinere Baptiſmum petenti reſpondiſſe, *Nobis non licet hoc facere; ſæculares enim ſumus*. Auguſtinus vero Ep. 226. alias 180. ut Paſtores ab ineunda, tempore Vandalicæ perſecutionis, fuga deterreat, exponit luctuoſam Gregis ſortem, qui Sacerdote abſente non habet a quo regeneretur fonte baptiſmatis, aut pœnitentia reconcilietur: atqui hæc abſurde dicta eſſent, ſi laicis permiſſum eſset Baptiſma.

Reſp. ad 1. laicos illos ex ignorantia reſponſum iſtud dediſse.

Reſp. ad 2. neg. min. etſi enim multo plus poſſint laici circa Baptiſmum, quam circa Pœnitentiam, merito tamen fugitivos Paſtores vel ex ipſo Baptiſmi capite redarguit Auguſtinus; tum quia ubi deſunt Paſtores, Baptiſma cum ſolitis cæremoniis conferri nequit, quod grande malum eſt; tum quia, cum Auguſtini ævo paſſim baptizarentur adulti, periculum erat ne eorum plures ſine Baptiſmo decederent, aut temere tingerentur, aut fortaſſis invalide; quia vel forma ab imperita plebe neſciri poterat, vel ii præ ſcrupulo rejici poterant, quos Paſtor dignos judicaſset, aut feciſset; vel ii demum differri quos ſagacior Miniſter credidiſset admittendos.

Objic. 3. Aſsertio noſtra qua parte non baptizatos & mulieres ſpectat, præcipue innititur definitionibus Nicolai I. Concilii Lateranenſis & Florentini: atqui emiſsæ ab iis definitiones ut minimum temerariæ ſunt. Scilicet enim temeraria eſt definitio quæcumque nullum habens in Scriptura, vel Traditione fundamentum: atqui allatę definitiones, prout non baptizatos & feminas ſpectant, nec fundantur in Scriptura, ubi ne veſtigium quidem habent; nec in Traditione, ſed e contra.

Prob. min. de non baptizatis, 1. quia Tertullianus, Hieronymus & alii, ut Baptiſmum a laicis datum valere probent, hac utuntur ratione, quod *ex æquo dari poſſit, id quod ex æquo accipitur*: porro Pagani & ſimiles Baptiſmum non accepere; ergo nec dare poſsunt; 2. Cyprianus cum ſuis ſupponebat non valere collatum ab hęreticis Baptiſma, quia non valeret collatum a laicis, quales cenſebat eſse; vel fieri Presbyteros, qui vel in hęreſi ordinati eſsent, vel hęreſim amplexi: atqui Patres qui contra Cyprianum diſputavere, opinionem ejus de nullitate Baptiſmi a laicis dati ne tetigerunt quidem, ſed ſolum negarunt hęreticos Sacerdotes ad laicam conditionem reverti; ut patet ex Dialogo S. Hieronymi contra Luciferianos; ergo. 3. ſanxit Illiberitana Synodus Can. 38. *Cathecumenum in neceſſitate infirmitatis poſitum* baptizari *poſſe* per *fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, nec ſit bigamus*; ergo non credidit laicum Baptiſmi expertem baptizare poſse; 4. Auguſtinus nihil ea de re viderat audieratve; unde nec quidquam definire auſus eſt, ut patet ex citato ejus Lib. 2. adverſus Epiſtolam Parmeniani, cap. 13. 5. diu poſt Auguſtinum, id eſt an. 738. conſultus a Bonifacio Epiſcopo Gre-

Diſt. 4. De conſ. c. 52. gorius III. in hæc reſpondit verba: *Quos a Paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Trinitatis, mandamus*; 6. idem decreverunt tum Pœnitentiale Theodori Cantuarienſis cap. 2. tum Iſidorus circa an. 630. qui ſic loquitur apud Ivonem & Gratian. c. 59. 1. q. 1. *Si quis per ignorantiam ordinetur, antequam baptizetur, debent ab eo baptizati iterum baptizari*. His poſitis unum quęro, nempe qui fieri potuerit ut Nicolaus I. ſæculo 9. & Gregorius IV. ſæc. 15. validitatem Baptiſmi a non baptizatis dati in Traditione detexerint.

R. ad 1. neg. min. quæ plus quam temeraria eſt: cum deciſiones vel ab Eccleſia probatæ: vel a Generalibus Conciliis emiſſæ, nullam habere poſſint labem, ut alibi demonſtant Catholici Doctores. Utrum autem propoſito quæ Baptiſmi a Paganis dati validitatem aſtruit, præciſe ſumpta ſit de fide, Theologis expendendum relinquitur, ait Pariſienſis Doctor: ſufficit enim ad propoſitum, quod ſit certiſſima. Habert.

R. ad 2. neg. min. cujus falſitas vel ex ipſa Auguſtini dubitatione, quæ quarto loco objecta eſt, oſtendi valet. Conſtat enim 1. S. Doctorem, quo etiam tempore plus de præſenti materia patiebatur dubii, in validitatem Baptiſmi a non baptizatis dati propendiſſe, idque profecto ob graves quaſdam cauſas. Conſtat 2. eumdem exiſtimaſſe rem iſtam poſſe certo definiri *auctoritate tanti Concilii, quantum tantæ rei ſufficeret*. Ubi ſupra. Quid ergo mirum ſi Romana Eccleſia, quę propter ſuam cum ceteris mundi totius Eccleſiis conſuetudinem, longe ſecurius quid ubique terrarum obſervatum eſſet, aut obſervaretur, aſſequi poterat, quam vel Auguſtinus, vel privatus quivis Antiſtes, id tandem definierit, quod Auguſtinus dudum crediderat poſſe definiri, imo quod & ipſe demum definierat citatis ſupra verbis: *Non dubitarem?* Supra p. 324.

Nec opponas, Nicolaum I. quo Decreto ſanxit valere Baptiſma a Judæo collatum, ſanxiſſe ſimul valere & illud quod datum eſſet in nomine Chriſti. Inde enim firmatur aſſertio noſtra: certum enim eſt hanc Decreti ejus partem nec a ceteris Eccleſiis, nec a Romana ipſa Eccleſia fuiſſe confirmatam. Cur porro? niſi quia anceps nimium & æquivoca viſa eſt ea de re Traditio: ergo perinde recta eſſet pars altera, niſi Eccleſiæ omnes eam ſenſui ſuo, ſuæque praxi conſentaneam judicaſſent. Ceterum etſi movet nos, ut par eſt, Nicolai I. Decretum, movent multo plus Lateranenſis & Florentini Concilii Decreta. Jam ut obiter ſolvamus ſingula, quæ in probationem ſecundæ minoris congeſta ſunt,

R. ad 1. diſt. maj. Tertullianus & alii quidam hac utuntur ratione, *quod ex æquo accipitur*, &c. nec loquuntur excluſive, C. ſecus, N. Quemadmodum enim qui dicit: *Sacerdos occurrens homini lethaliter percuſſo, & pœnitenti, debet eumdem a cenſuris & peccatis abſolvere, quia Paſtor eſt*, non negat moribundum hunc ab alio quovis Sacerdote, qui Paſtor non ſit, eſſe abſolvendum; ita & in propoſito, qui dicit; *Laicus iſte baptizatus eſt; ergo & in caſu neceſſitatis baptizare debet*, non negat baptizare poſſe eum etiam qui baptizatus non fuerit. Quin & bene expenſa Tertulliani propoſitio alium plene ſenſum indicabit: ſic enim ex ea diſcurrere licet; quod ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt: atqui Baptiſmus ab omnibus indiſcriminatim valide accipitur: ergo & ab omnibus indiſcriminatim valide accipi poteſt. Favet aperte hæc ejuſdem Tertulliani

liani conſecutio: *Proinde & Baptiſmus æque Dei conſenſu ab omnibus exerceri poteſt*. Si *ab omnibus*; ergo etiam a non baptizatis. Et vero aliter intellecta Tertulliani ratiocinatio malum habet ſenſum, qui viro perſpicaci ſine gravi cauſa affingi non debet. Quis enim hunc ferat diſcurſum? Hic Presbyter eſt ordinatus; ergo alium ordinare poteſt. Quis iſtum? Hic homo non eſt juſtus; ergo nec alium ope Sacramenti juſtum facere poteſt.

R. ad 2. neg. min. 1. quia aliud eſt propoſitionem aliquam non redarguere, quod ſæpe fit, ne novæ ſuboriantur ambages; aliud eam ſilentio ſuo comprobare, prout perperam ſupponit objectio; 2. quia Concilia quæ contra Cyprianum ejuſque ſequaces diſſeruere, ſtabiliendo nec fidem, nec probitatem in Baptiſmi miniſtris requiri, ſatis oſtendunt nihil eſſe cur non valeat Baptiſma a non baptizato collatum; 3. quia Auguſtinus, quo nemo plenius Cypriani ſyſtema concuſſit, & cujus pene ſolius Scripta contra Rebaptizantes ad nos devenere, non modo principium ejus non approbavit; ſed & in id propendit totus ut falſum illud opinaretur.

Nec nocet id quod objicitur ex Dialogo Hieronymi contra Luciferianos: neque enim hic ex propria ſed ex adverſariorum mente diſputat S. Doctor, eoſque illa argumenti ſpecie, quam ad *hominem* dicunt, hunc in modum exagitat: Rejicitis ordinationes ab Arianis factas, quia, juxta vos, ordinatus ab Ariano, ordinatus eſt a Gentili; ergo & Baptiſmum ab Arianis datum rejicere tenemini; quia juxta vos non valet Baptiſma a Gentili collatum: non rejicitis porro; ergo pugnantia loquimini.

At, inquies, loquitur Hieronymus ex propria mente, cum ibid. ait: *Novam rem aſſeris, ut Chriſtianus quiſquam factus ſit ab eo, qui non fuit Chriſtianus*: atqui hæc verba indicant non poſſe quemquam Chriſtianum fieri, ac proinde baptizari ab eo qui baptizatus non ſit; ergo.

R. neg. min. quia hic Chriſtianum fieri, non eſt baptizari ſimpliciter, ſed recipere fidem chriſtianam: porro impoſſibile eſt, ut, qui Arianis conſentiens, ab iiſdem ſe baptizari ſinit, chriſtianam fidem recipiat. Id vult Hieronymus, & nihil ultra; unde ſic pergit: *Accedens ad Arianos in qua fide baptizatus eſt? nempe in ea quam habebant Ariani*; ergo nec Chriſtianus dici poteſt, prout Chriſtianum eſſe, idem eſt ac fidem habere.

R. ad 3. Canon Illiberitanus, cum *docet fidelem, qui lavacrum ſuum integrum habet, poſſe baptizare neceſſitatis tempore, non negat infidelem id facere poſſe*; ſed cupit id fieri a fideli: adeo ut ſi plures adſint, qui baptizare valeant, baptizet fidelis præ infideli, & e fidelibus præferatur, qui vita & moribus dignior fuerit, qui nec ſubjacuerit pœnitentiæ publicæ, nec bigamiæ defectu laboret. Ita in hunc Canonem Mendoſa, & eruditus Aurelianenſium Præſul Albaſpinæus.

R. ad 4. patet ſolutio ex dictis.

R. ad 5. Gregorium III. præcepiſſe ut denuo baptizarentur, qui tincti fuerant a paganis, *vel quia* hi *formam non ſervaverant*, *vel etiam*, idque multo probabilius eſt, *quia intentionem non habuerant baptizandi*; aut legitimum erat dubitandi fundamentum an non ea caruiſſent. Qua etiam de cauſa idem Pontifex iterari jubet Baptiſmum *a Presbytero Jovi mactante* collatum. Et vero quis credat Sergium II. & Nicolaum I. S.Thom. 3.p.q.67. a.5.

ſe-

ſequenti poſt Gregorium III. ſæculo aliud definiiſſe, quam quod ab eodem Gregorio definitum eſſet.

Dixi, *multo probabilius*: tum quia qui mandat *denuo* baptizari in nomine Trinitatis, ſupponere videtur, jam in eo nomine baptizatum fuiſſe; tum quia non ignorabat Bonifacius nullum eſſe Baptiſma ſine invocato Trinitatis nomine datum; adeoque nec de hoc Gregorium interrogaſſet; tum quia jubet Pontifex iterari Baptiſma ab idololatra Presbytero collatum: is autem non ignorabat Eccleſiæ formam; atque ſi eam ex malitia vitiaſſet, facile id detectum eſſet ab aſtantibus; unde rurſus neceſſum non fuiſſet ut conſuleretur Gregorius III.

Reſp. ad 6. verba hæc *& omnes quos baptizavit*, vel interrogationem complecti, vel falſam alicujus opinionem, cui illico opponitur vera his verbis: *Sed Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi, licet Paganus ſit qui baptizat*. Et apertius Lib. 5. Capitularium c. 4. quod ex Concilio Compendienſi deſcriptum judicat Baluzius in notis ad Gratianum p. 487. *Si quis baptizatus eſt a Presbytero non baptizato, & ſancta Trinitas in ipſo Baptiſmo invocata fuit, baptizatus eſt, ſicut Sergius Papa dixit*: ubi idem Baluzius pro Sergio vult Stephanum legi.

Inſt. Probando alteram minoris partem, in qua de mulieribus agitur: Veteres quicumque feminas a ſacro miniſterio, proindeque & a Baptiſmi collatione excluſerunt; præcipue autem Tertullianus, & S. Epiphanius. Prior quidem Lib. de Bapt. cap. 17. ubi ſic: *Petulantia mulieris quæ uſurpavit docere, utique non etiam tingendi jus ſibi pariet: niſi ſi quæ nova beſtia evenerit ſimilis priſtinæ*, Quintillæ ſcilicet, *ut quemadmodum illa Baptiſmum auferebat, ita aliqua per ſe eum conferat*. Poſterior vero totus eſt ut contra Collyridianos feminas a Baptiſmi adminiſtratione procul arceat. Sic ille hær. 75. n. 3. Etſi Mariæ *tantus honor eſt habitus, ut gremio ſuo Dei Filium exciperet* ∴ nihilominus *ne baptizandi quidem poteſtas eſt illi facta: a Joanne baptizari voluit*.

Reſp. diſt. ant. Veteres excluſerunt feminas a ſacro miniſterio, ideſt a a miniſterio quod palam & ſolemniter in Eccleſia exerceretur, C. ideſt a ſacra quavis functione, quæ etiam privatim fieret & in caſu neceſſitatis, N. Nempe Veteres excluſerunt feminas a baptizandi functione, ſicut & a functione docendi: porro nemo unquam commentus eſt vetitum eſſe feminis, ne quempiam etiam in caſu neceſſitatis doceant ea quæ ad ſalutem ſpectant. Unde Act. 18. Aquila & Priſcilla uxor ejus, Judæo cuidam, Apollo nomine, *diligentius expoſuerunt viam Domini*.

Porro Tertullianum eas ſolum inſequi mulieres, quæ publice, & citra neceſſitatem ſibi jus baptizandi arrogarent, liquet ex Lib. de præſcript. cap. 41. ubi hæc loquitur: *Ipſæ mulieres hæreticæ, quam procaces! quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere*. Ubi de his evidenter agitur, quæ tota Sacerdotii jura uſurpabant; prout fiebat apud Pepuzianos, qui teſtibus Epiphanio hær. 49. & Auguſtino Lib. de hær. c. 27. *tantum* dabant *mulieribus principatum, ut Sacerdotio quoque apud eos honorarentur*.

Eadem eſt mens Epiphanii, ut invicte probant hæc, quæ præcedunt, ejus verba: *Si Sacerdotium mulieribus mandatum foret, aut Canonicum* *quid-*

quiddam præſtare in Eccleſia eis liceret, nulli potius quam Mariæ, illud in novo Teſtamento committi Sacerdoti officium debuit; cui tantus honor, &c. ut ſupra. Idem, nec efficaciter minus aſtruit hæc Epiphanii ratio: *Propterea nec loqui quidem in Eccleſia mulieri . . . . ſacræ Litteræ permittunt*. Ut vero iſtud erroris portentum ab Eccleſia Romana procul eſse demonſtremus, ſit

Conclusio II. Epiſcopus eſt ordinarius Baptiſmi Miniſter: eſt & Sacerdos, ſed cum ſubordinatione & dependentia ab Epiſcopo.

Prob. 1. pars: Ordinarius Sacramenti Miniſter ille dicitur, qui ſingulariter & ratione officii ſui ad idem Sacramentum adminiſtrandum deputatus eſt: atqui Epiſcopus .... Ad Epiſcopos enim eorumque ſucceſsores primario & ſingulariter a Chriſto dictum eſt: *Docete*, &c. *baptizantes eos*, &c. ergo.

Confirm. Quiſquis Baptiſmum recipit, in membrum Eccleſiæ, & ejus privilegiorum communionem admittitur: atqui aliquem aſcribere in membrum Communitatis alicujus, eique illius privilegia communicare, pertinet per ſe & primario ad Principem illius Communitatis, & Epiſcopus quilibet eſt Eccleſiæ Princeps in ſua Diœceſi; ergo per ſe & primo pertinet ad Epiſcopum quemlibet in ſua Diœceſi baptizare.

Prob. 2. pars: quia is etiam ordinarius Baptiſmi Miniſter dici poteſt, qui ex vi conſecrationis ſuæ habet, quod paſſim & ordinarie ad baptizandum deputari poſſit: atqui talis eſt ſimplex Presbyter. Min. prob. tum ex praxi Eccleſiæ, tum ex ejus Decretis, in quibus de Sacerdotibus quaſi ordinariis Baptiſmi Miniſtris agitur. Sic Lib. 3. Conſtit. vulgo Apoſtolicarum cap. 11. legitur ſimpliciter: *Neque reliquis Clericis poteſtatem baptizandi facimus* .·.· *niſi tantum Epiſcopis & Presbyteris, miniſtrantibus Diaconis*. Sic & Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Lucanię, & refertur diſt. 93. cap. 13. *Diaconus propriam conſtituimus ſervare menſuram* .·.· *nihil eorum ſuo miniſterio penitus applicare, quæ primis Ordinibus proprie decrevit antiquitas. Abſque Epiſcopo vel Presbytero baptizare non audeat; niſi prædictis fortaſſis Ordinibus longius conſtitutis neceſſitas extrema compellat*. Sic Iſidorus cap. 19. *De conſecrat.* diſt. 4. *Conſtat Baptiſma ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum*. Sic demum Eugenius IV. in Decreto: *Miniſter hujus Sacramenti eſt Sacerdos, cui ex officio competit baptizare*. Ne quis vero hic adęquate parem Sacerdotibus ac Epiſcopis baptizandi potentiam tribui opinetur.

Prob. 3. pars, 1. ex diſerto Tertulliani textu quem paulo ante adduximus; 2. ex ſancto Ignatio Epiſt. ad Smyrnęos, ubi ait *non eſſe licitum ſine Epiſcopo baptizare, vel agapen celebrare*; 3. ex S. Hieronymo, qui Dialog. adverſus Lucifer. hęc habet: *Inde venit ut ſine Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeat baptizandi*.

2. quia ſi Sacerdotes independenter ab Epiſcopo facultatem haberent baptizandi, jus illud ſibi non reſervaſſent priorum temporum Epiſcopi: atqui illud tamen uſque adeo, ſaltem pro ſolemnioribus diebus, ſibi reſervabant, ut vix iiſdem diebus, Sacerdotum quiſpiam Baptiſmum conferre auderet. Hinc Epheſini Clerici in Epiſt. ad Photium & Euſtatium directa, ut ibę Epiſcopi ſui reditum citius obtinerent, urgent potiſſimum proximitatem *ſancti diei Paſchatis*, *in quo*, inquiunt, *propter*

eos

Digitized by Google

eos qui digni ſunt ſancto Baptiſmate, opus eſt ejus præſentia. Hinc & S. Paulinus in vita S. Ambroſii, *Erat*, inquit, *in rebus divinis implendis fortiſſimus, in tantum ut quod ſolitus erat circa baptizandos implere, quinque poſtea Epiſcopi vix implerent*. Hinc demum, ut alios omittam plures, Hincmarus de Bellovacenſi Eccleſia, quam invaſerat Odoacer Laicus, *Quoti*, inquit Epiſt. 52. tunc temporis *ſine canonico Baptiſmo relicti fuerunt*! Quin & extat hodiedum Mediolani aliquod veteris hujus diſciplinæ veſtigium. Hic enim infantes ipſa ante Feſtum Paſchæ & Pentecoſtes hebdomada editi, ad præcipuam Urbis Eccleſiam deferuntur ſolemni ritu ab Epiſcopo baptizandi.

Fatendum tamen iis enim temporibus collatum fuiſſe a ſimplicibus Presbyteris Baptiſma, 1. iis qui longiori intervallo diſtarent a præcipuis urbibus, quæ Epiſcoporum ſedes eſſe conſueverant; prout indicat id S. Hieronymi ibid. *Non quidem abnuo hanc eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, ut ad eos, qui longe in minoribus urbibus per Presbyteros .·.· baptizati ſunt*, &c. 2. etiam præſente, ſed licentiam dante Epiſcopo, prout expreſſe tradit Palladius in vita S. Chryſoſtomi.

Objic. Sacerdos dum conſecratur, recipit ordinariam baptizandi poteſtatem; ergo non eſt cur eam deinceps recipiat ab Epiſcopo.

Reſp. diſt. ant. recipiat ordinariam poteſtatem, ideſt vi cujus aſſumi poſſit in ordinarium Baptiſmi etiam ſolemnis Miniſtrum, C. ideſt quam illico & pro nutu exercere poſſit, N. Sacerdos enim tantum ſe habet ut adjutor Principis: adjutor porro vocari debet, & ad ea deputari, quæ Princeps ab ipſo præſtanda judicaverit. Et vero Sacerdos dum conſecratur, recipit poteſtatem abſolvendi a peccatis; & hanc nihilominus, ne valide quidem exercere poteſt, niſi a Superiore approbatur.

Inſt. Epiſcopus Sacerdoti conferre non poteſt juriſdictionem, quam ipſe non habet: atqui Epiſcopus nullam habet in baptizandum juriſdictionem; cum nemo niſi ratione ſuſcepti jam Baptiſmatis Eccleſiæ ſubjiciatur; ergo.

Reſp. diſt. min. non habet juriſdictionem abſolutam; quia non poteſt invitum baptizare, C. non habet juriſdictionem conditionatam, N. Habet enim jus, ut qui intra territorii ſui limites baptizati volet, vel a ſe, vel ab eo ſolo quem deputaverit, baptizetur.

Idem ſervata proportione dicendum de Parocho: is enim ſtatim ut ab Epiſcopo approbatur tanquam hujus officii capax, ſufficientem accipit baptizandi licentiam, quæ jure communi adeo ſtabilis eſt, ut ea jam ſine juſta cauſa privari non poſſit. Quin & Parochus alium Sacerdotem ab Epiſcopo approbatum, ad id obeundum munus committere valet, & commiſſionem revocare pro arbitrio.

Ex dictis colliges 1. reum eſſe gravis peccati Sacerdotem, qui extra neceſſitatis caſum ſine juriſdictione vel commiſſione baptizat ſeu ſolemniter ſeu privatim; quia etiamſi vi conſecrationis etiam ſolemniter baptizare poſſit, id tamen ipſi gravibus de cauſis prohibitum eſt, puta ne turbetur pax & ordo: & id a paritate rationis colligi poteſt ex iis quæ an. 1123. ſanxit Caliſtus II. apud Gratian. XVI. q. 1. cap. 10. Quod autem de ſimplici Sacerdote diximus, idem quoque intelligendum de Parocho, qui alterius territorii infantem abſque proprii Paſtoris licentia

bapti-

Digitized by Google

baptizare præſumeret: eſſet enim iſtud quoque temeraria & gravis alienæ juriſdictionis invaſio. Neuter tamen cenſuræ ſubjaceret aut irregularitati, quia neutra hæc pœna contra delinquentes impoſita eſt de jure communi. Docet quidem Grandinus Monachos citra licentiam baptizantes ſubjacere excommunicationi latæ Clement. 1. *De privileg.* at ibi ne verbum quidem eſt de Baptiſmo & pœnæ non ſunt extendendæ. Plus tamen peccaret Monachus baptizando quam Sacerdos etiam alienus, ut colligit Henno ex cap. 1. XVI. q. 1.

Colliges 2. peccare etiam ſeu infantis parentes, ſeu adultos Catechumenos, qui cum ad proprium Paſtorem, ejuſve ſubſtitutum recurrere poſſint, extranei opera utuntur: quia & Eccleſiæ pacem turbant, & ab alio exigunt, quod citra gravem noxam ab ipſo præſentari nequit.

CONCLUSIO III. Diaconus eſt etiam ſolemnis Baptiſmi Miniſter, ſed extraordinarius.

Prob. Ille eſt ſolemnis Baptiſmi Miniſter, ſed extraordinarius tantum, qui ex Ordine ſuo habet, ut ad baptizandum ſolemniter deputari poſſit, at non paſſim, ſed in caſibus tantum extraordinariis: atqui Diaconus 1. deputari poteſt ad baptizandum, ut hinc patet, quod Philippus Simonem magum, & Eunuchum Candacis Reginæ, huncque *Act. 8. 13. & 38.* Deo evidenter approbante, baptizaverit; 2. deputari poteſt ad baptizandum ſolemniter; quia id indicant hæc quæ in Pontificali Romano habentur ab Epiſcopo ad futuros Diaconos verba: *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare;* ubi Diacono ſingularis erga Baptiſmum tribuitur poteſtas, quæ inferioribus Clericis non tribuitur. Et certe nemo dixerit hic ſolum concedi Diaconis, ut privatim in extremæ neceſſitatis caſu baptizare poſſint: cum poteſtas illa omnibus, etiam laicis, ex inſtitutione Chriſti competat; 3. demum Diaconus non paſſim, ſed in caſibus tantum extraordinariis ad baptizandum deputari poteſt. Si enim de via communi ad id muneris deſtinari poſſet, jam eſſet ſimplex Baptiſmi Miniſter, ſicut Sacerdos; & ut Evangelium canere ſine ſpeciali Epiſcopi vel Parochi licentia poteſt, ſic & ſine ſpeciali utriuſque licentia ſolemne Baptiſmum adminiſtrare poſſet: atqui Diaconus nec uſlibi dicitur ſimplex Baptiſmi Miniſter; *Supra* cum jus illud proprium eſſe Sacerdotis indicet Eugenius IV. in Decre- *pag 324.* to; & expreſſe vetet Gelaſius ubi ſupra, ne Diaconi *abſque Epiſcopo vel* *ibid.* *Sacerdote baptizare audeant* ergo.

Objiciuntur quatuor, 1. quod Patres aliqui, ut Tertullianus & Hieronymus Diaconos cum Presbyteris comparent in adminiſtratione Baptiſmi; 2. quod citata mox Romani Pontificalis verba ordinarium Baptiſmi non ſecus ac altaris Miniſtrum exhibeant; 3. quod Diaconi ſint de hierarchia, utpote quæ juxta Tridentinum Seſſ. 23. Can. 6. conſtet *ex Epiſcopis, Presbyteris & Miniſtris*: porro cum hierarchia ſit ſacer principatus, & qui principatum exercent, Sacramenta ſolemniter miniſtrare valeant, conſequens eſt id poſſe Diaconos circa Baptiſmum; 4. nihil habiturum Diaconum præ inferioribus Clericis; & hi enim ex diſpenſatione baptizare poſſunt ſolemniter, cum ſolemnitas illa ſit ſolum juris humani.

Reſp. ad 1. Diaconos a Patribus comparari cum Presbyteris quoad Baptiſma, in quantum utrique nonniſi dependenter ab Epiſcopo baptizare debeat,

debent, non autem quaſi utriſque ex æquo Baptiſmi miniſterium committi poſſit.

Reſp. ad 2. verba Pontificalis ſic intelligenda eſſe ut Eccleſiæ Romanę traditioni congruant: porro ſemper in Eccleſia Romana cautum eſt, ut Diaconi non baptizarent niſi in defectum Sacerdotis; eoſque qui ſuam hanc *menſuram* non ſervavere, ſerio redarguerunt Pontifices Romani, ut patet ex citato Gelaſii textu.

Reſp. ad 3. non eumdem iis omnibus ex quibus conſtat hierarchia in eſſe potentiæ gradum: unde licet cuncta ejus membra præemineant, & ſuo modo principentur, alia tamen aliis inferioribus ſunt: an porro mirum quod inferiora membra minus poſſint quam ſuperiora.

Reſp. ad 4. non leve Diaconos inter & inferiores Clericos eſſe diſcrimen: his enim ut baptizarent neceſſaria foret diſpenſatio Rom. Pontificis, quæ rariſſime, ſi unquam, conceditur; illis vero ſola Parochi deputatio ſufficit. Unde medii ſunt Diaconi inter Clericos inferiores, & ſimplices Presbyteros: Presbyteri enim paſſim & ſine cauſa a Parochis committi poſſunt; Diaconi ob cauſam ſed a ſolo Parocho; alii Clerici a ſolo Papa; & hi tunc precario ſolum agerent, non ex officio.

Ex his colliges 1. quod cum hodie non deſit Sacerdotum copia, peccet Parochus, qui, contra hodiernum Eccleſiæ morem, licentiam indulget baptizandi ſolemniter extra caſum non quidem extremæ, ſed veræ cujuſdam neceſſitatis. Cenſetur autem neceſſitas, cum ægrotat Parochus, nec ſuppetit Sacerdos alter, qui committi poſſit. Item cum multi ſunt qui egent Baptiſmo, nec ſine incommodo notabili differri poſſunt: aut cum Parochus, ſi ad Eccleſiam remotam baptizatum eat, magna quædam officii ſui munia prætermittere tenebitur. In his autem *Habert.* aliiſque ejuſdem generis caſibus, obtineri debet conſenſus Epiſcopi, ſi ad eum recurri poſſit.

Colliges 2. graviter peccare Diaconum, qui extra caſum neceſſitatis, nec ab Epiſcopo vel Parocho juſſus, ſolemniter Baptiſmum confert; quia alienum munus uſurpat. Qua etiam de cauſa ex communiori Theologorum ſententia irregularitatem incurrit. Negant id quidem aliqui, quia caput 1. *De Clerico non ordinato*, &c. cui irregularitas illa innititur, eum dumtaxat ferit, qui *baptizaverit, aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus;* quod, inquiunt, de Diacono dici nequit, cum ad baptizandum conſecretur. Quia tamen ambiguæ leges uſu & praxi explicantur; & aliunde ordinatus non eſt Diaconus ad baptizandum in caſu communi, haud reor a trito itinere eſſe recedendum.

Hæc deciſio videtur extendenda ad eum etiam Diaconum, cui collatum eſſet Beneficium Parochiale: quia Epiſcopus illud conferens, etſi ſupponi poteſt dediſſe jus concionandi, non tamen niſi poſitis ponendis jus baptizandi, quod multo plus eſt Sacerdotale.

Solvuntur dubia circa Miniſtrum Baptiſmi.

Quæres 1. an & quis inter Miniſtros Baptiſmi ſervandus ſit ordo in caſu neceſſitatis.

Reſp. ad 1. affirmat. quia æquum eſt, ut ille aliis præferatur, qui minus

nus diſtat ab eo quem Chriſtus ordinarium Baptiſmi Miniſtrum conſtituit. Unde

Reſp. ad 2. hunc ordinem ceteris paribus, ſervari debere, ut pręeat 1. Parochus, ſi adſit; 2. Sacerdos, 3. Diaconus, 4. Subdiaconus, 5. Clerici inferiores, 6. Laicus, 7. Femina, 8. Fidelis, aut a cenſuris liber, Infideli vel excommunicato. Ita ferme Catechiſmus Romanus, & S. Carolus Borrom. uterque ubi de Baptiſmo.

Dixi, *ceteris paribus*, quia prædictus ordo graves ob cauſas inverti debet: ſic obſtetrix ritum Baptiſmi bene edocta, anteponenda eſt imperito mari vel infideli, quin & Parocho, propter indecentiam, ſi infans necdum omnino editus ſit. Idem eſt de Diacono reſpectu Sacerdotis, ſi is vel ſimoniace prętium exigat pro Baptiſmo, vel juſte pręſumatur eum adminiſtraturus in ſtatu peccati, aut cenſurę, a qua abſolvi non ſatagat.

Porro ordo mox aſſignatus obligat ſub gravi & Subdiaconum pręſente Diacono, & Diaconum pręſente Sacerdote; quia ut Diaconus Sacerdoti, ſic & Subdiaconus Diacono gravem infert injuriam, cum jus Ordinis ipſius, ab ipſo Chriſto magis aut minus principaliter annexum uſurpat. Haud tamen, poſitis, ut nunc ſunt, rebus, graviter peccaret Sacerdos, qui pręſente Epiſcopo baptizaret aliquem, cujus neuter Paſtor foret; quia ut Epiſcopus ſic & Presbyter habet ex officio quod baptizare poſſit: imo ait S. Carolus ubi ſupra, *norit* Sacerdos *ſibi licere baptizare etiam præſente ſuo Epiſcopo.*

An vero graviter quoque peccet laicus homo vel obſtetrix, ſi pręſentibus Subdiaconis baptizet, controvertitur; negant alii, quia Subdiaconus nullum etiam inchoatum in ordinatione ſua recepit jus baptizandi; unde ei nonniſi levis infertur injuria ab iis qui coram & pręipſo baptizant. Aſſerunt alii, quia hęc agendi ratio graviter ſubvertit ordinem a natura ipſa conſtitutum, qui exigit ut longe dignior ceteris pręferatur. Hic ego dubium mortale admiſero, niſi excuſet bona fides, inſtantia caſus, &c.

Sed quid ſi Sacerdos ex futili quadam urbanitate jus ſuum cedat laico pręſenti, poteritne is baptizare? Non poterit, quia facultatis hujus acceptatio duo invehit mala, alterum quod Sacerdotali ordini injuriam faciat; alterum quod ad minus negativam erga Sacramentum irreverentiam complectatur.

Quęres 2. an liceat extra Eccleſiam baptizare, ubi nulla urget neceſſitas. *Clement.*

Reſp. negat. *Præſenti probibemus Edicto*, ait Viennenſe Concilium ſub *1.* De Clemente V. *ne quis de cetero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus,* Bapt. *ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc Fontes ſpecialiter deputati,* ac proinde non in ſacellis domeſticis, *aliquos, niſi Regum vel Principum liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi, audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, ut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, taliter per Epiſcopum ſuum caſtigetur, quod alii attentare ſimilia non præſumant.* Sunt qui Principum nomine eos omnes intelligant, quibus temporanea in alios juriſdictio competat. Sed abſurde prorſus. Ecquis ſimplicem pagi aut oppidi Toparcham Principis titulo, niſi frigidus adulator, ſalutare velit? Ceterum *V. infra* qui ſine expreſſa Epiſcopi licentia infantem baptizant domi, multis in *cap. ult*

Dioe-

Diœceſibus ſubjacent excommunicationi, ut probat Gibert Conſult. 10. de Baptiſmo: qua de re quiſque Diœceſis ſuæ Statuta conſulere debet.

Quæres 3. an ſi infans domi tingatur, adhibendæ ſint cæremoniæ baptiſmales.

Reſp. negat. ſi periculum ſit ne ob cæremoniarum moram ante moriatur infans quam tinctus fuerit. Si vero citra periculum adhiberi poſſint, & Baptiſmi Miniſter ſit Sacerdos, proprius aut alienus, Baptiſmus cum ſolitis cæremoniis adminiſtrari debet: quia ſolemnes ii ritus tantæ ſunt antiquitatis, tanti & momenti, ut nonniſi in caſu impotentiæ prætermitti debeant; neque ut adhibeantur, opus eſt Eccleſia, ut tradit Lamet v. *Bapteme*. Quin & in praxi caſu deberet Diaconus eaſdem adhibere cæremonias; quia ei tunc a jure conceſſum eſt ut baptizet: cui autem conceſſa eſt facultas baptizandi, ei & datur facultas id faciendi cum ritibus ſolitis, ſi Ordine competenti inſignitus fuerit; quia acceſſorium ſequitur principale ex Reg. 42. Juris in 6. ita poſt alios plures Henricus a S. Ignat. n. 115. addit Gibert ibid. Conſult. 19. licere Diacono qui Parocho abſente baptizat, & aquam & ſal benedicere: quod quia non parum habet difficultatis, iis ſemper, qui in hujuſmodi caſibus verſari poſſunt, auctor ero ut ab Epiſcopo generalem obtineant licentiam efficiendi quidquid opus erit ad ſolemnem Baptiſmi ritum.

Quæres 4. an Parochus aliquando propria auctoritate Baptiſmum infantis differre poſſit.

Reſp. affirmat. modo 1. nihil ſubſit periculi; 2. ſubſit legitima differendi ratio, puta ut juxta priſtinum Eccleſiæ morem infantes in Paſchæ vel Pentecoſtes pervigilio baptizentur; 3. & nihil in contrarium Diœceſana lege conſtitutum fuerit: hæc enim ſi v. g. vetet, ne ultra triduum differatur Baptiſmus infantis, graviter delinquet Parochus, ſi eumdem etiam intuitu pietatis ad quatriduum retardet. Vide Gibert ibid. Conſult. 12.

Quæres 5. an Parochus cui offertur baptizanda proles ex illegitimo concubitu nata, poſſit Baptiſmum negare, niſi mater genitorem revelet.

Reſp. negat. imo peccabit graviter obligando ad revelationem hanc; tum quia eſt id ad infamationem occulti ſtupratoris adigere; tum quia grave orietur ſcandalum, ſi idem, ut quandoque evenit, intelligatur eſſe prolis parens, qui matris frater, ne quid pejus dicam.

Quod ſi, addit Henricus a S. Ignat. n. 112. Parochus *ad id coegerit jubente Epiſcopo, non eſt arguendus: quia præſumere poteſt & debet Epiſcopo non deeſſe juſtam cauſam ad id jubendum, v. g. ad providendum de alimentis proli illegitimæ*, &c. *quam ob cauſam ipſe etiam ſæcularis Magiſtratus nonnunquam cogit matrem ad ejuſmodi manifeſtationem etiam ſub juramento. Quod tamen poſtremum non conſulerem, niſi aliunde adſit ſemiplena probatio; tum propter grande periculum perjurii; tum quia ſive in judicio ſæculari, ſive in Eccleſiaſtico integre ſtari non poteſt tali nominationi etiam juratæ, uti adverſus nonnullos judices demonſtrat Gobat*, &c.

Quæres 6. an teneatur obſtetrix formam & modum Baptiſmi callere.

Reſp. affirmat. idque tum titulo charitatis, ne quod crebro timeri poteſt, animæ quas Chriſtus pretioſo ſanguine redemit, æternum pereant; tum

tum & aliquo juſtitiæ titulo, quia ad id munus in neceſſitate obeundum ſemetipſas videntur devoviſſe; nec alia conditione ſeu a Parochis, ſeu a patribus & matribus admittuntur. An autem paſſim repeti debeat Baptiſma ab obſtetrice collatum infra expendemus.

Quæres 7. an pater propriam prolem baptizare queat.

Reſp. poſſe in caſu neceſſitatis; tuncque non excidit a jure conjugali, prout docuimus ubi de quarto Decalogi præcepto.

Quæres 8. an unus poſſit plures ſimul baptizare.

Reſp. poſſe valide in quocumque caſu; licite autem *in* ſolo *caſu neceſſitatis*, *ſub hac forma*, *Ego vos baptizo .·. Nec per hoc diverſificaretur forma Eccleſiæ, quia plurale non eſt niſi ſingulare geminatum:* ita S. Thomas hic q. 67. art. 6. ad 2. Et vero Apoſtoli, ſi a quibuſdam, certe a paucis adjuti, vix aliter quam plures ſimul baptizando, tot hominum myriades una die tingere potuerunt. Adde quod hujuſmodi Baptiſmis nec deſit materia, quia omnes ſufficienter abluti ſupponuntur; nec forma, quia *Baptize vos*, idem eſt ac *Baptizo te & te;* nec ſubjecta, cum tot ſint, quot Baptiſmi: quidni ergo ſicut unus plures abſolvere poteſt, ut fit imminente naufragio vel conflictu, ſic & plures ſimul baptizare valeat.

Dixi, *non autem licite niſi in caſu neceſſitatis*, tum quia Rituale Romanum vetat ne plures ſimul baptizentur, niſi urgeat temporis anguſtia, vel periculum mortis: tum quia violatur Eccleſiæ conſuetudo, idque in re gravi: unde qui ſecus fecerit, lethalis culpæ reum eſſe docent Scotus & alii communiter.

Quæres 9. an poſſit quis ſeipſum baptizare.

Reſp. neg. & id patet ex cap. 4. *De Baptiſmo*, &c. ubi Innocentius III. conſultus de Judæo, qui *in aquam ſeipſum* immerſerat *dicendo*, *Ego me baptizo*, &c. reſpondit, *quod cum inter baptizantem & baptizatum debeat eſſe diſcretio, ſicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apoſtolis: Ite, baptizate omnes gentes*, &c. *memoratus Judæus eſt denuo ab alio baptizandus; ut oſtendatur quod alius eſt qui baptizatur, & alius qui baptizat. Ad quod etiam deſignandum ipſe Chriſtus non a ſeipſo, ſed a Joanne voluit baptizari. Quamvis ſi* Judæus ille *continuo deceſſiſſet, ad patriam protinus evolaſſet, propter Sacramenti fidem, etſi non propter fidei Sacramentum*. Et vero *ſicut in carnali generatione .·. alius eſt qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur; ſic in Sacramentali regeneratione .·. alius debet eſſe, qui ſpiritualiter generet, & alius qui ſpiritualiter generetur*. Unde licet poſſit idem ſibi Euchariſtiam miniſtrare, non tamen Baptiſmum: quia Euchariſtia recipitur per modum alimenti, quo quis per ſe ſolum veſci poteſt; Baptiſmus vero per modum nativitatis, quam nemo a ſe ſolo habet.

Confirm. quia ſi homo ſibi ſuus Baptiſmi Miniſter eſſe poſſet, id alicubi ob infinitam Sacramenti hujus neceſſitatem docuiſſent vel Scripturæ, vel Patres, vel Rituales Libri, vel Catecheſes, &c. atqui de hoc ſiluere conſtanter; & plus quam ſiluere, cum ſemper alium a baptizato Miniſtrum aſſignaverint; ergo.

Quæres 1. an plures eumdem ſimul baptizare poſſint.

Et quidem conſtat id ſemper illicitum eſſe, utpote quod conſtanti Eccleſiæ praxi repugnet; & ubi valide fieri poſſet, nulla rationabili de cauſa fieri queat. Sed quia agitur de valido,

Nota tripliciter fieri poſſe ut plures ad unius Baptiſmum concurrant, 1. ſi unus, v. gr. mutus quis aquam infundat, alter v. g. mancus pronuntiet formam; 2. ſi duo materiam ſimul & formam applicent, ſed itant a ſe invicem in baptizando dependere velint tanquam cauſæ partiales, dicendo, *Nos te baptizamus*; 3. ſi uterque ſeorſim materiam & formam applicet, quaſi ageret ſolus, & ab alio dependere nolens: ut ſi Parochi duo qui de eodem infante litigant, eumdem baptizare properent: tuncque vel ambo formam abſolvunt eodem inſtanti, vel alter altero prius. Jam

Reſp. 1. nullum eſſe Baptiſma primo modo collatum. Ratio eſt 1. quia id adverſatur inſtitutioni Chriſti, prout hæc nobis per continuam Eccleſiæ praxim manifeſtata eſt; 2. quia tunc falſa eſt forma; cum is qui ſe baptizare ſeu abluere dicit etiam in numero plurali, reipſa non abluat; 3. quoties reſcivit, aut ſuſpicata eſt Eccleſia quempiam a novioribus hæreticis hoc modo fuiſſe baptizatum, toties eum denuo vel ſimpliciter, vel ſub conditione baptizavit.

Objici poteſt 1. quod Archidiacono porrigente inſtrumenta, & Epiſcopo benedicente poſſit quis ordinari. Quin & cap. 14. diſt. 23. conſecratur Sacerdos quidam cum Levitis duobus, Epiſcopo manum imponente, & Presbytero quodam benedicente, ſeu formam pronuntiante; 2. quod conficiatur Sacramentum Pœnitentiæ, etſi materiam præbeat unus, alter formam efferat; 3. quod herus dicatur erogare ſtipem, cum illam dat mediante famulo; ergo & baptizare dicetur Parochus, qui mediante Clerico ſuo infundet aquam: Sed hæc non urgent. Unde

Ad 1. neg. ant. cujus falſitas in Tractatu de Ordine demonſtrabitur. Neque ſi ordinatio a duobus conferri poſſet, poſſet ideo a duobus miniſtrari Baptiſma: quia vox *baptizo* ſignificat egreſſum phyſicum actionis a baptizante: conceſſio vero Eccleſiaſticæ poteſtatis ſine tali egreſſu phyſico poſſet intelligi.

Grand. ſ. 86.

Nec obeſt cap. 14. diſt. 23. ubi Sacerdos & Levitæ ſic ordinati, gradum ſuum *amittere* jubentur. Nam ut bene hic animadvertit Gloſſa, non raro in jure dicitur quis amittere, id quod reipſa nunquam habuit, ut cap. *Quia*, v. q. 6. & cap. Guiliſarius, xxiii. q. 4.

Ad 2. neg. parit. ſiquidem Sacramentum Pœnitentiæ habet ſe per modum judicii, ad quod proin concurrere debent, & Rei confeſſio, & abſolutio Judicis: nihil autem tale occurrit in Baptiſmo; imo inſtitutio ejus exigit ut qui materiam applicet, applicet & formam, quæ alioqui falſo enuntiaretur.

Ad 3. neg. conſeq. Ratio eſt, quia in materia ſacramentali verba ſtricte ſumuntur; unde hic facere non dicitur qui per alterum facit. Aliud eſſe poteſt in uſu vulgari, ubi voces quandoque latius accipiuntur. Dico, *quandoque*, nec enim opinor diceretur Principem in Cœna Domini abluere 12. pauperum pedes, ſi id ſolum ab uno e famulis ſuis fieri præciperet.

Reſp. 2. invalidum fore Baptiſma ſecundo modo collatum, prout contra Durandum & Paludanum docent ceteri cum S. Thoma hic q. 67. art. 6. Ratio eſt, quia ut valeat Baptiſmus, apponi debet forma legitima, & non exprimi intentio intentioni Chriſti contraria: atqui cum plures conjunctim abluunt, & dicunt, *Nos te baptizamus* (ſicut ſi dicerent,

Nos

Digitized by Google

Nos trahimus navim, quam nemo noſtrum ſolus trahere queat) non apponitur forma legitima, & exprimitur intentio intentioni Chriſti, ejuſque Eccleſiæ contraria. Forma enim legitima, & intentio Chriſti ac Eccleſiæ excludunt pluralitatem Miniſtrorum, qui partialiter tantum ad eſſe Baptiſmi concurrant; quia ſicut unus eſt Chriſtus, ſic voluit Chriſtus & Eccleſia, ut Miniſter gerens vices Chriſti, ſit unus: atqui hæc forma, *Nos te baptizamus*, & intentio quam ei annexam ſupponimus, non excludunt, ſed includunt pluralitatem Miniſtrorum, qui partiales cauſæ eſſe velint; ergo.

Dices: Qui baptizare vellet, nollet autem ponere Baptiſmi effectum, non deſineret valide baptizare; ergo nec deſinet baptizare, qui volet formam ponere, quantumcumque nolit eam habere virtutem omnem, quam habet a Chriſto.

Reſp. neg. conſeq. quia, ut bene Grandinus, qui effectum Baptiſmi nolendo vult Baptiſmum, adhuc eumdem ponit ſecundum ſe, adeoque prout effectus ſui productivum: at vero qui tantum vult formam ut productivam partialiter, non ponit Sacramentum ſecundum ſe; cum ad iſtud requiratur unitas Miniſtri, quæ reipſa tollitur, cum plures non aliter habere ſe volunt in miniſterio, quam ut cauſæ partiales. Sane aliud eſt de Matrimonio, quia poſtulat ratio contractus ut in eo interſint Miniſtri duo agentes partialiter: ſi tamen contrahentes ſint Miniſtri Matrimonii; de quo deinceps.

Reſp. 3. in tertio caſu valere Baptiſmum, ſeu ambo formam ſimul abſolvant, ſeu alter altero prius abſolvat. Neque de hac ſecunda parte ambigi poteſt, unde

Prob. 1. pars: tum quia ſtat Sacramentum ubi ſtant materia, forma, & intentio Miniſtri, idque relative ad ſubjectum capax; quod in præſenti caſu occurrit: tum quia nulla eſt ratio cur factum unius annullet factum alterius. Et ita docet S. Thomas ibid.

Dices: Vel tunc eſſet duplex Baptiſma, vel unicum: atqui neutrum dici poteſt.

Reſp. utrumque dici poſſe: nam 1. eſſet unicum tum ratione cauſæ præcipuæ, nempe Chriſti; tum ratione effectus, puta characteris, qui non duplex ſed unus produceretur; 2. eſſet duplex ſecundum ſe, quia eſſet duplex forma, materia, & intentio, quæ quo pacto in unum coaleſcant, ubi Miniſtri tanquam partiales cauſæ agere nolunt, vix intelligi poteſt.

Inſt. Si unicum admittatur in hoc caſu Baptiſma, idem numero effectus erit a cauſis multis totalibus. Si duplex, idem homo bis poterit baptizari: atqui utrumque abſurdum eſt; ergo.

Reſp. diſt. min. pro 1. parte. Abſurdum eſt ut idem effectus ſit a multis cauſis totalibus & phyſicis, C. a cauſis multis moraliter operantibus, N. Certe enim ejuſdem hominis occiſio poteſt eſſe a duobus conſiliis, quorum utrumque ſatis fuiſſet ad movendum occiſorem. Aliter nodum hunc ſolvunt Thomiſtæ; de quo adi Gonet diſp. 2. n. 22.

Reſp. ad 2. part. neg. maj. ſicut enim non dicitur bis communicaſſe, qui geminam ſimul hoſtiam recepit, ſed tantum qui ſucceſſive; ſic nec bis baptizatus dici debet, qui gemina actione, ad unum eumdemque effectum terminata ſimul baptizatus eſt; quia vocula *bis* importat actionum

Digitized by Google

& effectuum ſucceſſionem : is itaque tantum bis baptizatus diceretur, qui ſemel valide tinctus denuo tingeretur valide, quod in Baptiſmo locum habere nequit.

Sunt qui exiſtiment in hoc caſu Baptiſmi effectum ab una dumtaxat proditurum actione, quam Deus deſignaret. Unde, ait Grandin, *Pag.* 87. probabilius puto Neomyſtas, ſeu Sacerdotes novos, quo die initiantur, non conſecrare ſimul cum Epiſcopo, licet cum eo formam pronuntient : præterquam quod difficile eſt, ut ſimul omnino cum eodem Epiſcopo formam abſolvant.

CAPUT SEXTUM.

De Patrinis.

Etſi, ut a Silvio notatum eſt, de Patrinis agendum eſſet ubi de cæremoniis Baptiſmi, de his tamen differemus in præſenti, ad normam S. Thomæ, qui Patrinos, quoniam ſuo modo ad Baptiſma concurrunt, ejuſdem Miniſtris attexuit q. 67. art. 7.

Patrini porro multis apud SS. Patres donantur nominibus: ab Auctore Lib. Eccleſ. hierarchiæ, vocantur Patres divini, & ſanctæ ſalutis ſuſceptores; a Tertulliano Sponſores; ab Auguſtino, Fideiductores, Fidejuſſores; a Moguntina Synodo Compatres, &c. unde patet Patrinorum uſum primævæ eſſe antiquitatis. De his nonnulla inquiruntur ſcitu utilia. Itaque

Quæres 1. an Patrini ſint neceſſarii.

Reſp. 1. non eſſe neceſſarios neceſſitate Sacramenti; tum quia Philippus Eunuchum baptizavit abſque Patrino; tum quia Baptiſmus privatus ſine Patrinis adminiſtrari licite poteſt, de quo ſtatim. Unde quod Auguſtinus Lib. 3. de peccat. merit. cap. 2. tribuit Patrinis fidem quæ producitur in infantibus; hoc intelligendum eſt ſenſu, quod poſita Patrinorum reſponſione, Deus in parvulis fidem infundat, non eo autem quod ad infuſionem hanc neceſſario concurrere debeant Patrini, perinde ac Miniſtri.

Reſp. 2. Baptiſmum ſolemnem licite adminiſtrari non poſſe abſque Patrino, ſi idoneus haberi poſſit. Patet id. 1. ex Auctore Lib. Hierarch. Eccleſ. qui cap. 7. ait *ſic viſum eſse divinis noſtris Ducibus*, ideſt Apoſtolis; 2. ex conſtanti Eccleſiæ uſu, quem repereris cap. 100. 101. 102. diſt. 4. *De conſecr.* quemque ſupponit Tridentina Synodus Seſs. 24. cap. 2. de reformat. Matrim. 3. quia ſpiritualis generatio non nihil affinitatis habet cum generatione carnali, ſecundum id I. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes*; ergo ſicut recens natus nutrice indiget, & Pædagogo, ſic & recens baptizatus indiget aliquo a quo doceatur, & nutriatur quadantenus, ut in vita ſpirituali proficiat. Ad id autem aſsumi oportuit perſonas a parentibus diverſas, ut melius & tutius provideretur baptizato. Hæ rationes valent etiam in adultis : neque enim propter corporalem, ſed propter ſpiritualem imbecillitatem conſtituti ſunt baptizatorum Suſceptores, ut monet ibid. S Thomas art. 7. ad 3.

Reſp. 3. Patrinos in privato Baptiſmo neceſsarios non eſse, cum id nulla lege

lege imperatum ſit. Et licet contrarium inferri poſſit ex S. Thoma hic q. 67. art. 8. ad 2. id tamen prohibent Rituales Libri complures, ut Pariſienſis, Argentinenſis, &c. Et vero vel morietur infans, qui vulgo propter imminens necis periculum baptizatur privatim; vel vivet. Si 1. ad quid Patrinus? Si 2. non deerit is, cum in cęremoniarum ſuppletione poſſit & debeat adhiberi.

An autem & quando Patrini ſpiritualem affinitatem contrahant, expendi in Tract. de Diſpenſationibus, part. 1. cap. 4. art. 2. ubi & ſatis inſinuatum eſt, quod hic docet Silvius, nimirum ad hoc ut quis vere ſit Patrinus, & affinitatem contrahat, non requiri ut infantem corporaliter tangat, tenendo, offerendo, levando, &c. Certe quę hic objici poſſent Tridentini verba hęc: *Si alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, ſpiritualem cognationem nullo pacto contrahant;* docent quidem contactum non ſufficere ad affinitatem, niſi is qui tangit, fuerit ad hoc deſignatus; at contactum hunc neceſſarium eſſe non dicunt. Nec nocet, cui tamen multum innititur Henricus a S. Ignatio cap. 18. declaratio Sacrę Congregationis a Joanne Gallemart edita; quia editas ab ipſo declarationes nullius eſſe momenti declaravit Sedes Apoſtolica.

Hic non abs re fuerit animadvertere eum qui in Patrinum admiſſus eſt ab eo qui filium ejus tenuerat, duplex contrahere ſpiritualis affinitatis impedimentum, quod niſi declaret, invalide diſpenſabitur. Sicut tamen qui vel pluries cum aliqua copulam habuit, vel pluries celebravit excommunicatus, non teneri plures copulas, pluresve celebrationes aperire, ut ex ſtylo conſtat; ſic qui plures alterius tenuit filios in Confirmatione vel Baptiſmo, non tenetur id declarare; prout contra Sanchem Lib. 8. diſp. 24. nu. 4. docet Pyr. Corradus Lib. 8. cap. 8. n. 16. ex recepta jam ante tempus Clementis VIII. Curię Romanę praxi.

Quęres 2. quę ſint Patrinorum officia.

Reſp. plura eſſe, & tam gravia, ut ſi ſerio ponderarentur, nec tam facile occurrerent qui id ambirent muneris; nec obvius quiſque prior eligeretur a parentibus. Scilicet debent Patrini 1. eos quos ſuſcipiunt diligere tanquam filios ſpirituales; 2. pro iis ſupplices Deum precari; 3. invigilare ſedulo ut chriſtiane inſtituantur a parentibus, eorumque, ſi vel moriantur, vel hujus officio deſint, vices hoc in puncto ſupplere; 4. curare ut filioli debito tempore Sacramento Confirmationis initientur; 5. efficere omni via ut id quod in Baptiſmo ſpoponderunt, plene intelligant, pleniuſque exequantur. *Et vero*, ait Grandin, *id ratio Pædagogi poſtulat, & materiæ gravitas obligat ſub mortali:* & hinc collige *parentes accurate* pręmonendos a Parocho, *ut in delectu Patrinorum, non tam nobilitatis, auctoritates vel divitiarum, quam vitæ integritatis & honeſtatis morum rationem habeant;* prout monet Rituale Pariſienſe pag. 27. quod ut mage & magis innoteſcat, *Grand. p. 92.*

Quęres 3. an omnes promiſcue ad officium Patrini a parentibus invitari, aut a Parochis admitti poſſint.

Reſp. negat. ii enim ſolum aſſumi poſſunt, qui mox recenſita, eaque graviſſima munia implere valeant. Unde ab hoc munere arcendi ſunt, 1. muti, & qui rationis non ſunt participes. *Proindeque*, ait Concilium Colonienſe an. 1536. c. 4. *malumus* Patrinos *deligi provectæ ætatis*,

quam impuberis, ne videatur infans infantem offerre: ac ſponſorem ſe Deo pro alio conſtituere, qui quod promittit non intelligat, ideoque multo minus quod non intelligat, docere queat, Concinit cum aliis pluribus Rituale Romanum, cum docet convenire *maxime*, ut Patrini ſint ſaltem *in ætate pubertatis* (&, ſi fieri poteſt, jam Confirmatione donati: quia, ut bene S. Auguſtinus, *debilis non eſt idoneus ad ſuſtentandum debilem, ne ambo cadant.*) Alicubi tamen, ut Pariſiis, *Patrinus ſeptem annos natus admitti* poteſt, *modo & de Catechiſmo Parocho interroganti bene reſponderit; & Matrina ſit duodecim ad minus annos nata. Matrinam ſimiliter ſeptem annorum admittere non renuet Parochus, dummodo Catechiſmum probe calleat, patrinuſque ſit ſaltem quatuordecim annorum*. Ritual. Pariſ.

2. qui baptizati non ſunt, ex cap. 102. diſt. 4. *De conſecr.*

3. & a fortiori, Infideles, Hæretici, Apoſtatæ, moribus aut profeſſione infames, ut Comœdi, aliique publici fabularum actores; uſurarii item, concubinarii, ebrioſi, blaſphematores, & qui publica, queis inſiſtunt, odia exercent; excommunicati quoque, ab Eccleſiæ ingreſſu interdicti, aut qui Paſchali officio defuerint, vel annuæ confeſſioni. Circa hæreticos vide quæ dixi Tom. VI. ubi ſupra.

4. qui præcipua Doctrinæ chriſtianæ capita ſaltem quoad ſubſtantiam non tenent; aut qui orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, vel Symbolum neſciunt; & Dei ac Eccleſiæ præcepta ignorant.

Ut autem Hæreticus a Catholico in Patrinum aſſumi nequit, ſic nec Catholicus in hæreticorum Baptiſmo vices Patrini gerere debet; tametſi utrumque in Germania fieri poſſe contendat Layman Tract. de Bapt. Grand. p. 192. cap. 9. *Utrum bene? non diſputo: at id in Gallia noſtra, ac præſertim his in partibus fieri non poſſet abſque gravi ſcandalo*. Certe, ut appoſite monet Catechiſmus Montiſpeſſul. Eccleſia nullum ſuis in precibus habet commercium cum hæreticis: nec æquum videri poteſt ut Eccleſiæ filios offerant, qui ejuſdem Eccleſiæ non filii, ſed inimici fuerint. Reſtrictiones quæ hic forſitan admitti poſſent, colligere erit ex iis quæ dixi tum in Gallicis contra P. Andream de Grazac Epiſtolis, tum Tom. III. de Fide, ubi de commercio cum hæreticis.

Excluduntur etiam poſitivo jure ab officio Patrini, 1. Regulares, juxta id cap. 103. diſt. 4. De conſecr. *Non licet Abbati vel Monacho de Baptiſmo ſuſcipere filios, vel commatrem habere*: & is Canon hodiedum viget ut patet ex Ritualibus Romano & Pariſienſi: fallit tamen in iis qui e Religioſis fiunt Epiſcopi. Imo pluribus in locis receptum eſt ut Abbates in Patrinos aſſumantur. Sed quam cavendum, ut ſuis cavit S. Franciſcus, *ne hac occaſione inter Fratres, vel de Fratribus ſcandalum oriatur*.

2. Clerici etiam ſæculares qui vel ſacris Ordinibus initiati ſint, vel Beneficiarii: atque id patet non ſolum ex Synodo Mediolanenſi II. ſed & Concilio Aquenſi an. 1585. ubi ſic: *Compater ne adhibeatur Regularis aliquis, nec Clericus Sæcularis ſacris initiatus, aut Beneficium Eccleſiaſticum obtinens*. Hæc lex ſervanda ſicubi in Ritualibus hodiernis viget: at quoad Clericos Sæculares nec Pariſiis, nec in multis aliis Galliæ Diœceſibus obſervatur.

3. pater & mater baptizandæ prolis: obſtat enim tum inutilitas facti, quia pater Patrinus non plus debet filio, quam antea; tum vetus,

etſi

Digitized by Google

etſi non ab omni ævo ſervata (*) conſuetudo Eccleſiæ, ex qua fit ut qui hodie propriam prolem levat e Fonte ſacro, excidat a jure petendi debiti conjugalis.

4. maritus & uxor ex Urbano II. apud Gratian. c. 6. xxx. qu. 4. id tamen hodie licitum eſſe docent Navarrus & alii complures. Videndum quid ferat conſuetudo, quid Diœceſeon Statuta permittant.

Quæres 4. quot admitti debeant a Parocho Patrini.

Reſp. *Statuit* Tridentina Synodus Seſs. 24. de reform. Matrim. cap. 2. *ut unus tantum ſive vir, ſive mulier, juxta ſacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant*. Huic legi ut ſapienter conſtitutæ, & quæ affinitatum multiplicitatem removeat, ſedulo inhærendum. *Quapropter*, ait hic Silvius, *Parochus ſciſcitari debet, qui ſint ad ſuſcipiendum electi, eoſque ſolos admittere & eorum nomina ſcribere; & quicumque admittit duos, non poteſt admittere niſi ſint diverſi ſexus, unus & una. Quod ſi plures uno & una ſe offerant, nec poſſit Parochus cognoſcere qui ad id muneris ſint electi, liberum eſt ei e pluribus unum & unam eligere, eoſque Patrinos declarare.*

Hic tria notat Barboſa in prædictum Tridentini caput 1. Epiſcopum *Barboſa* diſpenſare non poſſe ut plures quam duo infantem ſuſcipiant; cum ſu- *p. 257.* per Conciliari diſpoſitione diſpenſandi facultatem non habeat; & id deciſum referunt Zerola, Sanchez, & alii ibid. 2. incertum ad minus eſſe an non allucinentur, qui Parochum plures quam unum & unam Patrinos admittentem, venialis duntaxat culpę reum faciunt cum Sanchez Lib. 7. diſput. 57. num. 6. Hic enim mortale peccatum agnoſcunt Vega, Bonacina, Hurtado, idem Barboſa, & alii qui hoc etiam deciſum referunt. Et vero an non grave eſt antiqua *ſacrorum Canonum inſtituta*, & Generalis Concilii legem in materia minime levi temerare? 3. ſi non obſtante lege Tridentina permittat Parochus ut tres aut quatuor, pluresve Patrinorum munera exerceant, ab iis omnibus contrahi affinitatem. Idem docent Navarrus in Manual. cap. 22. Ledeſma, Silvius & alii paſſim contra Sairum, & Sanchez, quorum opinio ad minus dubia eſt.

Quęres 5. quę ſint Parochorum in hac materia obligationes. *Henno*

Reſp. ſeptem pręcipue numerari. Prima eſt ut populum publice do- *p. 299.* ceant in Patrinorum delectu pietatis potius quam *alterius cujuſque commodi emolumentive* habendam eſſe rationem; itaut ii pręceteris ſeligantur, qui *filiorum animæ magis conſulere, quam qui inopiæ ſubvenire poſſunt*, prout in ſuis de Baptiſmo inſtructionibus tradit S. Carolus Borromęus, & nos jam ſupra docuimus.

Secunda, ut caveant ſedulo ne baptizandis imponi ſinant nomina ſeu ethnicorum, quod vetitum eſt Can. 30. Concilii Nicęni, ſeu dubię ſanctitatis hominum: ea item quę peregrina ſunt, aut quę genitivo nomini addita turpem, ridiculumve ſenſum efficiunt. Quin & cavendum ne nomina Sanctorum veteris Teſtamenti affectentur, ubi pręſertim vigent hęretici,

(*) Vid. S. Auguſtin. Epiſt. 98. alias 23. ex qua colliges patrem & matrem aliquando proprios infantes ſuſcepiſſe in Baptiſmo: quæ praxis a Moguntina Synodo an. 813. reprobata eſt Can. 56. his verbis: „ Nullus proprium filium aut filiam de Fonte baptiſmatis ſuſcipiat. „ Qui Canon forte ignotus fuit S. Thomæ.

retici, qui quoniam novæ Legis Sanctos dedignantur, ad Abraham vetereſque Patriarchas recurrunt. Ita monent Concilia Rhemenſe, Bituricenſe & Burdigalenſe.

Tertia, & id caute videriut, ne uſquam mortuos natos baptizent aut baptizari permittant, eo prætextu quod ante B. Virginis, alteriuſve Sancti imaginem a ſimplicibus, ſuperſtitioſiſve mulierculis delati, & ardenti pruna, accenſiſque cereis circumdati, fiant e frigidis calidi, e rigidi molles: ex pallidis rubei, aut etiam ſanguinem ex naribus emittant. Aliud eſt de iis quos non conſtabit certo migraſſe e vita: dummodo ad id experiendum nihil tentetur quod ſuperſtitionem redoleat.

Quarta, diligenter in Baptiſmali regiſtro inſcribant nomen baptizati, ejuſque parentum ac ſuſceptorum: item quo anno, annique menſe ac die ablutus ſit infans ſeu in Eccleſia ſeu alibi: rurſumque an in legitimo & de legitimo matrimonio prodierit. Si conjecturæ admodum graves contra pueri *legitimitatem* pugnent, puta quod pater duobus ante ortum ejuſdem annis abfuerit e regione, abſentiæ hujus habenda videtur mentio conſulto tamen Præſule ut ſi qua deinceps ſuboriatur lis circa hæreditatem, ſtatuat Magiſtratus id quod ſibi æquum videbitur.

Quinta, docebit Sacramenti Miniſter Patrinos, ſeu ante, ſeu in ipſo
Trid.Seſ. Baptiſmi actu, ſi doceri indigent, *quam cognationem contraxerint* cum
14. c. 2. prole, ejuſve parentibus, *ne ignorantia ulla excuſari valeant*. Erit & operæ pretium monere aliquoties, eos qui circa ſuſceptam prolem aut ipſius parentes impudici quidpiam corde vel opere exercerent, gravis reos eſſe peccati, ſi hanc inceſtus circumſtantiam in confeſſione ſcienter reticuerint.

Sexta, & id quandoque admonebit, vitandas eſſe nimias eas compotationes, quæ ſeu domi, ſeu in tabernis baptiſmata conſequi ſolent; ſcilicet ergo quia bonum ſe & miſericordem exhibuit Deus in regeneratione infantis, licebit compatribus illico eſſe malis? Quanto plus curare debent Parochi, ne profanis hujuſmodi feſtivitatibus interſint.

Septima, id etiam matribus, nutricibuſque & aliis quibuſcumque graviter inculcandum, ne cum infantulis in eodem lecto ante completum annum decumbant ob periculum ſuffocationis, quod, ſecluſo etiam effectu, gravem habere noxam videtur, in iis præſertim qui inquiete dormientes quoquoverſum ſe movent: unde Stephanus V.
Circa an. cap. 20. 11. qu. 5. *Monendi ſunt*, inquit, *& proteſtandi parentes, ne*
888. *tam tenellos ſecum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente ſuffocentur vel opprimantur; unde ipſi homicidii rei inveniantur .·.·.·. hi autem qui probantur, vel confitentur talis reatus ſe noxios, tua eos caſtiget moderatio: quia ſi ille, qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida eſt, quanto magis qui unius ſaltem diei puerulum peremerit, homicidam eſſe excuſare nequibit?* Idem ſevere prohibent in Ritualibus ſuis Epiſcopi complures, quorum aliqui caſum hunc inter reſervatos collocarunt, alii addiderunt etiam cenſuræ minas. Neque id temere ſancitum,
Circa an. cum Lucii III. tempore quidam crimini huic indicerent *pœnitentiam*
1181. *trium annorum, quorum unum* peragere homicidæ parentes *in pane & aqua*, ut conſtat ex c. 3. *De his qui filios occiderunt*. Si tamen *talis cubatio omni culpa caret, uti contingere poteſt, ſi v. g. lectus eſt latus, & puer implaca-*

cabi-

Digitized by Google

tabilis, qui aliter a frigore defendi non poſſit, & mulier in ſomno ſuum retinere ſoleat ſitum ac locum, omnis pœna ceſſabit, juxta Barboſam, Pirhing, Reiffenſtuel & alios communiter in citatum caput.

CAPUT SEPTIMUM.

De ſubjecto Baptiſmi.

INſtitutum fuiſſe in hominis viatoris gratiam Baptiſma nemo inficiatur; ſed an & qua conditione homo quilibet baptizari queat, gravis eſt controverſia, quæ ut tota quanta eſt, expendi poſſit, agendum; 1. de infantibus; 2. de adultis.

ARTICULUS PRIMUS.

DIcendum; 1. de infantibus ut ſic; 2. de certa infantium ſpecie.

SECTIO PRIMA.

De infantibus ut ſic relative ad Baptiſmum.

CIrca infantes ut ſic tria relative ad Baptiſmum inquiri ſolent, 1. an baptizari poſſint valide; 2. an licite; 3. an Baptiſma fidem in illis ſupponat, aut ſaltem producat.

Circa primam quæſtionem errarunt; 1. Hieracitæ, qui teſtibus Epiphanio hæreſi 67. & Auguſtino hæreſi 47. volebant *infantes non pertinere ad regnum cœlorum, quia non ſunt eis ulla merita certaminis*, quo ſolo æterna vita obtineri poſſit. Horum dux labente tertio Eccleſiæ ſęculo fuit Hieraz, ſeu Hierarcha Ægyptius, vir auſteritate vitæ, morum innocentia, lepore ſermonis, Græcarum litterarum ac Scripturæ peritia celebris, & cui nihil ferme defuerit præter fidem, debitamque Eccleſiæ luminibus ſubmiſſionem: ſed heu! iſthæc ubi deſunt, ad quid cetera?

2. * Waldenſes, Apoſtolici, Petrobruſſiani, Henriciani, Cathari quoque, qui omnes collatum infantibus Baptiſma nullius eſſe momenti contenderunt. ** V. To. 2. p. 48. alias 47.*

3. Anabaptiſtæ, qui circa an. 1521. rati non minus licitum eſſe ſibi recedere a Luthero, quam Luthero licitum fuerat ab Eccleſia recedere, Pædobaptiſmum totis viribus impugnarunt. Horum Patriarcha fuit Nicolaus Stork, converſo nomine Pelargus, ideſt Ciconia. Storkio præ ceteris adhæſit Thomas Muncerus, vir Luthero, cujus Vicarius vocitabatur, moderatior in ſpeciem, ſed cui rabie tumebat cor ferum, itaut nec hominum ſanguini parceret, nec ipſi Deo; prout ſatis indicat veſana hæc ejus inter concionandum oratio: *Pater, infunde animo meo porrectum deſiderium juſtitiæ tuæ, quod niſi feceris, te tuoſque Apoſtolos ad unum omnes abnegabo.* Quot ille in Saxonia turbas moverit, quot plebis inſipien- *Munc. in Lib. 7. dier.*

ter

ter credulæ ſtrages, ſuſe & eleganter recenſet in vernacula Fanatiſmi Hiſtoria Franciſcus Catrou e Soc. Jeſu. Interim hodiedum perſeverat Anabaptiſmus, & pluribus in locis aſſeclas habet.

4. Michael Servetus, qui in fine Libri *De regeneratione*, puerorum Baptiſma in horrendam abominationem, ac Chriſti abnegationem traducit.

5. Sociniani, qui a Baptiſmo excludendos infantes cenſent, niſi obſit bonum pacis, & quædam ſcandali vitandi neceſſitas.

Circa quæſtionem ſecundam, an nimirum omnino licitum ſit baptizare infantes, an non ſatius, decentiuſque fuerit eorum Baptiſma differri, non una fuit veterum opinio. Alii nempe eos non ante octavum a nativitate diem baptizari voluere: ita Fidus in Africa Epiſcopus, Epiſt. 59. apud Cyprianum. Alii non ante triennium: ita S. Gregorius Nazianz.
Tom. 1. Orat. 40. qui tamen & mortis periculum excipit, & in eos graviter in-
p. 658. vehitur, qui Baptiſmum ad extremam uſque ſenectutem protrahebant. Alii denique non ante rationis uſum; ne converſis in malum moribus peccent contra Baptiſmi promiſſiones, & patrinos ſuos falſæ ſponſionis *periculo ingerant*: ita Tertullianus Lib. de Bapt. c. 18. ubi vult Baptiſmi dilationem in iis præſertim locum habere, qui, ut innuptis contingit, gravius in carne tentati, graviora ſubeunt lapſus & ruinæ pericula.

Circa tertiam quæſtionem, quæ eſt de fide infantium, prima opinio eſt Lutheri, qui, ut bene probat Bellarminus hic Lib. 1. cap. 10. eo nixus principio quod (*) *Sacramenta non implentur dum fiunt, ſed dum creduntur*, actualem in infantibus admittit fidem, non quidem productam vi Sacramenti, ſed per orationem Eccleſiæ & fidem eorum qui infantes offerunt baptizandos. Et vero, ait Novator in Libro contra Cochlæum edito an. 1523. *ut quid* baptizans *interrogat* parvulum *an credat, ſi certum eſt eum non credere, ut Cochlæus contendit*. & infra: *Aſſerimus parvulos prorſus non eſſe baptizandos, ſi verum eſt* eos *in Baptiſmo non credere*: quæ poſtrema verba teſte Muſculo (**) Anabaptiſtis occaſionem dedere errandi: hi nempe ſatius judicarunt Pædobaptiſmum rejicere, quam actualem in parvulis fidem admittere.

Magiſtri ſui opinionem temperaſſe videntur diſcipuli ejus, qui cum Philippo Melanchtone ſatis eſſe docent ut teneatur dari infantibus Spiritum ſanctum, *qui efficit in eis novos motus, novas inclinationes ad Deum*
Pag. 950. *pro ipſorum modo*. Ambiguis iiſce vocibus inhæret Bechmannus, Loco 13. de Bapt. Controv. 1. ubi ait per Baptiſmi actum *accendi fidem* in infantibus, *ut credant in Deum Patrem, Filium & Spiritum S.*

Secunda opinio fuit veterum quorumdam Theologorum, qui exiſtimarunt parvulis nec fidem infundi nec gratiam, ſaltem per modum habitus inhærentis, ſed ſolum characterem, cujus ope poſtmodum adulti gratiam & virtutes conſequerentur. Qua de re ambagibus plena lege Eſtium in 4. Sent. diſt. 4. §. 5. per totum.

Tertia opinio, ſeu potius Eccleſiæ Catholicæ fides docet gratiam juſtificantem, eique annexas virtutes parvulis in ipſo Baptiſmatis actu infundi,

(*) Luther. Lib. de Captiv. Babylon. cap. De Baptiſmo.
(**) Vvolfangus Muſculus Dicuſæ apud Lotharingos natus an. 1497. e Catholico Lutheranus, e Lutherano Sectator Zuinglii, obiit Bernæ an. 1563.

by Google

fundi, tanquam fixum quid & permanens: an autem fixum iſtud & permanens ſit habitus, aut qualitas, diſputant etiamnum Theologi, ut videre eſt apud Tournelyum, pag. 340. quem conſule. Si hanc facti quæſtionem amas, ſit jam

Conclusio I. Infantes Baptiſmi capaces ſunt, & ideo valide baptizantur.

Prob. 1. pars 1. ex Scriptura: Illi ad Baptiſmum admitti valide poſſunt, quos nedum excludat Scriptura a Baptiſmo, imo ad ipſum admittendos eſſe ſuadet: atqui 1. Scriptura nullibi infantes excludit a Baptiſmo, ut ſolide contra Anabaptiſtas probarunt Zuingliani in Tigurino an. 1525. Conventu, & nos infra probabimus in reſponſionibus ad objectiones; 2. ſuadet eadem Scriptura admittendos ad Baptiſmum infantes. Et id quidem, ait Tournelyus quadruplici argumento confirmari poteſt. *Catron tom. 1. p. 161.*

Primum ſic paucis proponitur: Præcipit Chriſtus Matth. 28. ut baptizentur *omnes gentes in nomine Patris*, &c. atqui præceptum hoc ad ipſos etiam infantes pertinet: 1. quia indefinitum eſt & generale; 2. quia ſcopus Chriſti eo loci eſt ut doceat modum colligendi & conſervandi Eccleſiam in terris uſque ad conſummationem ſeculorum; cùm ergo Eccleſia non adultos tantum, ſed & infantes complectatur, modus ille ad utroſque pertinet accommodate & apposite ad eorum conditionem, itaut adulti prius doceantur quam baptizentur; infantes vero prius baptizentur, tum ſuo tempore doceantur; 3. quia id poſtulare videtur tacita Chriſti antitheſis. Is enim ejus eſt ſenſus: *Ite*, & jam apud *omnes gentes* facite, id quod hactenus apud omnes & ſolos Judæos factum eſt; ergo & Eccleſiæ meæ eos aggregate ex gentibus, quos ex Judæis olim licuit aggregare Synagogæ; ergo rurſus cum ex Judæis non adultos tantum, ſed & infantes Synagogæ per circumciſionem aut aliud remedium aggregare liceret; nunc non adultos modo, ſed & infantes Eccleſiæ per Baptiſmum aggregare licet.

Secundum ſic urgetur: Qui ſunt capaces Regni Cœlorum, ii quoque capaces ſunt Baptiſmi ſine quo ad Regnum Cœlorum perveniri non poteſt: atqui infantes capaces ſunt Regni Cœlorum; & ad iſtud ſine Baptiſmo perveniri non poteſt. Minor pro ſecunda parte expreſſe traditur a Chriſto his verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei*. Prima vero ejuſdem minoris pars ex his ejuſdem Chriſti verbis conficitur: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium eſt enim Regnum Cœlorum*. Ii enim de quibus loquitur Chriſtus, in ſenſu litterali & hiſtorico veri erant infantes, non humilitate ſolum, ſed & ætate; unde vox græca βρέφη, qua apud Lucam 18. v. 15. exprimuntur, infantem in cunis poſitum, tenellumque ac plurimum lactentem ſignificat: atqui ii tamen jus habebant ad Regnum Cœlorum; ergo. *Matth. 19. Marc. 10.*

Tertium ſic proponit citatus Theologus: Qui capaces ſunt effectus Baptiſmi, ii capaces quoque Baptiſmi ipſius cenſeri debent; quibus enim res ſignificata convenire poteſt, iis & ſignum rei hujus poteſt communicari: atqui infantes ſunt capaces effectûs Baptiſmi, nimirum gratiæ regenerantis. Minor prob. 1. ex II. Act. ubi poſtquam dixit S. Petrus v. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum;* ſic pergit verſ. 39. *Vobis enim eſt remiſſio & filiis veſtris*.

Ergo

Ergo quæ facta eſt gratiæ & remiſſionis peccatorum promiſſio Judæis, hęc & Judęorum filiis facta eſt ; ergo utrique perinde remiſſionis peccatorum capaces ſunt, ac proinde medii ſeu ſigni practici, quod ex inſtituto Chriſti neceſſarium eſt ut remittantur peccata ; 2. qui capaces ſunt originalis peccati, debent & gratię qua peccatum illud auferatur capaces eſſe : atqui infantes obnoxii ſunt originali peccato. Minor patet : prob. maj. quia alioqui plus poſset primi parentis culpa ad perdendos homines, quam ad eos ſervandos gratia Chriſti, quod aperte pugnat cum Apoſtolo dicente Rom 5 v. 20. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia : ut ſicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per juſtitiam in vitam æternam per J. C. D. N.*

Quartum ſic habet : Licet id facere quod primi omnium fecere Apoſtoli, quibus dubio procul notior fuit quam Anabaptiſtis horum Chriſti verborum ſenſus : *Docete ∴ baptizantes* : atqui Apoſtoli ipſos etiam infantes data occaſione baptizarunt. Qui enim integras baptizarunt familias, ii & infantes, qui pars ſunt familię baptizare debuerunt : atqui Apoſtoli ∴ ſic Act. 16. baptizatur tum Lydia purpuraria, tum cuſtos carceris Philippini, uterque cum omni domo ſua ; ſic I. Cor. 16. narrat Paulus a ſe baptizatam fuiſse *Stephanæ domum* : porro veriſimile non eſt nullos in iis domibus infantes fuiſse.

Confirmatur tota theſis a paritate circumciſionis. Scilicet enim tam poſsunt infantes in nova Lege baptizari, quam in antiqua potuerint circumcidi : atqui ∴ Minor patet : prob. maj. 1. quia eadem eſt Baptiſmi neceſſitas, quę circumciſionis ; 2. quia Baptiſmus Circumciſioni in novo Fœdere ſucceſſit juxta Apoſtolum, qui Coloſs. 2. v. 11. & 12. in Baptiſmo agnoſcit circumciſionem non manu factam ; 3. quia unus eſt utriuſque finis ; cum non magis poſſit quiſpiam Eccleſię adunari citra Baptiſmum, quam quis olim Synagogę citra circumciſionem ; 4. quia gratia Dei parcior non eſt, imo longe abundantior in novo Teſtamento ; ergo ſicut non obſtabat puerilis ętas, ne quis apud Judęos per circumciſionem, aliudve medium ęquivalens juſtificaretur, ſic nec obeſse poteſt ne quis per Baptiſmum regeneretur. Hactenus & iiſdem fere terminis Doctiſs. Tournely.

Non deſunt tamen e Catholicis, qui argumenta hęc peremptoria eſse negent, eaque ſolum habeant pro plauſibilibus momentis, quę Traditione fulciri prorſus indigeant. Ita Tournely* ipſe, qui ut Traditionis neceſſitatem probet, quęrit *ubi* in Canonicis Libris *ſcriptum* ſit *infantes baptizandos eſſe*. Ita recens Theologus qui nullam in Scriptura Pędobaptiſmi mentionem deprehendit. Ita demum cum aliis pluribus Controverſiſtis Tyrinus, & Pickler, qui cautius docent infantium Baptiſma *clare & determinate* in ſanctis paginis non exprimi ; quibus ſuccinit Boſsuet Meldenſis in Gallico Tractatu de Sacra Synaxi ſub utraque ſpecie. (*)

* *To. 1. de Attrib.*

Gerard. T. 1. p. 429

Pickler T. 1. p. 232.

Et vero cum Zuvinglius armis e ſola Scriptura petitis Anabaptiſtas impugnare voluit, vicerunt illi, vel ſaltem victi non ſunt. Reponebant ſcilicet

(*) A l'egard des petits Enfant les Pretendus-Reformes diſent bien que leur Bapteme eſt fonde en l'Ecriture : mais ils n'en rapportent aucun paſſage precis, & ils argumentent par des conſequences tres-eloignees, pour ne pas dire tres-douteuſes, & meme tres fauſſes. *Boſſ. pag. 127.*

Digitized by Google

eet aut reponere non omnino improbabiliter poterant, ad 1. præceptum Baptiſmi ad eos ſolum ſpectare qui præcepti capaces ſint; Eccleſiam conſtare ex iis qui credere & amare poſſunt, non ex membris ratione deſtitutis; antitheſim Chriſti, quæ in objectione ſupponitur, fictitiam eſſe; cum Chriſtus expreſſe mandet, ut Baptiſmo præmittatur doctrina: *Docete, baptizantes*.

Ad 2. vel loqui Chriſtum de iis qui infantium docilitatem habent, ut indicat vox *Talium*, ideſt, *ſimilium*; vel de infantibus jam a peccato mundatis per circumciſionem, aut aliud remedium, quorum reipſa erat Regnum Cœlorum. Ceterum verba Chriſti generaliter intelligenda non eſſe; ne alioqui omnium infidelium infantes baptizandi eſſe dicantur.

Ad 3. non hic inquiri an infantes a peccato mundari poſſint, ſi Deus velit; bene vero an id de facto voluerit Deus: non probari porro ex objecto S. Petri textu id Deum voluiſſe: unde, inquient, hæc verba, *Vobis eſt repromiſſio & filiis veſtris*, eaſdem in filiis quas in parentibus conditiones ſupponunt, nempe doctrinam & fidem.

Ad confirmationem ibidem adductam, dicent innumeros eſſe infidelium infantes, quibus ob ignorantiam, vel malam voluntatem parentum applicari non poſſit Baptiſmus; & tamen plus poſſe gratiam Chriſti, quam Adæ peccatum; ergo a pari in propoſito.

Ad 4. mille in amplis urbibus baptizari poſſe familias, abſque eo quod baptizetur vel unus infans necdum adultus; nihil ergo colligi poſſe ex eo quod tres, quatuorve familias integras baptizaſſe dicantur Apoſtoli. Et vero, ajebant Anabaptiſtæ in celebri ſua cum Zvvinglio collatione, in Samariæ civitate, ubi ingens baptizata eſt multitudo, *baptizabantur* non omnes paſſim, ſed *viri & mulieres*, Act. 8. v. 12.

Ad paritatem e circumciſione deſumptam, eam haud magni eſſe debere momenti: quia in his rebus ratio facti eſt voluntas facientis. Et vero an quia parvulo circumciſionis incapaci per aliud remedium ſuccurri poterat in veteri Lege, ideo nunc parvulis per aliud remedium ſuccurri poterit. Si v.g. deſit aqua, &c.

Nullamne igitur, inquies, vim habent educta ſuperius e Scripturis ratiocinia? Habent ſane, ſed quæ per ſe ſolam non ſufficiat ad ſtabiliendam fidei veritatem. Unde haud redarguendi ſunt (*) Theologi, qui eadem citant ut plauſibilia: ſed redarguendi Novatores, qui Scripturam ſibi ad omnia fidei capita ſatis eſſe opinantur. Quapropter

Prob. 2. & melius e Traditione. Illud dogma incunctanter admittendum eſt, quod unanimi calculo ad nos tranſmiſere Patres & Concilia: atqui tale eſt dogma Pædobaptiſmi. Major conſtat ex Tract. de Locis Theologicis. Prob. minor 1. ex Patribus Græcis. S. Dionyſius (**) Lib. de Eccleſ. hier. cap. 7. *Divini noſtri duces*, inquit, *probaverunt infantes*

(*) Male ergo Samuel Mareſius in Antitirino, cui titulus: *Theologia elenchtica nova ſynopſis*, in Tirinum & Pontificios invehitur, qui ipſi, inquit, „ contra Anabaptiſtas „ probant Pædobaptiſmum ex Scripturis.“ Mareſius pag. mihi 64.

(**) Hunc ante ceteros adduco, non quia indubie priorem ceteris, ſed quia ætatis dubiæ; prout fecit R. P. a S. Martha in Gallico de Confeſſione Tractatu contra Dallaum.

fantes (qui nondum divina myſteria intelligere poſſunt) recipi ad Baptiſmum. S. Iræneus Lib. 2. adverſus Hæreſes cap. 22. alias 39. *Dominus*, inquit, *omnes venit per ſemetipſum ſalvare: omnes, inquam, qui per eum renaſcuntur, infantes & parvulos, & pueros, & juvenes & ſeniores*. Origenes Hom. 14. in Lucam: *Parvuli baptizantur in remiſſionem peccatorum*. & in cap. 6. Epiſt. ad Rom. *Eccleſia traditionem ab Apoſtolis ſuſcepit, etiam parvulis dare Baptiſmum*. S. Gregorius Nazianz. Orat. 40. in ſanctum Baptiſma: *Quid autem*, ait, *de iis dices, qui adhuc tenera ætate ſunt ∴ An eos quoque baptizabimus? ita prorſus, ſi quod periculum urgeat*. S. Chryſoſtomus Homil. ad Neophytos: *Etiam infantulos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato ∴ ut Spiritus habitatio fiant*, &c.

2. ex Patribus Latinis, Tertullianus Lib. de Bapt. cap. 18. etſi ex privata opinione Baptiſma infantium differri vult ad ætatem adultam, ne ipſi deinceps contra promiſſiones in Baptiſmo factas peccent, tria tamen indirecte docet, quæ Catholicæ ſententiæ admodum favent: 1. valere Baptiſma etiam ante adultam ætatem collatum; 2. & illud licite dari, cum imminente morte jam timendum non eſt ne infans promiſſa ſua violet; 3. & hanc fuiſſe ſeculi ſui praxim, ut paſſim & indiſtincte baptizarentur infantes. Unde S. Cyprianus, licet de cetero impenſus Tertulliani admirator, in Epiſt. 59. ad Fidum diſerte docet infantibus necdum dies octo natis dandum eſſe Baptiſma; prout paulo poſt dicturi ſumus.

Idem tradunt Ambroſius Lib. 2. de Abraham cap. 11. num. 81. ubi ſic: *Nec ſenex proſelytus, nec infans vernaculus excipitur; quia omnis ætas peccato obnoxia, & ideo omnis ætas Sacramento idonea*. Hieronymus L. 3. contra Pelagianos, adducto Cypriani textu ex Epiſt. ad Fidum: *Si unum*, inquit, *& in parvulis & in magnis habetis Baptiſma, etiam infantes in remiſſionem peccatorum baptizandos ∴ credatis*. Idem in Epiſt. ad Lætam eos ſceleris redarguit, qui Chriſtianorum infantibus Baptiſma recuſaverint. Auguſtinus Lib. 10. de Gen. ad Lit. cap. 23. *Conſuetudo*, inquit, *matris Eccleſiæ in baptizandis parvulis ∴ Apoſtolica eſt traditio*. Lib. 1. de peccat. mer. & remiſ. cap. 26. *Parvulos baptizandos eſſe concedunt* Pelagiani, *qui contra auctoritatem univerſæ Eccleſiæ, procul dubio per Dominum & Apoſtolos traditam venire non poſſunt*. Lib. 4. de Bapt. cap. 23. *Quod traditum tenet univerſitas Eccleſiæ, cum parvuli infantes baptizantur, qui nondum poſſunt credere corde ad juſtitiam, & ore confiteri ad ſalutem ∴ tamen nullus Chriſtianorum dixerit eos inaniter baptizari* ∴ & Serm. 177. alias 10. de verbis Apoſtoli: *Nemo*, inquit, *vobis ſuſurret doctrinas alienas. Hoc Eccleſia ſemper habuit, ſemper tenuit; hoc a majorum fide accepit; hoc uſque in finem perſeveranter cuſtodit*. Merito igitur S. Bernardus Epiſt. 241. quæ eſt contra Henricum hæreticum, hæc ſcribit: *Parvulis Chriſtianorum Chriſti intercluditur vita, dum Baptiſmi negatur gratia ∴ Quid, quæſo, quid invidet parvulis Salvatorem parvulum qui natus eſt eis? invidia hæc diabolica eſt*, &c.

3. ex Romanis Pontificibus. Siricius in Epiſt. ad Himerium cap. 2. hæc loquitur: *Infantibus, qui necdum loqui potuerint per ætatem, vel his quibus in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri unda Baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri*. S. Leo I. Epiſt. 86. *A parvulo recens nato*, inquit,

uſque

Digitized by Google

uſque ad decrepitum ſenem .·. nullus prohibendus eſt a Baptiſmate. Innocentius III. cap. *Majores* 3. *De Bapt.* ſic ſcribit: *Baptiſmus qui ſucceſſit loco ipſius, circumciſionis, tam adultis quam parvulis eſt conferendus.*

4. ex Conciliis. Ceteris præibit Carthaginenſe cui præfuit ann. 253. Cyprianus & interfuere Epiſcopi 66. hic nempe agitata fuit quæſtio a Fido propoſita, an infantes non ante octavum a nativitate diem, juxta *legem circumciſionis antiquæ*, baptizandi forent. En Concilii reſponſionem apud Cyprian. Epiſt. 59. *In hoc quod tu putabas eſſe faciendum, nemo conſenſit: ſed univerſi potius judicavimus nulli hominum nato miſericordiam Dei eſſe denegandam.* & infra: *Si a Baptiſmo atque a gratia nemo* etiam vetus peccator *prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit niſi* in *Adam*. Hac porro ſanctione non conditum eſt *decretum novum*, ſed ſervata Eccleſiæ antiqua fides, ut ponderat Auguſtinus Epiſt. 166. alias 28. ad Hieronymum.

Sequitur Concilium Milevitanum II. cui an. 416. cum Epiſcopis ad minimum 60. interfuit Auguſtinus. *Placuit*, ajunt Patres Can. 2. *ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat .·. anathema ſit.*

Succinit Concilium Gerundenſes an. 517. quod Can. 5. ſtatuit, ut parvuli, *ſi infirmi fuerint, & lac maternum non appetunt, etiam eadem die, qua nati ſunt .·. baptizentur.* Idem ſupponit & docet Synodus Bracarenſis III. an. 572. Can. 7. Ex quibus obiter colliges quam male ſcripſerint Walafridus Strabo Lib. de rebus Eccleſ. c. 26. & Ludov. Vives ad Auguſtini L. de Civit. Dei c. 27. *neminem niſi adultum antiquitus ſolere baptizari.*

Iſtas particularium Synodorum definitiones confirmarunt Concilia duo œcumenica. Prius, quod eſt Viennenſe an. 1311. ſic habet Clementina unica: *Credimus* Baptiſma *eſſe tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem.* Poſterius, quod eſt Tridentinum, poſtquam Seſs. 5. Can. 4. idem ad verbum repetit quod ſanxerat Milevitana Synodus, ſic decernit Seſſ. 7. Can. 13. *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe; ac propterea cum annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit.*

Prob. 3. argumentis Theologicis, quæ ſi contra Anabaptiſtas haud multum valent; Catholicos tamen in antiqua fide confirmare poſſunt. Primum ſic habet: Non eſt pejor quoad juſtificationis poſſibilitatem conditio infantium in Lege gratiæ, quam fuerit in Lege Moſaica: atqui ſi infantes juſtificationis per Baptiſmum recipiendæ incapaces forent, eſſet eorum conditio infinite pejor, &c. ergo.

Secundum ſic efficitur: Qui vult ſincere finem, non poteſt a mediis ad finem neceſſariis poſitivo decreto excludere, ut ex terminis liquet: atqui Deus omnium, adeoque & infantium ſalutem ſincere vult: aliunde vero Baptiſmus eſt, generaliter loquendo, medium ad ſalutem hujus ætatis neceſſarium: ergo fieri non poteſt ut Deus infantes poſitivo decreto excludat a Baptiſmate. Excluderet porro, ſi collatum ipſis Baptiſma, non illicitum modo, ſed & invalidum conſtituiſſet.

Ceterum concluſio noſtra ad ipſos infidelium infantes extenditur, ita ut valeat etiam Baptiſma iis collatum: quia vel ad validum Baptiſmum

non

non requiritur alia quam Miniſtri voluntas, vel ſufficit voluntas fidelium & Eccleſiæ, ut docet Auguſtinus Epiſt. 195. alias 25. quæ volmtas nunquam deeſt.

Objic. 1. Non valet Baptiſma niſi juxta Chriſti inſtitutionem collatum: atqui exigit Chriſti inſtitutio, ut Baptiſma iis ſolum conferatur, qui jam inſtructi fuerint & credentes, quales non poſſunt eſſe parvuli. Prob. min. tum ex Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. tum ex Marci 16. ubi ait Chriſtus: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit;* cui oraculo conſonat iſtud Pauli Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. Unde S. Petrus Act. 2. *Pœnitentiam agite*, inquit: *& baptizetur unuſquiſque veſtrum;* ergo.

Reſp. data, non conceſſa maj. ex qua colligi poſſit non valere Baptiſma adulto male credenti vel pœnitenti collatum, Reſp. ad 1. diſt. min. exigit Chriſti inſtitutio, ut Baptiſma nonniſi inſtructis & credentibus conferatur, exigit, inquam, ad hoc ut valide conferatur, neg. min. ad hoc ut conferatur licite, ſubd. ut conferatur adultis; qui doctrinæ, fidei & pœnitentiæ capaces ſunt, C. ut conferatur quibuſcumque, N. Itaque exigit Chriſtus, & exigimus omnes, ut nemini adulto conferatur Baptiſma niſi poſt apertam fidei profeſſionem, & mores in melius compoſitos; quia alioqui nocet Sacramentum, nedum proſit: ſed nunquam probabunt adverſarii Chriſtum exegiſſe hanc fidei, morumque converſionem, ut Baptiſma vel valide conferatur adultis, vel licite infantibus: cum nec hactenus ullum, qui infantes tangat, Scripturæ textum adducere potuerunt; nec ipſi, quod ſciam, adultos in hæreſi baptizatos rebaptizent.

Addunt aliqui cum Tournelyo Græcam Matthæi vocem, quam per verbum, *docete*, reddidit Latinus Interpres, idem eſſe ac *facite diſcipulos*. Sed quid inde? an qui mille apud Sinenſes baptizaverit parvulos, diſcipulos mille Chriſto peperiſſe dicetur?

Inſt. 1. Exigit Chriſti inſtitutio ut nemo infidelis baptizetur: atqui infantes ſunt veri nominis infideles; cum fidem, quæ eſt *ex auditu*, habere non poſſint; ergo.

Reſp. diſt. maj. exigit Chriſti inſtitutio ut nemo poſitive infidelis baptizetur, tranſeat; ut nemo infidelis negative, ſubd. ut nemo infidelis negative, qui fidei actualis capax ſit, C. qui incapax ſit hujus fidei, N. Itaque cum margaritæ ante porcos projici non debeant, conſtat Baptiſmum, ne iis quidem dandum eſſe adultis, qui infidelitate negativa laborant: hi enim etſi characteris capaces eſſe poſſint, nondum tamen capaces ſunt gratiæ regenerantis, quam præcipue intendit Chriſtus. At non ideo a Baptiſmate excludendi ſunt infantes, in quibus defectus fidei, non eſt culpa, ſed impoſſibilitas. Et vero ſi iis nocere poteſt perſonale peccatum Adami, quidni ipſis proſit fides aliena Eccleſiæ, accedente Baptiſmi Sacramento?

Dixi, *tranſeat*, quia indubie valet, licet non proſit, Baptiſma infideli poſitivo collatum, modo ei volenti & conſentienti applicetur materia & forma.

Inſt. 2. Quiſquis regeneratur, congruas ad gratiam regenerantem diſpoſitiones afferre debet: atqui has diſpoſitiones non habent parvuli; ergo.

Reſp.

Google

Reſp. diſt. ut ſupra : afferre debet congruas diſpoſitiones, ſi poſſit, C. ſecus, N. Itaque adultus, qui fidei & pœnitentiæ motus, adjuvante gratia, parturire poteſt, eoſdem Baptiſmo præmittere debet, ut potiorem ejus effectum percipiat; quia, ut bene Auguſtinus, *Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te :* ſed non continuo eaſdem exegit Chriſtus diſpoſitiones, a parvulis, qui earum incapaces ſunt. Certe qui ad ruinam ſine propriæ voluntatis motu habiles fuere, ad reparationem ſine ejuſdem voluntatis motu habiles eſſe poſſunt.

Ergo, inquies, poterunt pari jure infantes ad Euchariſtiam admitti; quod repugnat.

Reſp. 1. id olim factum eſse, & poſse etiamnum fieri, niſi obſtet Eccleſiæ conſuetudo, quæ quod ſapienter inſtituerat, ſapienter immutavit.

Reſp. 2. infantes longe magis indigere Baptiſmo, quam Euchariſtia; quia ſine hac ſalvari poſſunt, ſine illo non item. Adde quod Euchariſtia ſit alimentum ſpirituale, ad reparandas, quæ quotidianis lapſibus imminuuntur, animæ vires inſtitutum : porro quandiu in ea ſunt ætate nullam virium-imminutionem poſsunt experiri. Vide Concilium Trid. Seſs. 21. c. 4.

Objic. 2. Nemo niſi volens legibus graviſſimis obſtringi poteſt : atqui infantes Baptiſmum recipiendo graviſſimis obſtringerentur legibus, & quidem non volentes; ergo.

Confirm. in Baptiſmo initur Deum inter & hominem contractus onerosus : atqui ad valorem hujuſce contractus requiritur ſpontanea utriuſque partis conſenſio, prout docuimus Tom. I. Moralis noſtræ; ergo.

Reſp. 1. neg. maj. vel enim parvuli ex fideli proſapia orti ſunt, vel ex infideli. Si 1. non eſt opus eorum conſenſu ut addicantur Eccleſiæ; cum quicumque in aliqua civitate naſcuntur, iiſdem, quibus parentes, legibus obnoxii ſint. Si 2. non equidem poſsunt obſtringi, niſi is qui eorum voluntatis dominus eſt, eos independenter ab ipſorum voluntate obſtringi poſse voluerit : porro Chriſtus, eo ipſo quo parvulorum Baptiſma validum eſse voluit, voluit quoque eos Eccleſiæ legibus obſtringi poſse etiam non volentes. Et vero quidni velle potuerit, cum id totum in grande parvulorum bonum vergat? Unde

Reſp. 2. diſt. min. parvuli graviſſimis obſtringerentur legibus, ſed quæ inevitabiles ſint homini ſuam ſalutem volenti, C. ſecus, N.

Ad confirmat. diſt. maj. in Baptiſmo initur contractus Deum inter & hominem, quatenus Deus aliquid homini ſpondet, & homo Deo, C. quatenus poteſt inculpate homo id quod Deus exigit vel rejicere pro nutu, vel amplecti, N. Sic enim Deus pactum ſuum, pactique conditiones ordinat, ut quoties præcipit, toties homo, velit, nolit, obtemperare teneatur. De ceteris adi Bellarminum Lib. 1. cap. 9. ubi 36. ſolvit Miniſtrorum Tranſilvanorum argumenta.

Atque hinc inferes male ſcripſiſſe Eraſmum, *infantes poſtquam adoleverint, interrogandos eſſe, an ratas habeant promiſſiones per eorum ſponſores factas; & ſi recuſaverint eas confirmare, proprio arbitrio eſſe relinquendos, nec ad Chriſtianam vitam cogendos.* Quaſi vero non potuerit ſancire Deus, ut qui etiam puer recepiſset Baptiſmum, univerſæ Chriſtianæ legis implendæ debitor foret? Quaſi inſuper interrogarentur Hebræi

 ado-

adoleſcentes, an receptæ in infantia circumciſionis pactum ſervare vellent? Jure igitur ac merito citatam Eraſmi doctrinam ſuo confixit anathemate Synodus Tridentina Seſſ. 7. Can. 14. de Bapt.

Conclusio II. Non tantum licet, ſed & expedit parvulos ante rationis uſum baptizare.

Prob. 1. ex antiqua Eccleſiæ praxi, quam ſupra ut Apoſtolicam & univerſalem exhibuere Patres & Concilia; &, contra quam, licet id ex eorum re maxime foret, nuſquam inſurgere auſi ſunt Pelagiani.

Prob. 2. quia ei praxi conſtanter inſiſtendum eſt, quæ & plerumque neceſſaria eſt infantibus, & iiſdem, ubi etiam neceſſaria non eſt, prodeſt quam maxime: atqui talis eſt praxis pueros tingendi ab infantia: 1. enim plerumque neceſſaria eſt infantibus; cum inopinis caſibus rapiantur quotidie eorum plurimi, quibus, niſi res jam acta foret, nulla arte vel diligentia poſſet ſuccurri; 2. & iiſdem maxime prodeſt Pædobaptiſmi praxis, cum etiam neceſſaria non eſt. Tum quia minus a dæmone infeſtantur, qui jam dæmonis membra non ſunt; tum quia juvante, quam uberiorem recipiunt, gratia, fidei ac pietati firmius inhærent; tum denique quia ſi adulta ætas ad Baptiſmum expectaretur, multi male efformati; aut voluptatibus dediti, vel Baptiſmum recuſarent omnino, vel ſuſceptionem ejus in ſenectam & ſenium uſque differrent; quin & plerumque non baptizati morerentur. Atque hinc eſt quod Eccleſia Clinicos, eos nempe, qui ſe non ſinebant tingi niſi morbo premente, olim ab Ordinibus excluſerit tanquam irregulares, prout ſuo loco declaravimus; ergo.

Objic. 1. Si infantes licite baptizari poſſent, indubie aliqui a Chriſti diſcipulis baptizati eſſent: atqui falſum conſeq. cum nullum extet in Scripturis facti hujus veſtigium; imo & ibidem inſinuetur non baptizatos fuiſſe tunc temporis niſi viros & mulieres, prout diximus ſupra.

Reſp. ad 1. neg. min. cum enim, ut fuſe probavimus, a primis Eccleſiæ ſæculis viguerit infantium Baptiſma, pro certo habendum eſt uſum hunc ab Apoſtolis dimanaſſe, prout docuit nos Auguſtinus.

Nec nocet ſilentium Scripturæ; cum hic, ut in aliis pluribus, altum loquitur traditio. Et quot circa vitam & mortem Apoſtolorum ubique indubia, quæ nonniſi per viam traditionis ad nos devenere.

Nec nocet rurſus id quod dicitur Act. 8. v. 12. de baptizatis viris & mulieribus; tum quia qui unum dicit, aliud non negat; tum quia ubi tanta ſe offert baptizandorum multitudo, longe ſatius eſt rem ordiri a viris & mulieribus, quia & hi infantibus, ſi forte ex morbo periclitentur, opitulari poſſunt.

Objic. 2. Ea circa Baptiſmum ſequenda eſt praxis, quam ſuo nos exemplo docuere & Chriſtus, & ſancti pietate ac fama celebres: atqui Baptiſmatis differendi praxim docuere nos, 1. Chriſtus ipſe, qui nonniſi circa trigeſimum ætatis annum tinctus eſt; 2. viri ſanctiſſimi. Sic ut Conſtantinum & Valentinianum Imperatores omittam, Gregorius Nazianz. etſi piiſſimi Epiſcopi filius, non ante baptizatus eſt, quam ex Ephebis exiiſſet. Sic Baſilius Magnus licet a puero formatus ad virtutem, nonniſi in ætate virili tinctus eſt. Sic demum Joannes Chryſoſtomus, parentibus, ut verior habet ſententia, Chriſtianis ſatus, poſt annum

pri-

primum & viceſimum; ſic denique Hieronymus, Ambroſius, & Auguſtinus, Chriſtianis parentibus oriundi non ante trigeſimum ætatis annum fuere baptizati; ergo: Ita objicit Carolus Maria Du Veil Metenſis, Commentario in *Acta SS. Apoſtolorum*, Londini edito an. 1684. ad v. 37. cap. 8.

Reſp. ad 2. neg. maj. ad ſenſum objectionis: multa enim fecere Chriſtus & Sancti, quæ neceſſario ad imitationem ducenda non ſunt. Sic Salvator ante ſacræ Cœnæ inſtitutionem pedes Diſcipulorum lavit; nec tamen credimus abſtergendos pedes eorum qui ad ſanctam ſynaxim accedunt. Sic & idem Apoſtolos poſt Cœnam corpore ſuo refecit, quam praxim, licet ab Apoſtolis quandoque ſervatam, nemo hodie ſervare auſit.

Ad confirmationem ex quorumdam Sanctorum facto petitam, dico ex ea ſolum ſequi non omnes omnino idem circa unum aliquod diſciplinæ punctum ſenſiſſe, quod mirum non eſt: cum quotidie contingat ut quod uni factu optimum videtur, alteri diſpliceat. Ceterum quod nihil in gratiam Anabaptiſtarum e prædictis factis colligi poſſit, probant invicte duo: primum quod ne unus quidem ſit ex eis de quibus loquitur objectio, cui dilatum ſit Baptiſma, quaſi ejuſdem ob tenellam ætatem incapaci; ſecundum quod eorum plures male & extra rem citentur. Sic Auguſtinus matre licet piiſſima ſatus, patre erat Gentili, qui probabiliter filium ſuum baptizari paſſus non eſſet. Sic *Ambroſius*, verba ſunt Baronii ad an. 377. *factus Epiſcopus, ſe feciſſe*, id eſt Baptiſmum diſtuliſſe *doluit, & ab aliis ne in poſterum fieret vehementer admonuit*. Ceterum eo uſque improbabat Eccleſia eorum praxim qui Baptiſmum differebant diutius, ut eos ab altaris miniſterio excluderet; prout non ſemel annotavimus.

Inſt. Saltem credidit Tertullianus protrahendum eſſe parvulis Baptiſma eique conſenſit S. Gregorius Nazianz. En verba Tertulliani cit. Lib. de Bapt. cap. 18. *Veniant* ad Baptiſmum *dum adoleſcunt; veniant dum diſcunt, dum quo veniant docentur; fiant Chriſtiani, cum Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* ⁖ *Norint petere ſalutem, ut petenti dediſſe videaris.*

Reſp. non crediſiſſe Tertullianum ab iis peccari qui infantes tingunt, ſed melius eſſe & utilius, ut iis differatur Baptiſma; quod etiam extendit ad innuptos, *in quibus*, ait, *tentatio præparata eſt tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vagationem, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur*. Verum etſi magna fuit aliquando Tertulliani auctoritas, hanc ejus praxim rejecit Eccleſia, ut patet ex citata Cypriani ad Fidum Epiſtola. Neque id inconſulto factum, ſed prudentiſſime. Quoti enim, ſtante hac opinione, periiſſent infantes? quoti, deficiente Baptiſmi & proinde Confirmationis gratia, turpiter lapſi eſſent? quoti expectando an vidui fierent, aut *continentiæ corroborati* poſt viduitatem, ante obiiſſent diem ultimam, quam fuiſſent regenerati? Non ergo objicienda contra praxim Eccleſiæ auctoritas Tertulliani, ſed vindicanda contra Tertullianum praxis Eccleſiæ. Unde hic, ſi unquam, vigere debet id Vincentii Lirinenſis: *Quidquid* unus vel alter Patrum, *quamvis ille Sanctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter & proprias & occultas & privatas opiniunculas, a communis, publicæ ac generalis ſententiæ auctoritate ſecretum ſit; nec* Common. c. 39. apud Baluz. 18.

Z 2 cum

cum ſummo æternæ ſalutis periculo, juxta ſacrilegam ſchiſmaticorum conſuetudinem, univerſalis dogmatis antiqua veritate dimiſſa, unius hominis ſectemur errorem, praximve periculoſam.

Ceterum longe diſtat a Tertulliano Gregorius Nazianz. tametſi enim credidit expectandum, ſecluſo mortis periculo, triennium, ut baptizentur infantes, quia ſic fieret ut *quiddam audire, & reſpondere* poſſint: (quo etiam in puncto a ceteris Patribus deſertus eſt) at nihilominus docuit ſimul, infantes *propter inopinatos & ſubitos ac repentinos periculorum impetus lavacro communiri* debere, *antequam ratio accreverit; & vim hujus Sacramenti* ſatis *intelligant*: ergo S. Doctor longe plus a Tertulliano differt, quam differat a nobis. Quin & Gregorius per ſeipſum impugnari poteſt, ut notat Eſtius in 4. diſt. 4. §. 28. ſi enim ob inopinatos caſus poſt triennium differri non debeat Baptiſma; ergo nec ad triennium differri debet, cum quo imbecillius eſt corpuſculum infantis, eo graviora ipſi impendeant pericula.

Conclusio III. Baptiſmus actualem nullam in infantibus ſupponit fidem, ſed fixam & intrinſece inhærentem cum gratia ſanctificante & annexis virtutibus producit. Prima pars eſt contra Lutherum ejuſque aſſeclas; ſecunda contra Calvinum & Calvini diſcipulos, qui hominem non forma eidem intrinſecus inhærente, ſed per ſolam juſtitiæ Chriſti, peccata noſtra tegentis non delentis, imputationem juſtificari volunt.

Pag. 158. Prob. 1. pars, 1. quia, ut bene Silvius ad q. 68. art. 9. ſyſtema actualis infantium fidei repugnat experientiæ, & nullum habet in antiquitate fundamentum. Et vero quod ad Mariæ vocem exultavit Joannes Baptiſta in utero matris, factum eſt ſingulari gratia, quæ ſicut non probat infantes hodie renaſci, antequam nati ſint, ſic nec probat ipſos iiſdem donari ſenſibus, quos expertus eſt infans conceptus miraculo, & ad miracula natus.

2. quia fides conſiſtit in aſſenſu revelatis præſtito, ſecundum id Auguſtini Lib. de prædeſt. SS. *Credere, nihil aliud eſt, quam cum aſſenſione cogitare*: atqui infantes nec revelationis percipiendæ, nec conſenſus eidem libere præſtandi capaces ſunt. Quomodo enim divina, eaque intellectu difficillima perciperent, qui *nec humana adhuc noverint*? ait Auguſt. Ep. 187. alias 57. ad Dardanum.

3. ſi quid inſit fidei parvulis cum illico baptizandi ſunt, utique concipiunt quantum ſibi ex tanto Sacramento bonum obvenire debeat: cur ergo vagitibus ſuis & clamoribus Baptiſmo obluctantur, cur notam ſibi regenerationis gratiam quaſi recuſant? cur, niſi teneantur, non ad aquam ſalutarem, ſed ad ubera matris percurrant?

Ergo, ait Lutherus, male reſpondent ſponſores infantem credere, cum non credat.

Reſp. neg. ſequelam; quia vox *credo*, non ad præſentem, quæ nulla eſt, ſed ad futuram fidem refertur, ſicut vox *abrenuntio ſatanæ & pompis ejus*; non indicat præſentem receſſum a ſatanæ pompis, quibus profecto infans necdum titillari poteſt, ſed futurum.

Prob. 2. pars: Ut parvuli fixam & intrinſece inhærentem cum gratia ſanctificante & annexis virtutibus fidem recipiant in Baptiſmate, tria ſufficiunt, 1. ut iidem parvuli Deo placeant; 2. ut nonniſi per fidem

gra-

Google

gratia informatam placere poſſint; 3. ut fidei huic & gratiæ annecti ſoleant aliæ virtutes: atqui hæc tria conſtant. Et quidem 1. parvuli per Baptiſmum placent Deo; cum vere renaſcantur ex aqua & Spiritu ſancto, & ex inimicis Dei fiant amici ejus, quibus jus ad regnum cœleſte, & ſupernam hæreditatem competit; 2. nec Deo placere poſſunt parvuli niſi per fidem gratia informatam; cum ex Apoſtolo Hebr. 11. *Impoſſibile* ſit *ſine fide placere Deo*; & fides per quam Deo placetur, ſit neceſſario viva, ac proinde gratia juſtificante & charitate ſtipata; 3. demum fidei huic & gratiæ annexæ ſunt virtutes: nam quicumque ſine obice Baptiſmum recipiunt, fiunt naturæ divinæ conſortes, cohæredes Dei, Chriſti & Eccleſiæ membra, templa Spiritus ſancti, & organa quibus data occaſione uſurus eſt ad operandum, prout ex D. Chryſoſtomo docet Auguſtinus Lib. 1. contra Julian. cap. 2. atqui tot & tantæ dotes ſine virtutibus infuſis concipi non poſſunt; ergo eæ in infantibus etiam, non ſecus ac in adultis, produci debent. Unde S. Cyprianus Epiſt. 59. *Una eſt*, inquit, *divini muneris æqualitas apud omnes ſive infantes, ſive majores natu: nam gratia quæ baptizatis datur, non pro ætate accipientium major vel minor tribuitur, ſed de pietate atque indulgentia paterna æqualis omnibus præbetur*. *Vide infra c. 9.*

Prob. 2. ex Concilio Viennenſi ſub Clemente V. ubi ſic Clement. unica *De ſumma Trinitate*, §. 2. & 3. *Quia quantum ad effectum Baptiſmi in parvulis reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuiſſe: Quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti ſed gratiam non conferri: Aliis e contra aſſerentibus, quod & culpa eiſdem in Baptiſmo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur, quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundam, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante Concilio, duximus eligendam*.

Ergo, inquies, dubitatum aliquando fuit in Eccleſia an parvulis infunderetur gratia.

Reſp. id primo intuitu colligendum videri ex his citati Concilii verbis: *Quibuſdam dicentibus per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri*. Atque hoc ſenſu prædicta verba intelligere videtur Eſtius in 4. diſt. 4. §. 5. cum ait e veteribus Scholaſticis circa tempus P. Lombardi quoſdam putaſſe *non infundi* parvulis *gratiam & virtutes, ſed tantum imprimi characterem*: Alios vero, *quorum fit mentio in Viennenſi Concilio*, exiſtimaſſe *per Baptiſmum parvulis remitti quidem peccatum, ſed non infundi gratiam & virtutes*, quod & de circumciſione reſpectu Judæorum ſenſit idem Lombardus: *Sed & hæc ſententia*, ait idem Eſtius, *cum veritate fidei Catholicæ non ſubſiſtit*. *Pag. mihi 49.*

Sunt tamen qui credunt nuſquam dubitatum eſſe *apud Orthodoxos, an parvulus per Baptiſmum mente renovetur ac ſpiritalis efficiatur, vereque juſtificetur non ſola peccatorum remiſſione, ſed ea juſtitia quæ vivum Dei membrum, ac Dei filium vita æterna dignum conſtitueret; ſed* ſolum *de* *Eſtius p. 50.*

qualitate ſeu habitu gratiæ & virtutum; adeout utriuſque claſſis Theologi ex æquo faterentur in infantibus baptizatis produci *aliquid internum, fixum & ab actibus diſtinctum per quod formaliter regenerentur;* ſed contenderent primi, iique numero pauciores, illud fixum & ab actibus diſtinctum, non eſſe verum habitum, aut qualitatem inhærentem per modum habitus. Ita idem Eſtius ibid. ſeu bene vel male ſibi conſtet, & Tournely de Bapt. p. 397. quem tacito nomine perſtringit L'herminier p. 287.

Sed qualiſcumque fuerit priorum Theologorum opinio, potuit ab ea recedere Viennenſis Synodus; (prout a ſententia S. Cypriani circa Baptiſmi ab hæreticis collati invaliditatem receſſit Eccleſia;) præſertim cum opinio hæc jam a *pleriſque* rejiceretur tempore Innocentii III. ut patet ex cap. *Majores* 3. *De Bapt.* &c. & ubi profundius examinata eſt, minus *dictis Sanctorum* conſonare deprehenſa fuerit.

Circa an. 1250.

Prob. 3. ex Concilio Tridentino, ubi ſic legere eſt Seſſ. 7. Can. 13. *Si quis dixerit parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe; ac propterea cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos, anathema ſit,* & Seſſ. 6. Can. 11. *Si quis dixerit homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum diffunditur, atque illis inhæret, anathema ſit.* Unde ſic: Ex Tridentino, quicumque juſtificantur, ut indubie per Baptiſmum juſtificantur parvuli, & fidem, licet ab actu diviſam & gratiam una cum charitate in cordibus ſuis diffuſam, illiſque inhærentem recipiunt: atqui ubi eſt tum fides ab actu diviſa, tum eſt gratia cum charitate inhærens, ibi eſt fixum quid & permanens; quod per nomen habitus, quia deeſt vox magis commoda, exprimere ſolemus; ergo.

Prob. 4. ex Patribus. Chryſoſtomus Homil. ad Neophytos, Baptiſmi effectus his recenſet verbis: *Ecce libertatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo ante captivi; & cives Eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in peregrinationis errore; & juſtitiæ in ſorte verſantur, qui fuerunt in confuſione peccati. Non enim tantum ſunt liberi, ſed & ſancti; non tantum ſancti, ſed & juſti; non ſolum juſti, ſed & filii; non ſolum filii, ſed & hæredes; non ſolum hæredes, ſed & fratres Chriſti; nec tantum fratres Chriſti; ſed & cohæredes; non ſolum cohæredes, ſed & membra; non tantum membra, ſed & templum; non tantum templum, ſed & organa Spiritus. Vides quot ſint Baptiſmatis largitates, & nonnulli deputant cœleſtem gratiam in peccatorum tantum remiſſione conſiſtere: Nos autem honores computavimus decem. Hac de cauſa etiam infantes baptizamus ∴ ut eis detur ∴ ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ſint ejus membra.* Hæc Chryſoſtomus, quæ ab Auguſtino totidem verbis recitantur Lib. contra Julianum 1. cap. 6. Addit S. gratiæ Doctor Lib. 1. de peccat. merit. c. 9. Chriſtum *occultiſſimam ſui ſpiritus gratiam latenter* infundere *& parvulis.* Idem uno concentu docent ceteri Patres, qui gratiam quibuſcumque conferatur, vocant animæ ſanitatem, vigorem, Dei filiationem, nativitatem novam, ac regenerationem: atqui eæ tanti momenti prærogativæ, & denominationes per aliquid mere externum explicari non poſſunt; ergo.

Objic.

Digitized by Google

Objic. 1. auctoritatem S. Hieronymi, qui Lib. 1. adv. Pelagianos c. 8. ſic habet: *Si Baptiſmus ſtatim juſtum faceret, & omni plenum juſtitia, nequaquam Apoſtolus Neophytum refutaret: Baptiſmus* igitur *vetera peccata conſcindit, novas virtutes non tribuit;* ergo Baptiſmus delet quidem peccata, ſed virtutes nullas tribuit.

Reſp. diſt. conſeq. non tribuit virtutes ad ſenſum Pelagii, C. ad ſenſum fidei catholicæ. N. Itaque pugnat eo loci S. Doctor contra Pelagianos, qui hominem per Baptiſma ſic *juſtum & homini plenum juſtitia* fieri contendebant, ut repente virtutis cujuslibet quantumvis arduæ actus elicere conſtanter, & ideo ſine peccato ſemper vivere poſſet. Senſum hunc merito impugnat S. Pater, ut fidei pariter & experientiæ contrariam: quia etſi Baptiſmus habitus virtutum tribuit, non tamen etiam adultis, de quibus (& id notandum) ſicut & de parvulis loquitur Hieronymus, ſtupendam hanc largitur facilitatem, quam per ipſum invehi exiſtimabant Pelagiani: at non ideo negavit S. Doctor virtutes quoad ſubſtantiam infundi baptizatis; cum nec apertam ea de re Traditionem ignoraverit; nec ſua contra Pelagianos Opera intermiſerit, niſi quia vidit & miratus eſt Auguſtini ea de re Opera, in quibus Eccleſiæ doctrina traditur apertiſſime.

Inſt. Atqui Auguſtinus ipſe nullum in parvulis habitum fidei agnovit; ergo. Prob. ſubſ. qui docuit parvulos non a fide propria, ſed a ſponſorum aut Eccleſiæ fide fideles vocari, ille nullum verum in parvulis fidei habitum agnovit: atqui Auguſtinus docit ∴ Prob. min. 1. ex Epiſt. 98. alias 23. ubi ſic legitur: *Cum reſpondetur parvulus credere, qui fidei nondum habet affectum, reſpondetur fidem habere propter fidei Sacramentum,* & infra: *Itaque parvulum, etſi nondum fides illa, quæ in credentium voluntate conſiſtit, jam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit;* ergo.

Reſp. diſt. maj. qui docet parvulos non a fide propria dici fideles, qui, inquam, id docet ut omnem prorſus a parvulis fidem excludat ∴ C. qui docet parvulus, &c. ut ſolum actualem ab iis fidem excludat, N. ſic diſt. min. neg. conſeq. itaque Auguſtinus, & merito quidem, nullum in infantibus fidei affectum, nullam, quæ in actuali credentium voluntatem conſiſtat, fidem admittit: at non ideo quamcumque etiam latenter & permanenter infuſam fidem abnegat infantibus. Qui enim aſſerit per Baptiſmum *trajici in parvulos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerant:* qui docet quod *eos vitæ ſpiritus in Chriſto regenerat fideles,* ſicut *eos corpus mortis in Adam generat peccatores,* ille certe veram & fixam in parvulis fidem agnoſcit: atqui Auguſtinus utrumque ipſiſſimis terminis docet Lib. 3. de peccat. merit. c. 2. ergo.

Cur autem parvulorum fidem habitus nomine non donet Auguſtinus, hæc ratio, nec improbabilis reddi ſolet, quod ex Philoſophorum uſu, nomen habitus aliquid amplius importet, quam nudam ac veluti ſopitam qualitatem; nempe facilitatem, ac inclinationem, ſeu expeditam motionem ad agendum; cum enim hæc non detegatur in parvulis, ſatius judicavit S. Doctor ab habitus vocabulo abſtinere. Ita Eſtius ibid. §. 6. & alii.

Objic. 2. Si gratia parvulis infundatur per modum alicujus fixi & perma-

nentis, neceſſum eſt ut fixum illud & permanens, ſit vera qualitas; ac proinde verus habitus; cum ad nullam aliam ex qualitatibus ab Ariſtotele aſſignatis revocari queat: atqui gratia parvulorum non poteſt eſſe habitus. Habitus enim eſt, juxta Philoſophos, Qualitas & a ſubjecto difficile mobilis, & agendi promptitudinem tribuens: neutrum porro competit infantium gratiæ, quæ amitti facile poteſt, & nullam ſupernaturaliter agendi facilitatem tribuere videtur.

Reſp. ad *t.* 1. neg. maj. etſi enim ſupernaturalia Dei dona inter bonas qualitates recenſeri debent, haud tamen neceſſum eſt ut illa omnia ſtricte revocentur ad qualitates ab Ariſtotele enumeratas; cum poſſit indubie plura Deus facere, quam Ariſtoteles potuerit intelligere.

Reſp. 2. diſt. min. gratia parvulorum non poteſt eſſe habitus naturalis vel acquiſitus, C. infuſus & ſupernaturalis, N. Nihil porro impedit quominus habitus quidem infuſi deperdi facile queant, aut ita ſopiti ſint, ut ſine novo adjutorio in actum numquam erumpant. Atque id nimium, proh dolor! patet in juſtitia chriſtiana, a qua, quidquid in contrarium dictitaverit Auctor recens, poteſt homo fidelis in ictu oculi excidere, prout Davidi contigit. *Vide Tom. I. Moralis noſtræ*, pag. 2.

Inſt. Habitus, cujuſcumque ſit generis, ad aliquid inſervire debet: atqui fides & gratia, quas ſupponimus a parvulis in Baptiſmo recipi, ad nihil inſerviunt. Finge enim parvulum in ſilva baptizatum; is ubi adoleverit, nec Deum trinum credet, niſi de novo edoceatur; nec alterius cujuſcumque ſupernaturalis virtutis actum eliciet; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. fides enim & gratia parvulos efficiunt Deo intrinſece amabiles, cohæredes & fratres Chriſti, ſancti Spiritus organa. Quis porro tantos effectus nihil aut parum eſſe credat?

Ad 2. neg. conſeq. aliud enim eſt virtutes parvulis infuſas ad nihil inſervire; aliud eaſdem per ſe ſolas non ſufficere ad omnes effectus. Neque vero mirum eſt quod habitus parvulorum non ſufficiant ad eliciendos fidei, aut aliarum virtutum ſupernaturalium actus; cum & ad id opus ſit nova gratia; & eo differant habitus per ſe infuſi ab acquiſitis, quod hi, utpote crebris ac repetitis actibus comparati, ex ſe ad ſimiles actus moveant & inclinent; illi vero, utpote in nobis ſine nobis in infantia dati, nihil tale operari debeant. Unde ſi deſit inſtructio, & adſit, ut frequentius adeſt, mala inſtitutio, mens infantis facile perdet id quod ſine labore & conatu comparaverat.

SECTIO SECUNDA.

An infantes omnes baptizari poſſint.

INfantium alii adhuc materno in ſinu deſiteſcunt, alii jam foras prodiere. Ex his quidam aliquando monſtri ſpeciem habent; ceteri nihil præferunt ab effigie humana alienum; & hi rurſus vel a Chriſtianis oriundi ſunt, vel ab infidelibus.

Porro infidelium non una eſt conditio: alii ſiquidem baptizati ſunt, ut Hæretici & Apoſtatæ; alii, qui ſtrictius infideles vocantur, nuſquam baptizati ſunt, ut Judæi plerique: & hi vel nullatenus ſubditi ſunt

Prin-

Principibus Chriſtianis, vel iiſdem ſubditi ſunt, ſeu civiliter tantum, ut communes Regum ſubjecti, ſeu ſerviliter, ut mancipia. Sit jam

CONCLUSIO I. Parvuli in ſinu materno penitus abſconditi, non ſunt capaces Baptiſmatis.

Prob. quia ad validitatem Baptiſmi, non ſufficit ut infans originali labe fœdatus ſit, ſed neceſſum eſt ut phyſice aqua ablui poſſit: atqui aqua phyſice ablui nequit, qui ſecundum ſe totum latet in utero matris; ergo. *Vide quæ ſupra dixi cap. 3. art. 2. pag. 299.*

Objic. 1. Qui natus eſt in primo Adam poteſt renaſci in ſecundo: atqui infans de quo loquimur, jam natus eſt in primo Adam; cum ejus peccatum contraxerit; ergo. Et vero Joannes Bapt. & forte Jeremias jam ab utero matrum ſanctificati ſunt; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. nam infans ille conceptus quidem eſt in Adam; ſed nondum proprie natus. Alioqui triplex admittenda foret infantium nativitas, prima in utero, ſecunda ex utero, tertia ex aqua & Spiritu ſancto; quæ tamen ultima ſolet ſimpliciter ſecunda nativitas appellari. Ita S. Auguſt. Ep. 187.

Nec nocent allata Joannis Bapt. & Jeremiæ exempla; quia quæ extra ſolitum providentiæ ordinem ſunt, in exemplum trahi non debent. Ita & bene doct. Tournely.

Objic. 2. Partus eſt aliquid matris; ergo ſaltem baptizata matre infans cenſebitur baptizatus.

Reſp. diſt. ant. partus eſt aliquid matris, ideſt ſummam habet cum matre connexionem, C. ideſt ſe habet ad matrem, ut pars ad totum, N. Ita fere S. Thomas.

Inſt. Tam licet matrem pro puero baptizare, cum is ablui aliter non poteſt, quam vivum pro mortuo: atqui hoc poſtremum licet. Prob. min. ex Sancto Paulo qui I. Cor. 15. v. 29. hæc habet: *Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt;* ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad textum Apoſtoli, quo nullus forte obſcurior eſt in Scriptura, itaut viginti ad minimum modis explicetur ab Interpretibus, Dico hic per Baptiſmi nomen intelligi ærumnas & cruciatus, & per vocem *mortuos*, infideles, eoſve qui gratiæ per peccatum mortui ſunt. Unde is eſt Apoſtoli ſenſus: Si mortui non reſurgunt, ut quid Evangelii præcones, ut ſpiritualiter mortuos ad gratiæ vitam revocent, ſeſe tot conviciis & cruciatibus objectant, &c. habet quidem expoſitio hæc duplicem metaphoram, ſed quarum neutra ſit ſine exemplo. Sic Chriſtus ut ſuam & Apoſtolorum paſſionem exprimat, *Poteſtis*, inquit Marc. 10. *baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari:* ut vero peccatores & mundi aſſeclas deſignet: *Dimitte*, ait Matth. 8. *mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Quis porro metaphoram a Chriſto uſurpatam, a Paulo uſurpari potuiſſe neget? *Vide Maldutium diſſert. 4.*

Objic. 3. Deus vult omnes homines, adeoque & infantes nondum editos in lucem, ſalvos fieri; ergo & iis de remedio ad ſalutem neceſſario providit.

Reſp. diſt. ant. Deus vult voluntate antecedente, & cujus effectui obſiſtere poſſunt circumſtantiæ loci & temporis ∴ C. vult voluntate abſolu-

ſoluta, N. Solutionis expoſitio fuſior pertinet ad Tractatus de Attributis & Gratia.

Quæres an matrem ſtatim morituram aperire liceat, ut infanti per Baptiſmum ſuccurratur.

Reſp. matrem nunquam aperiri poſse cum certo vitę periculo, quia *non ſunt facienda mala ut eveniant bona*; Rom. 3. Excipiunt aliqui cum Grandino, niſi mater rea ſit, & damnata ad mortem: tunc enim, inquiunt, ſervato juris ordine poſset cædi, ſi tantum ob prolis incolumitatem mors differretur. Verum longe humanius ſentiunt, qui executionem, imo & ſententiam ad partum uſque differri volunt, ne quid mali obveniat puero ex deſperatione vel mœſtitia matris. Ceterum gravida mulier, ſtatim ac extincta eſt, aperiri debet, ut extracta proles baptizetur, niſi hanc jam mortuam eſse conſtet.

Grand. p. 95.

Conclusio II. Monſtra quæ ſunt mulierum partus, baptizari aliquando debent, aliquando non.

Probatur, vel potius explicatur Concluſio. Nempe monſtra hæc in triplici ſunt differentia: quædam humanam ſpeciem certo excludunt, quædam certo habent, quædam ambigue. Porro prima baptizari non debent; debent ſecunda; tertia indigent examine. De his autem judicium preſertim ſumendum eſt ex capite, quod rationis & ſenſuum ſedes ęſtimatur. Si caput humanum eſt, vel humano propius, ea baptizari oportet; licet membra ſint ferina: ſi autem ferinum ſit caput, ceteri vero artus humani; tunc, ſiquidem ex viri & feminę congreſsu prodierit, baptizandum eſt, abſolute quidem juxta Comitolum Lib. 1. Reſp. mor. q. 8. conditionate vero, juxta alios plures, propter dubium an ſit homo. Sin vero prodierit ex femina & bruto, non poterit baptizari, quia ſatyrus ſit, non homo, nec deſcendat ex Adam, utpote non conceptus ex ſemine virili. Ita Henriquez qui S. Thomam citat, Poſsevinus, Bonacina diſput. & q. 2. punct. 6. num. 3. Henricus a Sancto Ignatio num. 146.

Major eſt difficultas de monſtris, quę ex homine & fera prodierint. De his duo ſtatuimus, 1. recurrendum eſt ad Epiſcopum, ſi tempus licebit; 2. ſi res moram non patitur, conferendum erit ſub conditione Baptiſma iis, quę in pręcipua ſui parte humanam ſpeciem pręferunt: quia ſatius eſt decem Baptiſmi incapaces baptizare conditionaliter, quam capacem unum excludere: porro etſi *vel omnino, vel fere inauditum ſit, quod* ex tali congreſsu *natus ſit homo*, non eſt id tamen prorſus impoſſibile. *Vide eumdem Henricum a S. Ignat. n. 147.*

Gobat n. 278.

Si monſtrum, undecumque illud natum fingatur, poſtquam creverit, extraordinarie repugnet Baptiſmo, diſpiciendum erit, an repugnantia hęc a libero voluntatis uſu procedat, an non a dęmone, qui ſuum ſibi eripi mancipium indigne ferat. Si 1. negandum erit Baptiſma, quod nolenti dari non poteſt. Si 2. non negabitur, cum obſtare non debeat malitia dęmonis, ne cuipiam de remedio ad ſalutem neceſsario provideatur.

Sed quid ſi infans certas corporis geminas habeat.

Reſp. inprimis ſi gemelli ſibi invicem ſint adnati, ſeorſum uterque eſt baptizandus, idque abſolute; quia non unus, ſed duo homines fuerint.

Si

Digitized by Google

Si autem partus non fuerit proprie duplex, inſpiciendum erit quæ partes ſint geminæ. Si monſtrum capita gerat duo, duo & pectora, duplici donandum erit Baptiſmo, & id abſolute, licet membra cetera ſimplicia ſint. Si autem duo quidem capita, ſed unum habeat pectus, in uno capite ſemel baptizandum erit abſolute, in altero rurſum ſub conditione, *Si non es baptizatus*, &c. Ratio eſt, quia in primo caſu, ubi præcipuæ geminantur corporis partes, duplicem agnoſcunt animam ſaniores Theologi; in ſecundo autem caſu hærent & ſuſpenſi ſunt. Unde in primo caſu, ſi periculum urgeat, dicendum erit ſimpliciter, *Ego vos* baptizo; in ſecundo addendum erit, *in quantum capaces eſtis*, aut aliud ſimile. Legatur ea de re S. Carolus Borrom. 4. part. Act. tit. *Quæ Parochus in Baptiſmi miniſtratione animadvertat.*

Ex his infeces non debere baptizari carneam maſſam, quæ nullam habeat organorum diſpoſitionem. Et vero Rituale Pauli V. cui in hac re credendum magis, quam quibuſdam medicis contra ceteros ſeu medicos ſeu philoſophos pugnantibus, prohibet ne fœtus ante vitalis motus ſigna baptizetur. Neque id mirum, cum ubique receptum ſit non ante infundi animam corpori, quam iſtud certa organorum diſpoſitione informatum fuerit.

Quæres an baptizandi ſint amentes & furioſi.

Reſp. cum S. Thoma q. 68. art. 12. *Circa amentes & furioſos eſt diſtinguendum. Quidam enim ſunt a nativitate tales, nulla habentes lucida intervalla, in quibus etiam nullus rationis uſus apparet: & de talibus, quantum ad Baptiſmi ſuſceptionem, videtur idem eſſe judicium ac de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ .·. Alii vero ſunt amentes, qui ex ſana mente quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt: & tales ſunt judicandi ſecundum voluntatem quam habuerunt, dum ſanæ mentis exiſterent: & ideo ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, debet eis adhiberi in furia & amentia conſtitutis; etiamſi actu contradicant: alioqui ſi nulla voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi. Quidam vero ſunt, qui, etſi a nativitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione uti poſſunt: unde ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt, etiam in amentia conſtituti, & debet eis tunc Sacramentum conferri, ſi periculum timeatur: alioqui melius eſt ut tempus expectetur in quo ſint ſanæ mentis, ad hoc quod devotius ſuſcipiant Sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi Baptiſmum, baptizari non debent in amentiam conſtituti. Quidam vero ſunt, qui etſi non omnino ſanæ mentis exiſtant, in tantum tamen ratione utuntur, quod poſſunt de ſua ſalute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem: & de talibus idem eſt judicium, ſicut de his qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.*

Si tamen, ait hic Silvius, amentes & furioſi, quo tempore lucida habentes intervalla, Baptiſmi deſiderium exhibuere, *retinebant voluntatem perſeverandi in concubinatu, vel alio peccato mortali*, jam ne in periculo quidem baptizari deberent, *ſic enim eſſent indigni Baptiſmo, quem ſuſciperent quidem valide, ſi illis miniſtraretur, ſed inutiliter; quia judicandi ſunt ſecundum voluntatem, quam habuerunt cum eſſent extra furiam vel amentiam.* Sed de his a ſimili rurſus ubi de Pœnitentia.

Circa

Circa tertiam difficultatem quæ filios infidelium ſpectat, ſupponendum 1. contra Durandum parvulos quorumlibet infidelium, invitis parentibus valide baptizari, quia ad Baptiſmi validitatem ſufficit hinc quidem capacitas ſubjecti, inde autem materia & forma cum debita Miniſtri intentione; quæ omnia occurrerent in præſenti. Deeſſet quidem parentum voluntas; ſed hanc nec Scriptura nec Traditio requirit ad valorem Baptiſmi. *Non enim*, ait Auguſt. Ep. 98. alias 23. *ſcriptum eſt, Niſi qui renatus fuerit ex parentum voluntate; ſed, Niſi qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu.*

Supponend. 2. filios infidelium, qui fidem ſuſceperunt aliquando, ſed ab ea defecerunt, poſſe invitis etiam parentibus baptizari; tum quia poteſt Eccleſia parentes ipſos ad ſervandam fidem cogere, atque ſi pertinaces ſint tradere brachio ſæculari, proinque & ipſis auferre poteſtatem quam in filios habent; tum quia filii eo ipſo quo naſcuntur ex parentibus Chriſtianis, ideoque & Eccleſiæ ſubjectis, ipſi quoque Eccleſiæ ſubjecti ſunt, ut alii infantes. An autem hujuſmodi pueros baptizari expediat, cum parentes in regionem infidelem tranſmigrarunt, colligetur ex infra dicendis.

Supponend. 3. infidelium filios, ſi rationis uſum habent, & Baptiſmum ſponte petant, poſſe etiam, non obſtante parentum renixu ablui; quia in iis quæ juris ſunt divini, & ad æternam ſalutem pertinent, ſui ſunt arbitrii, ſuæ & electionis. In dubio an puer qui Baptiſmum expetit, rationis uſum habeat, judicandum in favorem Baptiſmi, ſi ſeptennium compleverit; imo etiamſi non compleverit, ſi periculum ſit ne deinceps, deficientibus Miniſtris baptizari non poſſit.

Supponend. 4. puerum, ſi parentum alterutter conſentiat, reluctante alio baptizandum eſſe: 1. quia talis conſenſus ab eo datur, qui jus habet, & quidem potius, utpote divino juri congruum magis; 2. quia idem conſenſus vergit in utilitatem pueri & favorem Religionis: porro *ſummam eſſe rationem quæ pro Religione facit*, ubique receptum eſt, ut pa-

ff. L. 11. tit. 7. tet ex Leg. 43. ff. *De religioſis & ſumptib. funer.* 3. quia ſic ſanxerunt Concilia & ſummi Pontifices: *Filii*, ait Synodus Toletana IV. Can. 62. *qui ex talibus*, Judæis ſcilicet, qui Chriſtianas mulieres duxere, *nati exiſtunt, fidem & conditionem matris ſequantur. Similiter & hi qui procreati ſunt ex mulieribus infidelibus, & fidelibus viris, Chriſtianam Religionem ſequantur.* Idem conſtituit Gregorius IX. cap. 2. *De converſ. infidel.* Quin &, teſte Silvio ad qu. 68. art. 10. concl. 6. dicitur Gregorium XIII. ſtatuiſſe, ut puer, quem baptizari volebat avus paternus, baptizaretur invita matre Judæa, quæ marito ſuperſtes erat; quia ſcilicet in avum tanquam patrem recidit nepotum cura. Id tamen limitandum, ſi puero jam utcumque grandi certum immineat periculum ſeductionis a parente infideli, a quo ſeparari non poſſit: hoc autem periculum ſemper gravius eſt in regionibus quæ reguntur a Principe infideli.

Supponend. 5. infantes, qui jure vel injuria a parentibus infidelibus avulſi ſunt, & tam procul ab iis diſtant, ut jam iis providere non poſſint, nec ipſos moraliter recipere, poſſe etiam baptizari. Ratio eſt, quia paterna jura, quæ jam a parentibus exerceri non valent, ad eos tranſire, qui puerorum curam gerunt; ergo & iis uti poſſunt in bonum

pueri

Digitized by Google

pueri & executionem divinæ legis. Quod ſi, ait Silvius ibid. concl. 5. filii *eſſent injuſte ſeparati, & vel parentes poſſent conſuli, vel pueri illis remitti, alterutrum eſſet faciendum: quia cum ſeparatio fuerit injurioſa, nullum jus ablatum eſt a parentibus.* Verum hujus deciſionis veritas a ſequenti pendet.

Supponend. 6. infantes de quorum vita moraliter deſperatur, baptizari poſſe, ſine conſenſu, modo tamen ſine contumelia parentum; tum quia hæc agendi ratio ſic conſulit infantium ſaluti, ut parentes vere non offendat; tum quia cum Sacramenta in gratiam hominum inſtituta ſint, non econtra, longe ſatius eſt Sacramentum tenuis irreverentiæ periculo exponi, quam hominem certo damnationis periculo.

Quin & cenſent Theologi non ignobiles probabile eſſe quod Sacerdoti liceat quoſcumque infidelium infantes, inſciis omnino parentibus baptizare. Rationem dant 1. quod tunc nullum ſubſit periculum profanationis formalis Sacramenti, quidquid de materiali eſſe poſſit; 2. quod periculum ſubverſionis, cujus timor hic moram injicere poſſet, utcumque compenſatur probabili ſpe mortis ante ſubverſionem; cum ex computatione facta Hiſpali, quæ populoſa eſt Hiſpaniæ civitas, deprehenſum ſit tot ferme mori infantes ante rationis uſum, quot intereant eodem obtento; & Londini compertum ſit per ſchedas, quas mortalitatis vocant, ex infantibus centum non ſupereſſe poſt annos ſex niſi ſexaginta quatuor, & poſt ſexdecim annos, ſolum quadraginta; 3. quia ſi conferuntur Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta ægris probabiliter, imo & longe probabilius relapſuris; quidni & detur Baptiſma, quod deinceps dari non poterit, infanti forte hinc ſalvando, ſi moriatur; forte etiam, ſi vivat, potentiori qua juvabitur gratia bene uſuro. Ita poſt Farvacium Henricus a S. Ignatio ibid. n. 144. qui & hanc opinionem ex S. Franciſci Xaverii Litteris erui poſſe opinatur.

Mihi quidem in his caſibus conſtituto, tria hæc, quantum nunc affectus ſum, facienda ducerem: 1. recurrerem ad Sedem Apoſtolicam, aut viciniores locorum Prælatos, & precarer ut in itinere ſcopulis hinc & inde obſito, docerent me viam rectam & bonam; 2. ſi deeſſet id auxilii, Spiritum ſanctum interrogarem ſupplex, ejuſque nutibus obſequerer; 3. cum iis qui in hac materia diverſa ſentientes, diverſa facerent, viverem pacificus; quia conſtat utroſque ſolam Dei gloriam inquirere, quam alii in probabili puerorum plurium ſalute intuentur, alii in agendi ratione prorſus oppoſita. Interim nunc in Farvacii opinionem propendeo.

Supponend. 7. cum plerifque contra paucos, infantes infidelium, qui Chriſtianis Principibus ſerviliter ſubjecti ſunt, poſſe atque etiam debere invitis parentibus baptizari. Quod *poſſint* liquet; quia cum partus ſequatur ventrem, parvuli naſcuntur mancipia ſicut parentes; ſicque cum poſſit dominus illos vendere, a parentibus ſeparare, ac aliis tradere educandos in fide catholica, poteſt conſequenter eos ad Baptiſmum efferre, ſine injuria parentum, & periculo ne profanetur Baptiſmus. Quod autem *debeant*, non minus certum eſt; quia qui ſuccedit in locum patris, ejuſdem officio fungi debet, ſi citra grave incommodum poſſit; ac proinde parvulis miniſtrare neceſſaria, non ad vitam corporalem ſolum,

lum, ſed & præcipue ad vitam ſpiritualem, cujus janua eſt Baptiſmus: atqui Princeps in hypotheſi noſtra ſuccedit in locum patris; ergo.

Hæ rationes probant pro Baptiſmo eorum etiam infantium qui in bello juſto capti fuerint: niſi tamen obſtent receptæ inter eos qui bellum gerunt, conventiones. Si enim pactum ſit utrinque, prout moris eſt in his partibus, ut bello capti ſeu pecunia, ſeu commutatione redimantur, ſervanda erit fides legum. Quamquam nec tunc baptizare dubitarent, qui cum Farvacio ſentiunt, ob rationes paulo ante allatas.

Objic. Jus naturale prævalet juri Gentium: atqui jus quod habent parentes ad inſtituendam prolem eſt a natura; quod vero in filios mancipiorum habent Principes, a ſola Gentium conventione; ergo.

Reſp. diſt. maj. jus naturale integrum prævalet juri Gentium, C. jus naturale juſto titulo deperditum, N. Porro in mancipiis, ſicut & in eis qui juſto in bello capti ſunt, non manet integrum jus naturale: unde ſicut utrique a libertate ſibi per naturam conceſſa excidunt quoad ſe, ſic & utrique a jure ſuos pro nutu filios inſtituendi excidunt. Ita & bene Henno, quo cum inferes filios qui etiam ante ſervilem patris conditionem nati fuerint, eodem invito poſſe baptizari: quia cum mancipium jam ſui juris non ſit, neceſſum eſt ut poteſtas ejus devolvatur ad Principem, cui nihil factu melius incumbit, quam ut æternæ ejus ſaluti per Baptiſmum provideat.

Jam ergo inquirendum ſupereſt an filii infidelium, qui nonniſi civiliter Chriſtianis ſubjecti ſunt, poſſint invitis parentibus baptizari. Qua de re duplex eſt opinio, affirmans prima quam tenet Scotus cum ſuis, negans altera cui inhærent Thomiſtæ poſt Angelicum Doctorem q. 68. art. 10. Utraque opinio ſuis indiget exceptionibus: neque enim vel aſſerit Scotus, Principem, qui Judæis v. g. promiſerit paſſurum ſe ut judaice vivant, poſſe eorum filios contra datam fidem adigere ad ſuſceptionem Baptiſmi; neque, opinor, contendet S. Thomas, Principi, qui alia quacumque via rebellia & tumultus infidæ plebis avertere nequeat, vetitum eſſe a parentibus ſubſtrahere filios, iiſque chriſtianæ inſtitutionis legem indicere. His ergo præciſis hypotheſibus, ſit

CONCLUSIO III. Poſſunt Chriſtiani Principes præcipere ut infidelium, ſibi politice dumtaxat ſeu civiliter ſubjectorum, filii invitis etiam parentibus baptizentur.

Prob. 1. ſi Principes iis de quibus agitur Baptiſmum procurare non poſſent, utique quia iſthæc eorum agendi ratio inveheret vel contemptum patriæ poteſtatis, adeoque & juris naturalis tranſgreſſionem, vel irreverentiam Sacramenti: hæc enim unica eſt ratio cui innituntur Tournelyus & alii: atqui neutrum timeri debet in præſenti caſu. Ad hoc enim ſufficit ut infidelium filii parentibus ſuis citra injuriam auferri poſſint pie & chriſtiane educandi: atqui filii infidelium .·.· Prob. min. 1. quia non magis Princeps injuriam facit patri, cum eidem filium ſuum aufert ad avertendam ab ipſo mortem animę, quam cum eidem aufert filium ad avertendam ab ipſo mortem corporis: atqui in hoc poſtremo caſu nulla irrogatur patri injuria; ergo nec in primo; 2. quia ad injuriam proprie dictam non ſufficit quæcumque offenſionis ſpecies, ſed requiritur offenſio facta homini rationabiliter invito; unde non læderet jus patris,

Tourn. p. 317.

patris, qui filiam ei ſuam, qua abuti vult, ſubtraheret: atqui pater non eſt, licet eſſe credat, rationabiliter invitus circa Baptiſmum filii; 3. quia reipſa pater nullum habet ſupremum jus impediendi ne proles ſua Baptiſmate donetur. Si quod enim habet jus, profecto naturale, ut adverſarii volunt: atqui pater non habet a natura jus ſupremum & independens prohibendi ne proles ſua baptizetur. Jus enim a natura datum, juri divino contrarium eſſe non poteſt: porro extat hoc jus divinum præcipiens generatim & indiſtincte ut renaſcantur quicumque nati ſunt. Negant quidem adverſarii jus illud urgere in præſenti caſu: verum id quid eſt, niſi quæſtionem ipſam afferre in ſolutionem?

Prob. 2. ratione Scoti: Princeps, utpote *Dei Miniſter*, curare debet ut ſerventur Dei tanquam primi Superioris mandata, ea præſertim quæ præcipua ſunt: atqui unum e præcipuis Dei mandatis eſt, ut baptizentur omnes; ergo. *Rom.* 3.

Reponunt Thomiſtæ majorem eſſe veram, quando Deus vult mandata ſua ſervari non obſtante contraria inferioris voluntate: ſecus ſi nolit ea ſervari niſi de conſenſu inferioris. Porro, inquiunt, non vult Deus Baptiſmi legem ſine parentum conſenſu, aut ſaltem iis renitentibus ſervari: quia non vult ut violentur patris jura; cum gratia non deſtruat, ſed perficiat naturam.

Addunt alii Principis miniſterium reſpicere naturalia, non ſupernaturalia, qualis eſt Baptiſmus.

Refelluntur quoad primum, quod mera eſt principii petitio, 1. quia cum Deus inſtituit Baptiſma uti medium omnibus ad ſalutem neceſſarium, eo ipſo ſufficienter conceſſit parvulis jus idem Baptiſma recipiendi; ergo non potuit concedere parentibus jus per vim impediendi ne infantes ſui eodem Sacramento initientur; ergo rurſus qui Sacramentum hoc procurant parvulis, nec patria jura lædunt, nec ſanam naturam deſtruunt, ſed corruptam & irrationabiliter invitam aſpernantur, ut debent ſecundum id Auguſtini Hom. 6. de verbis Domini, nunc Serm. 62. *Si quid jubet* poteſtas, *quod non debes facere, hic ſane contemne poteſtatem minorem, timendo majorem*; 2. quia ſi vere læderetur jus patris cum ipſo invito baptizatur proles ipſius, non poſſet infans vicinus morti baptizari inſcio patre qui contradixiſſet; cum ignorantia patris ſua eidem jura non auferat: atqui falſum conſequens ex ipſis Thomiſtis, quos inter ade Gonet diſp. 3. n. 67. ergo. 3. quia Baptiſma non minuit in homine baptizato jus paternum in proprios filios; alias homo baptizatus, eſſet pejoris conditionis quantum ad auctoritatem in filios, quam Judæus aut Gentilis: atqui conſentiunt nobiſcum adverſarii filios eorum qui baptizati ſunt, licite baptizari ex auctoritate Principis, non obſtante jure naturali parentum in filios; ergo æquum eſt ut fateantur infidelium filios ſine paterni juris præjudicio ex voluntate Principis baptizari poſſe.

Refelluntur quoad ſecundum: 1. quia etſi ſupponatur Principes nihil habere juris circa ſupernaturalia in ſe & præciſe ſpectata, haud tamen ſupponi poteſt eos nihil habere juris circa ſupernaturalia, quæ abjici non poſſint ſine manifeſta juris naturalis læſione: atqui ſuppoſita, ut ſupponitur facile apud Chriſtianas nationes, ſufficienti Chriſtianæ legis prædicatione, jam abjici & a parvulis removeri non poteſt Baptiſmi ſu-

ſce-

ſceptio ſine manifeſta juris naturalis læſione; ſicut nec ab iis citra ejuſdem juris violationem removeri poſſet uſus remedii ad corporis ſanitatem omnino neceſſarii; 2. quia hæc adverſariorum objectio principiis Auguſtini e diametro adverſari videtur. Sic ille Lib. 4. contra Creſcon. c. 15. *In hoc Reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum in his quæ pertinent ad humanam ſocietatem; verum etiam quæ pertinent ad divinam Religionem*. Idem pluries repetit, vel potius inculcat S. Doctor: ſic Ep. 185. c. 9. *Quis*, inquit, *mente ſobrius Regibus dicat, Nolite curare in regno veſtro, a quo teneatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri? Non ad vos pertineat quis velit eſſe ſive religioſus, ſive ſacrilegus: quibus dici non poteſt, Non ad vos pertineat in regno veſtro, quis velit pudicus eſſe, quis impudicus? Cur etiam, cum datum ſit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria puniantur, & non puniantur ſacrilegia? An fidem non ſervare levius eſt animam Deo, quam feminam viro? .·. Melius eſt quidem ad Deum colendum doctrina homines duci, quam pœnæ t more vel dolore compelli. Sed non quia iſti meliores ſunt, ideo illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt. Multis enim profuit (quod experimento probavimus & probamus) prius timore vel dolore cogi, ut poſtea poſſent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere ſectari.*

Et antea: *Quod dicunt, qui contra ſuas impietates leges juſtas inſtitui nolunt, non petiiſſe a Regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant aliud fuiſſe tunc tempus, & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo ſerviret, quando adhuc illud propheticum complebatur: Quare fremuerunt Gentes*, &c. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*, &c.

Et Epiſt. 93. alias 49. *Mea primitus ſententia non erat, niſi neminem ad unitem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum; ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea .·. Demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam primo opponebatur mihi civitas mea, quæ cum tota eſſet in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum imperialium converſa eſt .·. ita aliæ* civitates *multæ .·. ut rebus ipſis agnoſcerem, etiam in hac cauſa recte intelligi poſſe quod ſcriptum eſt: Da ſapienti occaſionem & ſapientior erit.*

Quę porro de hęreticis hic diſſeruit S. Doctor, hęc paulo infra extendit ad Paganos, Sic ille: *Pagani .·. nos blaſphemare poſſunt de legibus, quas contra idolorum cultores Chriſtiani Imperatores tulerunt: & tamen ex eis multi correcti, & ad Deum vivum, verumque converſi ſunt, & quotidie convertuntur.*

Non nego aliud eſſe cuipiam interdicere cultum impiæ Religionis, aliud eum adigere ad Baptiſmi ſuſceptionem. Unum quæro, quorſum nempe a ſacris ſuis abſtinere juſſit ſint Gentiles, niſi ut fatigati tandem a Religiane ſua deficerent, meliorem amplexuri. Verum quia concluſio noſtra neceſſariam cum S. Auguſtini opinione connexionem non habet, ideo.

Prob. 3. poteſt & debet Princeps Regni ſui tranquillitatem, quacumque poterit via, modo non adverſa divino juri promovere: atqui nulla tutior eſt promovendæ Regni tranquillitatis via, quam Religionis unitas, & ſenſuum ea de re concordia: aliunde vero hæc via, ſaltem ubi de infantibus agitur, nihil habet juri divino adverſum, ut diximus; ergo.

Objic.

Objic. 1. Ut in ſyſtemate noſtro ceſſet periculum irreverentiæ Sacramenti, fere neceſſum eſt, ut ſuis a parentibus divellantur filii: atqui non poteſt id fieri citra gravem paternæ poteſtatis injuriam. Non enim magis poſſunt filii eripi parentibus, quam cetera eorum bona legitime parta: atqui, &c.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. non poſſunt auferri parentibus bona temporalia, quamdiu iiſdem bene, & ſine præjudicio tertii utuntur, C. ſecus, N. Porro parentes qui filios ſuos privant Baptiſmo, utuntur jure ſuo in grave præjudicium tertii, nempe eorumdem filiorum, quos ab æternæ vitæ aditu ſacrilege excludunt. Et vero ſi puer adultus, poſſit ut ſuæ conſulat ſaluti, deſerere parentes, cum ipſis utiliter famulari poſſet: quidni & ab eis poſſit ſubmoveri ea ætate, qua rationis expers, obſequii nihil præſtare poteſt, ſed incommodi multum & gravaminis afferre.

Objic. 2. Nemo poteſt baptizari invitus: atqui filii infidelium cenſentur inviti, cum inviti ſunt parentes. Prob. min. quia voluntas patris cenſetur voluntas filii, quamdiu is caret uſu rationis; ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. etſi enim voluntas patris ex legum diſpoſitione cenſeatur filii voluntas in quibuſdam temporaneis, non tamen in iis quæ animæ ſalutem impedirent; id enim nec ulla lege humana conſtitui potuit, nec divina lege conſtitutum probari poteſt. Et vero inde ſequeretur hujuſmodi pueros invalide baptizari; quod negant ceteri contra Durandum.

Objic. 3. Si liceat auferre filios infidelium Principibus Chriſtianis ſubjectorum, ut baptizentur, licebit quoque eorum filios auferre, qui infidelibus obediunt: atqui falſum conſequens. Minor conſtat. Prob. maj. ideo licet filios infidelium primi generis auferre, quia jus Dei, & æterna infantis ſalus cuicumque, etiam paterno juri prævalere debet: atqui hæc ratio valet etiam quoad infantes ſecundi generis; ergo.

Reſp. ad 1. neg. maj. quia infidelium filii parentibus ſuis auferri non poſſunt, niſi vi juris alti, per quod unius jura ad alium devolvuntur, cum id exigit lex ſuprema, vel Reipublicæ bonum: atqui jus illud altum nulli alii præter Principem competit; non Eccleſiæ, cum hæc nullam habeat in non baptizatos juriſdictionem; non privatis, cum infidelium bona nullatenus a privatis Chriſtianis dependeant; non etiam Principibus Chriſtianis, a quibus non magis pendent Perſæ vel Sinenſes, quam ipſi pendeant a Perſis vel Sinenſibus; ergo.

Ad 2. diſt. maj. ideo licet ∴ quia jus Dei prævalet juri hominis; & Deus jus illud non omnibus commiſit, ſed ſolis Principibus, C. & Deus jus illud omnibus commiſit etiam privatis, N. Quæ enim turbarum ſeges in Republica, ſi privatus quiſque ſub obtentu divinæ legis, aliorum bona utque etiam filios deprædari poſſet. Certe quo jure Chriſtianus Judæo abriperet alium ad Baptiſma, eodem ſibi licitum crederet Judęus ſuum Chriſtiano filium auferre ad circumciſionem.

Objic. 4. Quod multis prohibitum eſt Conciliis, licitum eſſe non poteſt: atqui multis prohibitum eſt Conciliis, ne infidelium filii baptizentur invitis parentibus. Prob. min. 1. ex Concilio Toletano IV. an. 633. ubi ſic Can. 57. *De Judæis præcepit ſancta Synodus, nemini deinceps ad*

credendum vim inferre: *cui enim vult Deus miſeretur, & quem vult indurat. Non enim tales inviti ſalvandi ſunt, ſed volentes, ut integra ſit forma juſtitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate ſerpenti obediens periit; ſic, vocante Dei gratia, propriæ mentis converſione quiſque credendo ſalvatur;* 2. ex S.Gregorio Magno Ep. 12. Lib. 13. alias 15. Lib. 11. hæc ille: *Qui ſincera intentione extraneos a Chriſtiana Religione ad fidem rectam cupiunt adducere, blandimentis non aſperitatibus debent ſtudere.* Et poſtea: *Agendum ergo eſt ut ratione potius & manſuetudine provocati, ſequi nos velint, non fugere;* 3. ex Nicolao I. qui ad conſulta Bulgarorum reſpondens, ſic loquitur cap 41. *Porro illis violentia, ut credant, nullatenus inferenda eſt: nam omne quod ex voto non eſt, bonum eſſe non poteſt. Scriptum eſt enim, Voluntarie ſacrificabo tibi.* Et vero hinc maxime contra Mahumetanam impietatem elucet lex Chriſti, quod illa vi & ſtrepitu armorum propagata eſt, hæc ab inermi & manſueto paucorum hominum grege ſuaviter diffuſa, vicit mundum, Imperatoreſque ut & Philoſophos debellavit. Unde Sanctus Chryſoſtomus Serm. 3. Pentecoſt. *Peragrarunt Piſcatores Orbem terrarum, & infirmum eum invenientes, ad ſanitatem reduxerunt, & in ruina poſitum ad ſtabilitatem revocaverunt, non ſcuta moventes, non arcus tendentes, non ſagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, ſed Regnum Cœlorum poſſidentes, non habentes humana ſolatia, habentes autem Dominum ſecum. Peragrarunt univerſum Orbem oves ſimul cum lupis, & vulneratæ a beſtiis non ſunt oves, ſed magis lupi ad ovium manſuetudinem ſunt converſi.*

Reſp. 1. neg. min. nullus eſt enim ex allatis textibus, qui infidelium infantes contra parentum voluntatem baptizari vetet: etſi forte aliqui ſunt qui parentes ipſos renitentes baptizari prohibeant. Alia ſane eſt filiorum conditio ac parentum: hi ſi Baptiſmum ex pertinacia dedignati, æternum pereant, ſuam ſibi ſolis perniciem imputabunt: illi ſi ex iniqua in parentes homicidas miſeratione perirent, perniciem ſuam viderentur imputare poſſe Principibus, qui poteſtate ſibi a Deo in ipſorum ſalutem commiſſa uſi non eſſent.

Reſp. 2. diſt. maj. quod multis Conciliis prohibitum eſt ut in ſe malum, licitum eſſe non poteſt; tranſeat, quia hic Concilia Conciliis, utique privata privatis opponi poſſent. Quod prohibitum eſt ut minus bonum in quibuſdam circumſtantiis, licitum eſſe non poteſt, ſubd. licitum eſſe non poteſt in iiſdem circumſtantiis, eſto, in diſparibus, N. Itaque, ne diſcuſſioni extraneæ diutius immorer, fateor 1. ſatius eſſe ut Principes, & qui eorum zelo cooperantur Miſſionarii, infideles ſuaſionibus & *blandimentis* alliciant ad fidem, quam ut minis & *aſperitatibus* utantur. Fateor 2. & id ſedulo cavendum, ne durius jam ab initio agatur cum infidelibus; neque enim una die vel hebdomada ceditur præjudiciis; neque animos flectunt verbera, ſed indurant: unde S. Gregorius Magnus Epiſt. 52. Lib. 2. *Nova atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Fateor 3. ſerius quam ocius conferendum Baptiſma iis, qui ipſum petendo, minis potius quam rationi cedere videntur. Fateor 4. hic, ſi unquam, penſandas eſſe circumſtantias omnes loci, temporis & perſonarum: ſi enim timeri poſſit ne infideles ferale in Chriſtianos odium exerceant, adverſus Principem rebellent, fractas datæ fidei conditiones querantur, filios ſuos enecent, potius quam baptizari ſinant,

erunt

erunt dubio procul pervicaciæ ſuæ dimittendi. Verum his conceſſis, nego ulla lege, quæ conſcientiam liget, cautum eſſe ne infideles compellantur ad fidem. Unde ut Concilia Conciliis, ſic & Patres Patribus opponam, niſi hos & illa benigne interpretari velint adverſarii. Nam 1. Concilium Toletanum IV. cui Concilii IV. ſupra objecti deciſio ignota non erat, Chintillanum Regem hinc mirifice commendat, quod plures Judæos exilii metu ad fidem adduxerit. *Inflexibilis Judæorum perfidia*, ajunt Patres Can. 3. *deflexa tandem videtur pietate ſuperna. Hinc enim liquet quod inſpiramina ſummi Dei excellentiſſimus & Chriſtianiſſimus Princeps, ardore fidei inflammatus, cum Regni ſui Sacerdotibus, prævaricationes & ſuperſtitiones eorum eradicare elegit funditus, nec ſinit degere in regno ſuo eum qui non ſit Catholicus*. Concilium Toletanum XII. Can. 9. approbat leges ab Ervigio Principe editas, quarum una hæc eſt, *Ne Judæi aut ſe aut filios ſuos, vel famulos a Baptiſmo ſubtrahant*. Denique in Concilio Toletano XVII. Can. 8. Judæi in errore pertinaces *ex juſſione piiſſimi & religioſiſſimi Principis Egſcani*, ſpoliati bonis omnibus perpetuæ ſubjiciuntur ſervituti. Sic vero de eorum filiis ſtatuitur: *Sed & filios eorum utriuſque ſexus decernimus, ut a ſeptimo anno eorum nullam cum parentibus ſuis habitationem aut ſocietatem habentes, ipſi eorum domini, qui eos acceperint, per fideliſſimos Chriſtianos eos nutriendos contradant*, &c.

Neque ab iis omnino diſſentit S. Gregorius Magnus, ſic enim Lib. 3. Ep. 26. ad Januarium Calaguritanum Antiſtitem de Pagano ruſtico ſcribebat: *Si ruſticus ille tantæ fuerit perfidiæ & obſtinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minime conſentiat, tanto penſionis onere gravandus eſt, ut in ipſa exactionis ſuæ pœna compellatur ad rectitudinem feſtinare*. Unde objecti ex eodem Gregorio textus cenſendi ſunt ſic excludere graviores pœnas, ut mitiores permittant. *Non quo*, ait Auguſtinus Epiſt. 93. alias 48. ad Vincentium Rogatiſtam, *quiſque bonus poſſit eſſe invitus, ſed* quia *timendo quod non vult pati, vel relinquit impedientem animoſitatem, vel ignoratam compellitur cognoſcere veritatem*. Non abs re igitur idem S. Doctor Lib. 2. contra ſecundam Gaudentii Epiſtolam cap. 17. ajebat: *Quod vobis videtur, invitos ad veritatem non eſſe cogendos erratis, neſcientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inviti*: prout etiam regnante Ludovico Magno multiplex & felix quoad hæreticos comprobavit experientia.

Neque ideo par erit Chriſtianam Religionem propagandi ratio, quæ Mahumetanam. Hæc nimirum ſubditos & non ſubditos æque invaſit; omnia jam ab initio ferro flammiſque vaſtavit: neminem vere perſuadendo convertit, &c.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Baptiſmo adultorum.

TRia hic inquiri poſſunt, 1. an adulti omnes, cujuſcumque ſint nationis, ſexus vel ætatis, baptizari queant; 2. quid neceſſum ſit, ut valide; 3. quid ut cum fructu baptizentur. Sit

CONCLUSIO I. Adulti omnes prorſus poſſunt, ſi velint, baptizari.

Prob. 1. quia generatim & indiſtinćte id præcepit Chriſtus, cum dixit: *Docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. unde Apoſtoli non Judæos ſolum, ſed & Gentiles, quoties ii converſi ſunt baptizavere, ut patet tum ex Act. 10. v. 47. tum ex his Pauli verbis Galat. 3. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus, neque Græcus; non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus, neque femina. Omnes enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu.*

Prob. 2. ſi quibus negari poſſet Baptiſma, iis præſertim qui vel ſolo periculi metu illud expoſcerent; vel adhuc in catechumenatu poſiti illud præ gravitate morbi expoſcere non poſſent: vel demum actu ſub dæmonis poteſtate conſtituti forent, ut energumeni: atqui nullis horum unquam negatum fuit Baptiſma. Non 1. iis qui ex ſolo mortis metu baptizari vellent, ut patet tum ex Concilio Eliberitano Can. 39. ubi ſic legitur: *Gentiles, ſi in infirmitate deſideraverint ſibi manum imponi, ſi fuerit eorum ex aliqua parte vita honeſta, placuit eis manum imponi, & fieri Chriſtianos:* quæ manuum impoſitio de Confirmatione, quæ perfectos Chriſtianos facit, intelligi ſolet, ac proinde ſupponit Baptiſmi conceſſionem; tum ex Epiſt. 1. Siricii, quæ cap. 2. ſic habet: *Quicumque etiam in diſcrimen naufragii, hoſtilitatis incurſum, obſidionis ambiguum, vel cujuslibet corporalis ægritudinis deſperationem inciderit, & ſibi unico credulitatis auxilio popoſcerint ſubveniri, eodem, quo poſcunt, momento temporis, expetitæ regenerationis præmia conſequatur.* Non 2. iis qui necdum emenſo catechumenatus ſtadio, & præ morbi impetu elingues, Baptiſmum expetere non poſſent. De his enim ſic præcipit Concilium Carthaginenſe III. *Ægrotantes, ſi per ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium hi qui ſui ſunt, periculo proprio dixerint, baptizentur.* Idem tradit Synodus Arauſicana I. Can. 12. his verbis: *Subito obmuteſcens, prout ſtatus ejus eſt, baptizari aut pœnitentiam habere poteſt, ſi voluntatis, aut præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Non demum 3. Energumenis, juxta id ejuſdem Arauſicani Concilii Can. 37. *Eos qui ab immundis ſpiritibus vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet.* Succinit citata Synodus Arauſicana Can. 15. ubi ſic: *Energumenis Catechumenis, quantum vel neceſſitas exegerit, vel opportunitas permiſerit, de Baptiſmate conſulendum:* Supra
363. Et Can. 13. *Amentibus quæcumque ſunt pietatis, conferenda ſunt.* Sed de his jam ſupra.

COROLLARIUM. Ergo ſubjectum Baptiſmi eſt omnis homo viator, modo natus & non baptizatus, ſive infans ſive adultus, ſive ex parente fideli vel infideli, ſive amens ſive mentis compos. Ratio eſt, quia ii omnes ſunt actu capaces Regni Cœlorum: atqui non ſunt ejus capaces, ſecluſo Martyrii caſu, niſi mediante Baptiſmo, ſecundum id repetitum toties: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. ergo.

An autem ab hac lege excludi debuerit B. Virgo, diſputatur inter Theologos. Affirmant aliqui, quia in ea verificari non potuit forma Baptiſmi; cum juxta S. Auguſtini Lib. de prædeſt. SS. c. 13. *in eis, qui nullum habent omnino peccatum, falſus ſit Baptiſmus.* Negant alii & melius; quia B. Virgo debuit inſcribi familiæ Chriſti, & ejus Eccleſiæ membrum conſtitui, quod ſine Baptiſmo fieri non poteſt. Unde S. Thomas in 4. diſt. 6. q. 1. art. 1. q. 3. *Sanctificatus in utero, debet baptizari propter tres*

ratio-

Digitized by Google

rationes, 1. *propter acquirendum characterem quo annumeretur in populo Dei*, *& quaſi deputetur ad percipienda Sacramenta*; 2. *ut per Baptiſmi perceptionem paſſioni Chriſti etiam corporaliter conformetur*; 3. *propter bonum obedientiæ*, *quia præceptum de Baptiſmo omnibus datum eſt*, *& ab omnibus impleri debet*, *niſi articulus neceſſitatis Sacramentum excludat*.

Nec idcirco dicendum falſam in B. Virgine fuiſſe formam Baptiſmi: quia ſicut in Pœnitentia vox *Abſolvo*, non ſemper ſignificat, Ego confero tibi gratiam delentem peccatum, ſed deletivam peccati, ſi reperiatur (neque enim in iis reperitur, qui vel ab eo jam vere abſoluti fuerint, vel perfectę contritionis ope abſoluti) ſic & in caſu noſtro.

Stat nihilominus argumentum Auguſtini quoad parvulos de quibus agit in objecto capite: Quia quod deletivum eſt peccati originalis, actu & de facto peccatum illud delere debet in iis omnibus, qui ſingulari privilegio a communi lege excepti non fuerint: in hoc autem exceptionis caſu ſola erat B. Virgo, prout in Tractatu de Peccatis oſtendimus.

Conclusio II. In adultis, ut Baptiſmum valide recipiant, requiritur & ſufficit intentio illum recipiendi. Ita ceteri contra Gloſſam, quę in cap. *Solet*, diſt. 4. *De conſecr.* ſolam Miniſtri intentionem requirit, ſive ſuſcipiens intendat, ſive non; & contra Cajetanum, qui in art. 7. q. 68. ſatis eſſe vult ut deſit contradictio, etſi non adſit conſenſus.

Prob. 1. pars ex cap. *Majores* 3. *De Baptiſmo*, ubi habetur: *Ille vero qui nunquam conſentit*, *ſed penitus contradicit*, *nec rem nec characterem ſuſcipit Sacramenti* . . *ſecus autem* de *iis qui prius Catechumeni extitiſſent & habuiſſent propoſitum baptizandi*, ideſt, Baptiſmatis recipiendi: *unde tales in neceſſitatis articulo conſuevit Eccleſia baptizare*.

Confirm. qui Baptiſmum valide ſuſcepit, *ad juriſdictionem Eccleſiaſticam pertinet*, & per cenſuras adigi poteſt ad obſervandas Evangelii leges: atqui *Religioni Chriſtianæ contrarium* eſt, *ut ſemper invitus*, *& penitus contradicens ad ſervandam Chriſtianitatem*, ſeu Chriſtianitatis legem *compellatur*: ergo. Ita citato cap. Innocentius III. ſed de his vide quæ dicta ſunt in ſuperiori Tractatu, cap. 2. art. 3. ſect. 1.

Prob. 2. pars, ſi quid præter intentionem requireretur ad validitatem Baptiſmi, maxime fides & probitas: atqui neutra requiritur; cum valeat Baptiſmus ſive ab hæreticis, ſive ab iis qui ſincere converſi non ſunt, receptus; nec eum unquam iteraverit Eccleſia Catholica; ergo.

Conclusio III. In adulto, ut ceteros præter characterem effectus Baptiſmi recipiat, requiritur fides, dolor de peccatis actualibus, ſpes veniæ, inchoatus Dei amor, & propoſitum ſervandi ac profitendi legem Chriſtianam. Non requiritur autem confeſſio vel ſatisfactio.

Prob. 1. pars de fide ex Marci 16. v. 15. ubi Chriſtus: *Qui crediderit*, *& baptizatus fuerit*, *ſalvus erit*. Et Act. 8. 37. Eunucho Baptiſmum poſtulanti his verbis: *Ecce aqua*, *quid prohibet me baptizari*, reſpondet Philippus, *Si credis ex toto corde*, *licet*. Ubi ante omnia requiritur vera fides ut Baptiſmus ſalutis inſtrumentum ſit. Et vero præcipuus Baptiſmi effectus eſt juſtificatio: atqui ad juſtificationem prærequiritur fides; cum *ſine fide impoſſibile* ſit *placere Deo*, ex Apoſtolo Hebr. 11. ergo.

Prob. 2. pars de dolore, ſeu pœnitentia, 1. ex Act. 2. ubi S. Petrus Pœnitentiam Baptiſmo prærequirit his verbis, *Pœnitentiam agite*, *& bapti-*

Diſt. 4. cap. 96. *getur unuſquiſque veſtrum ;* 2. quia ex lege ordinaria Dei, nullus, *qui jam ſuæ voluntatis factus eſt arbiter, niſi eum pœniteat vitæ veteris, novam inchoare poteſt*, prout docet S. Auguſtinus Lib. de Pœnit. c. 2. ſed adulti qui baptizantur, novam inchoant vitam; quandoquidem expoliant veterem hominem & novum induunt; ergo.

Dixi, *de peccatis actualibus ;* neque enim opus eſt pœnitentia pro peccato originali; quia ſicut abſque propria voluntate contractum eſt, ſic & propria retractatione expiari non poſtulat. Etſi vero culpæ veniales, quibus etiamnum adhæret cor, gratiæ ſacramentalis receptionem non impediunt, ut a ſimili patet in Sacramento Pœnitentiæ; conſtat tamen eas totalem Baptiſmi effectum impedire; cum is ut pœnam omnem, ſic & omnem culpam tollere natum ſit : unde curare debent adulti baptizandi, ut quidquid uſquam peccarunt, id ſerio lugeant & deteſtentur.

Ceterum dolor ille ſupernaturalis eſſe debet, & formalis. Supernaturalis quidem, cum ſolius naturæ vires ad juſtificationem non deducant, prout definiit Tridentinum Seſs. 6. Can. 3. Formalis vero, quia verba hæc, *Pœnitentiam agite*, explicitum dolorem indicant, non virtualem tantum, qualis habetur per dilectionem Dei ſuper omnia. Si Grand. p. 110. quis tamen, ait Pariſienſis Doctor, neſcius formalem dolorem requiri, virtualem eliciat, non deſinet juſtificari : cum dolor virtualis, qui in intenſa Dei dilectione poſitus eſt, extra Sacramentum ſufficiat ad juſtitiam. Sed de his alibi.

Prob. 3. pars de ſpe veniæ; quia peccator ad Deum recurrere debet ut æger ad medicum ; ergo in ſpem erigi debet, & confidere Deum ſibi, propter Chriſti merita, propitium fore. Unde ſpem illam exigebat Chriſtus ab iis quos ſpiritualiter ſanatus erat : ſic Marci 2. *Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua.*

Prob. 4. pars, de dilectione Dei ſaltem inchoata; tum quia ex Apoſtolo I. Cor. 16. 22. *Si quis non amat Dominum noſtrum J. C. anathema* eſſe debet; nedum reconciliationem per Baptiſmum ſibi polliceri: tum quia ex Auguſtino *pœnitentiam certam non facit niſi amor Dei, & odium peccati ;* porro ex dictis Baptiſmus adulto peccatori conferendus Pœnitentiam prærequirit. An autem is Dei amor, qui ex Tridentino Seſs. 6. cap. 6. ferri debet in Deum *tanquam omnis juſtitiæ fontem*, neceſſario ſit initialis Dei propter ipſum Deum dilectio, gravis eſt & tumultuoſa difficultas, quam, ſi Deo videbitur, expendemus in Tract. de Pœnitentia.

Prob. 5. pars, de propoſito ſervandi & profitendi legem Chriſtianam. Nemo enim Dei amicitiam aſſequi poteſt, niſi eam vere & ſincere deſideret : atqui amicitiam Dei vere & ſincere non deſiderat, niſi qui ſincere vult omnia ad eam ſervandam neceſſaria præſtare ; ac proinde Chriſtianam legem profiteri ſimul & in praxim redigere; ergo.

Prob. 6. pars, quæ confeſſionem & ſatisfactionem reſpicit. Confeſſio requiritur ſolum ad obtinendam juridice abſolutionem ; ſatisfactio vero ad remittendam, quæ adhuc luenda eſt, pœnam temporalem : atqui Baptiſmus nec requirit aut compatitur abſolutionem juridicam : cum hæc iis ſolum dari poſſit, qui jam ſunt Eccleſiæ membra ; nec ullam poſt ſe relinquit pœnam temporalem quæ luenda ſit, ut dicemus ubi de ejuſdem effectibus; ergo.

At,

At, inquies, Tertullianus Lib. de Baptiſ. cap. 20. de Catechumenis hæc ſcribit: *Ingreſſuros Baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis, geniculationibus & pervigiliis orare oportet, & cum confeſſione omnium retro delictorum*; ergo a primis Eccleſiæ temporibus prærequirebantur ad Batiſmum ſatisfactio & confeſſio; eaque proin hodieque prærequiri debent.

R. hæc quidem aliaque pœnitentiæ gravis opera Catechumenis injuncta fuiſſe: quandoquidem publico fidelium cœtui nudis pedibus, tonſo capite, & cilicio cooperti ſiſtere ſe præſentes tenebantur, & a vino, carnibus & uxoribus abſtinere, itaut S. Gregorius a Judæis, quorum C. 98. *diſt.* 4. De cõ-
Baptiſma diutius differri nolebat, *ne longa dilatio animos* eorum *retro* forſecrat.
ſitan *revocaret*, ut minimum quid *pœnitentiam, & abſtinentiam quadraginta dierum* exigi velit. Verum hæc exigebantur, non ut ſupplerentur Baptiſmi defectus & inefficacia, ſed tum ut mente per virtutum praxim eximie diſpoſita, Baptiſmus totum, quem poteſt, effectum produceret; tum ut Neophyti a relapſu certius ſe & conſtantius tuerentur.

Quod ad confeſſionem attinet, hæc ſeu magis aut minus ſpecialis eſſet, dubio procul non erat ſacramentalis. Valebat tamen plurimum, ſeu ad amovendas peccati occaſiones, ſeu ad vitæ novæ inchoationem: unde etiamnum in pari caſu, etſi haud neceſſaria, plena tamen eſſet utilitatis.

Invitant hæc ut paucula loquamur de Catechumenis, qui hodie vel nulli vel pauci ſunt in his partibus; frequentes vero in Tunkino, Cocincina, &c. Et quidem 1. Cathecumeni, ideſt juxta vim græci nominis, viva voce inſtructi, erant adulti homines, qui nondum baptizati, Chriſtianam fidem edocebantur ſeu a Paſtoribus, aliiſve ad id ab Eccleſia deſtinatis, ſeu quandoque ab ipſis parentibus, aut futuris patrinis; idque juxta ipſam inſtitutionem Chriſti, qui adultos ante doceri voluit, quam baptizari: unde Tertullianus hæreticos deridens in Lib. de Præſcript. *In primis*, inquit, *quis* apud eos *Catechumenus, qui fidelis incertus eſt, pariter adeunt* Eccleſiam, *pariter audiunt, pariter orant.*].

2. Triplex erat Cathecumenorum claſſis. In prima erant *Audientes*, qui tametſi Chriſtianam Religionem amplecti velle videbantur, unde & publicis Chriſtianorum cœtibus, concionibuſque aderant, necdum tamen nomen ſuum Carhecumenorum albo inſcribendum dederant. Hi ex conventibus, tempore ſacrificii, cum Ethnicis, & pœnitentibus, quos audientes dicebant, ejiciebantur. Altera claſſis eorum erat, qui jam dederant Eccleſiæ nomen ſuum; ii in templo flectebant genua, & ſuper genuflexis fundebantur publicæ preces. Ad iſtos, qui proprie *Catechumeni* dicebantur, ſpectabant hæc Diaconi verba: *Quicumque Catechumeni diſcedite:* priores enim ſine ſpeciali edicto cum Paganis ejiciebantur. Tertia claſſis erat *Competentium*, ſeu *electorum*, qui a ceteris Catechumenis poſt diligens examen ſegregati, Baptiſmo in proxima Paſchatis aut Pentecoſtes feſtivitate recipiendo idonei judicabantur.

3. Catechumeni *Audientes* multiplici ritu inaugurabantur: 1. enim eis exponebatur fides Catholica (non tamen altiſſima quæcumque ejus Myſteria, quorum plenior declaratio ſolis Competentibus reſervata erat.) 2. exigebatur ab eis melioris vitæ propoſitum. 3. in eorum ora inſufflabatur. 4. muniebatur frons ſigno crucis. 5. imponebantur & eis manus

cum oratione; 6. ſal præbebatur deguſtandum, & aliquando panis quidam benedictus, qui Cathecumenorum panis vocabatur.

4. Edocebantur *Competentes* maxima Chriſtianæ fidei principia, Symbolum nempe, quo Trinitatis & Incarnationis myſteria continentur, Orationem Dominicam, necnon ea quæ ad Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ Sacramenta pertinent.

5. Catechumeni cum primi tum & ſecundi gradus, nulli addicebantur ſpeciali pœnitentię: ſecus quoad *Competentes*, qui ut majus conciperent odium nefarię, quam ut plurimum duxerant vitæ, duris pœnitentię laboribus ſubjiciebantur, ut conſtat ex citato Tertulliani textu.

6. Non ante ad Baptiſmum admittebantur *Competentes*, quam ſcrutinii publici ope conſtaret, eos bonum ubique nomen ſortiri; nec eſſe qui de eorum moribus & vita conqueri legitime poſſent. Scrutinia hęc ſeptem numero fuiſſe tradit Ordo Romanus. Quantum vero temporis ſingulis Cathecumenorum claſſibus prçfixum fuerit, definiri non poteſt, quia diſpar fuit ea de re pro locis & temporibus diſciplina. Auctor Epiſtolæ, quę S. Clementi aſcribitur, trimeſtre ſpatium requirit. Synodus Eliberitana, eos qui in Gentilitate *bonæ fuerint converſationis*, *poſt biennium ad Baptiſmi gratiam* admiſit. Agathenſe Concilium an. 506. Judęos per octo menſes probari præcepit. Alii aliter ſenſerunt, & id inculpate factum eſt, quia res tota prudentiæ Epiſcoporum commiſſa erat a Concilio Nicæno I.

Ceterum eæ probationes cedebant in bonum tum Eccleſię ipſius, quæ cavebat ne ſanctum daret canibus, & margaritas projiceret ante porcos; tum & Catechumenorum, qui ſi ad Baptiſmum acceſſiſſent imparati, gravis ſe reos feciſſent ſacrilegii. Si cui tamen habente Catechumenatus ſtadio mors imminebat, is, etſi *per infinita tempora nuſquam ad Eccleſiam* acceſſerat, non excludebatur a Baptiſmo: ut habet Canon. 45. Concilii Illiberitani.

Quæres an uſitata primis Eccleſiæ temporibus inſtruendorum Catechumenorum forma hodiedum ſit aut eſſe debeat in uſu.

R. Negat. cum jam a ſexto ſęculo ſtatio Competentium ad intervallum ſolito brevius contracta fuerit. Quoniam vero quę ritus & diſciplinam mutat Eccleſia, non mutat ſpiritum, idcirco Miſſionariis, qui in exteris, Tunkini, v. g. & Cocincinę, Regionibus laborant, impenſe cavendum, nę, prout a nonnullis factitatum conqueſti ſunt Illuſt. Epiſcopi Heliopolitanus & Berytenſis, *obvios quoſque vix explorata illorum voluntate, & una aut altera inſtructione contenti, ſacro Baptiſmi fonte abluant. Quamobrem*, ajunt iidem Prçſules, *etſi hodie Sacerdotibus committatur judicium de Catechumenorum eruditione, aliiſque neceſſariis conditionibus, adeoque & de tempore Catechiſmi ferendum, ut iis ſanctum Baptiſma conferatur; rectius tamen & ſecurius nobis viſum eſt cum Patribus, & Conciliis Catechiſmi tempus non breviori quam quadraginta dierum ſpatio vulgo definire, nec alios ad Baptiſmum admittendos eſſe, niſi qui ante quadraginta dies nomen dederint. Cum etiam experientia, quæ ſacris Canonibus conſonat, ſatis notum ſit, diuturniorem moram eſſe perutilem ad obtinendam in Chriſtiana fide perſeverantiam: atque adeo hac in re habenda erit ratio venientium ad fidem; Qui enim laudabilem antea vitam duxerint, ferentque præ-*

Digitized by Google

ſe docilitatem & pietatem, prædicti temporis inſtitutio eis ſufficiet, ac interdum brevior, ſi tamen antea ſat bene inſtituti ſint, &, quod rariſſime contingit, urgentiſſima neceſſitas poſtulabit. Sed diutius probari debent rudiores, & obtuſioris tardiorisque ingenii, ſervi item, & qui temporalis pœnæ vitandæ gratia, fidem videntur amplecti velle, aut ſperant ſe aliquid lucri aut commodi conſecuturos ex eo quod Chriſtiani fiant; ii denique qui levis & inconſtantis animi ſigna aliqua dederint.

Addunt iidem Epiſcopi *incredibile dictu* eſse *quantum in numerandis multis a ſe baptizatis cura, in excolendis incuria & ſegnities, in delectu nimia credulitas, præmatura Baptiſmatis adminiſtratione offecerint fidei, bene, ut par eſt, ſtabiliendæ, necnon etiam nomini Chriſtiano. Enim vero*, inquiunt, *comprobatum eſt experientia, Chriſtianos pejores non inveniri, quam qui ante competentem inſtructionem ad Baptiſmum admiſſi ſunt; quippe qui, qua facilitate Chriſto nomen dederunt, eadem ut plurimum nuntium ei remittant*, &c. De his omnibus, quæ ad veterem, novumque Catechumenatum pertinent, plura videris apud Jueninum diſsert. 2. q. 7. cap. 2. per totum.

CAPUT OCTAVUM.

De Proprietatibus Baptiſmi.

Duplex eſt proprietas Baptiſmi, neceſſitas, eaque inſupplebilis vel non, & unitas.

ARTICULUS PRIMUS.

De neceſſitate Baptiſmi.

Not. 1. rem poſse eſse neceſsariam ad finem vel neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti. Illud eſt neceſsarium neceſſitate medii, ſine quo etiam inculpate omiſso finis obtineri non poteſt. Illud vero neceſsarium eſt neceſſitate præcepti, ſine quo inculpate omiſso finis obtineri poteſt, alias non. Hinc utraque neceſſitatis ſpecies plurimum diſcrepat ab altera, ſed præcipue in tribus, 1. quod omiſſio neceſsarii neceſſitate medii, poſſit eſse ſine peccato, ſecus de omiſſione neceſsarii neceſſitate præcepti; 2. & conſequenter, quod neceſsarium neceſſitate præcepti ſit ſemper in poteſtate noſtra ſaltem remote; ſecus de neceſsario neceſſitate medii; 3. quod neceſsarium neceſſitate medii, ſit & neceſsarium neceſſitate præcepti reſpectu adultorum, penes quos eſt medio illo uti, non e converſo. Vide quæ dixi Tom. V. de Fide, art. alias ſect. 2.

Rurſus neceſsarium neceſſitate medii, vel eſt tale ſtricte & pro omni caſu; vel non. Neceſsarium neceſſitate medii ſtricte & pro omni caſu, illud eſt quod ita ſecundum ſe ipſum, & in re ſeu in individuo adhiberi debet, ut nihil ſit quod ejus vices ſuppleat: ſic neceſsaria eſt intentio ad confectionem Sacramenti, & ad ſalutem gratia regenerans undecumque proveniat. Neceſsarium ſed non pro omni caſu, illud eſt cujus aliquid aliud vicem ſupplere poteſt. Id porro quod vicem rei ſupplere poteſt,

vel

Digitized by Google

vel eſt votum ipſius rei, vel aliquid a voto diſtinctum. Jam quæritur an aliquo ex ſenſibus modo aſſignatis neceſſarium ſit Baptiſma ſeu infantibus, ſeu adultis. Circa quod

Not. 2. Baptiſmi neceſſitatem a variis hæreticis impugnatam fuiſſe. Ut enim Cajanos & Quintilianos, Aſcodrutas, Manichæos & Seleucianos omittam, acre Baptiſmo bellum indixere 1. Pelagiani, qui peccatum originale negantes, Baptiſma ad ablutionem ejus neceſſarium eſſe inficiati ſunt. Quamquam premente Auguſtino diverticula quæritare coacti, docuere neceſſarium eſſe Baptiſma ad ingreſſum Regni cœleſtis, non vero ad poſſeſſionem vitæ æternæ: quaſi aliud ſit Cœleſte Regnum, aliud æterna vita; 2. Zvvinglius, qui Lib. de vera & falſa Religione, cap. de Baptiſmo, contendit Baptiſma merum eſſe Symbolum externum, quod nullius ad ſalutem præſidii eſſe poſſit; 3. Martinus Bucer, qui in cap. 3. Matth. Baptiſmi neceſſitatem hinc rejicit, quod *pueri prædeſtinati etiam ſine Baptiſmo ſalvantur, non prædeſtinati etiam cum Baptiſmo damnantur*, 4. Calvinus qui Lib. 4. Inſtit. c. 15. num. 22. expreſſe aſſerit *non arceri a Regno Cœlorum infantes, quos e præſenti vita migrare continget, antequam aqua mergi datum fuerit*: quod quidem de infantibus fidelium intelligit Novator: unde a Calvino differre videtur Bullingerus in Lib. de fœdere Dei unico, ubi docet ſatis eſſe ſi parentes aliquando fideles fuerint, licet tunc non ſint, quando eis filii naſcuntur; 5. ultra Calvinianos, e Calvinianorum tamen principiis, proclivi & facili lapſu progreſſi ſunt Sociniani. Hi nempe commenti ſunt nullum extare in Scripturis Baptiſmi præceptum: aut eo, ſi quod ſit, non omnes ligatos fuiſſe, ſed quoſdam tantum, puta qui ſub initium Eccleſiæ, a Judaiſmo vel Gentilitate convertebantur ad fidem; ceteris vero qui vel e Chriſtianis naſcuntur, vel in fide Chriſtiana enutriti ſunt, Baptiſmum rem eſſe adiaphoram ſeu indifferentem, quæ citra ſalutis diſpendium adhiberi poſſit, vel omitti, modo tamen adhibeatur ſine ſcandalo, & excluſa neceſſitatis perſuaſione.

Bellar. L. 1. c. 4.

E Scholaſticis quidam, falſa ducti miſeratione, quæ ut graviter animadvertit Bellarminus, *parvulis jam defunctis nihil prodeſſe poteſt*, exiſtimarunt fidelium infantes, quibus per Baptiſmum ſubveniri non poſſit, non ex privilegio tantum, ſed ex ordinaria lege Dei, per parentum preces & vota ſalvari poſſe; ſi quod præſertim exterius adhibeatur ſignum, quo voti hujus applicatio fiat. Opinionem hanc adeo parum fidei conſonam judicavit Pius V. ut ipſam ex altera Commentariorum Cajetani editione juſſerit expungi.

Cenſuerant alii quidam, non ſalvari quidem de lege ordinaria, parvulos etiam fidelium ſine Baptiſmo; ſed hortandos tamen eſse parentes ut pro iis apud Deum intercedant; quia fieri poſſit, ut Deus vota hæc miſericorditer exaudiat, vel ſuppleat eſsentiales Baptiſmi defectus, ſi qui ex parte materiæ, formæ, vel intentionis Miniſtri occurrant. Ita Durandus, S. Bonaventura, Gerſon, &c.

Quæ autem ſit ſors infantium ſine Baptiſmo decedentium, an ſubjaceant pœnæ damni & ſenſus; an illi, non iſti; an non naturali quadam beatitudine perfruantur, expendimus pro modulo in Tract. de Peccat. part. 2. Sit jam

CON-

Concluſio I. Baptiſmus neque parvulis, neque adultis neceſſarius eſt neceſſitate medii pro omni caſu.

Prob. Illud ſine quo tam infantes quam adulti ſalvari poſſunt in aliquo caſu, non eſt neceſſarium pro omni caſu: atqui infantes ut & adulti ſine Baptiſmo ſalvari poſſunt in aliquo caſu, utrique ſcilicet in caſu martyrii; adulti vero inſuper cum voto Baptiſmi, prout conſtabit ex dicendis; ergo.

Concluſio II. Baptiſmus in re parvulis omnibus neceſſarius eſt extra caſum martyrii. Eſt de fide.

Prob. 1. ex celebribus Chriſti verbis apud Joan. c. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Unde ſic: Ut citata verba demonſtrent Baptiſmum parvulis neceſſarium eſſe neceſſitate medii, tria ſufficiunt, 1. ut eadem verba de vero aquæ Baptiſmo intelligenda ſint; 2. ut ad parvulos etiam extendi debeant; 3. ut in iis vera medii neceſſitas exprimatur: atqui hæc tria conſtant.

Et quidem 1. verba hæc de vero aquæ Baptiſmo intelligenda ſunt: tum quia verba Scripturæ in obvio & litterali ſenſu intelligi debent, quoties nihil ex eo timendum abſurdi, prout cum Auguſtino fatentur ipſi Calviniſtæ: porro quod citata verba in litterali & obvio ſenſu intelligantur, nihil habet abſurdi, nihil quod contradictionem implicet: tum quia qui univerſam hominum maſſam, Protoparentis peccato deformem, æternis cruciatibus addicere potuit, potuit ſalutem ejus exteriori ſigno, ut apud Judæos ſic & apud Chriſtianos alligare; tum quia adeo primævam apud Eccleſiam vigebat litteralis eorumdem verborum expoſitio, ut Pelagiani, quorum ſupra modum intererat dictum Chriſti ad metaphoricos ſenſus detorquere, nuſquam id tentare auſi ſint; tum denique quia Calviniſtæ ipſi, ſibimet pro immutabili Novatorum more, parum conſtantes, illa hæc eadem verba pro infantium Baptiſmo urgeant contra Anabaptiſtas, eaque proin de vero aquæ Baptiſmo interpretantur.

2. eadem verba ad ipſos etiam parvulos extendi debent; quod enim indiſtincte dictum eſt, indiſtincte, niſi quid obſit, intelligi debet: atqui.·.·. Unde S. Ambroſius Lib. 2. de Abraham, cap. 12. *Utique*, inquit, *nullum excipit* Chriſtus, *non infantem, non aliqua præventum neceſſitate*.

3. demum eadem verba nonniſi veram medii neceſſitatem in infantibus indicare poſſunt; non enim indicant neceſſitatem præcepti, cum parvuli ſint præcepti cujuſcumque incapaces; non neceſſitatem, quæ per votum Baptiſmi ſuppleri poſſit, cum votum hoc in parvulis eſſe non valeat; ergo.

Prob. 2. ex Patribus: S. Irenæus Lib. 3. cap. 19. generaliter & ſimpliciter docet *Baptiſma hominibus eſſe neceſſarium*. Tertullianus Lib. de Bapt. c. 12. *Præſcribitur*, inquit, *nemini ſine Baptiſmo competere ſalutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait, Niſi natus ex aqua quis erit, non habet vitam*. Auguſtinus Lib. 3. de anima, &c. c. 9. *Noli*, inquit, *credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur morte præventos, pervenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe Catholicus*, & Epiſt. 166. alias 28. ad Hieronymum: *Quiſquis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus*, Baptiſmi, *participa-*

tione de vita exeunt, hic profecto & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto vivificari omnino non poſſe. S. Fulgentius Lib. de fide ad Petrum, c. 30. *Firmiſſime tene*, ait, *exceptis illis qui pro nomine Chriſti, ſuo ſanguine baptizantur, nullum hominem*, etiam infantem uti expreſſe dixerat c. 27. *accepturum vitam æternam, qui non hic fuerit ∴ per Baptiſmum liberatus*. Unde ſic: Illud ad ſalutem neceſsarium eſt neceſſitate medii, ſine quo, etiam a parvulis ac proinde inculpabiliter omiſſo æterna vita obtineri non poteſt: atqui tale eſt Baptiſma ex citatis Patribus; idque tam conſtans eſt tam apertum, ut a nemine qui Catholicus eſse velit, negari queat; ut qui contrarium teneat, avertat Apoſtolicam prædicationem, & totam condemnet Eccleſiam; ergo. Atque hinc ſane Innocentius I. his ad Milevitanam Synodum verbis ſcribebat Ep. 25. *Illud vero quod eos*, Pelagianos, *veſtra fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis, abſque Baptiſmatis gratia poſſe donari, perfatuum eſt*.

Prob. 3. ex Conciliis. Carthaginenſe ſub S. Cypriano in Epiſt. Synodica ad Fidum, vult ut infantes etiam ante octavum a nativitate diem baptizentur: verba ejus retulimus ſupra. Supra p. 351.

Milevitanum, cui an. 416. interfuit Auguſtinus: *Quicumque*, inquit, Can. 2. *parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit eos ∴ nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur., anathema ſit*. Idem definierunt alia Concilia, quæ contra Anabaptiſtas protulimus; & quibus coronidem impoſuit Synodus Tridentina Seſs. 5. Can. 4. his verbis, quæ totius retro antiquitatis doctrinam exprimunt: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamſi fuerint a baptizatis parentibus orti ∴ anathema ſit*.

Prob. 4. rationibus Theologicis. Prima ſic paucis proponitur: Qui naſcuntur filii iræ, ii, niſi per medium a Chriſto conſtitutum juſtitiam aſsequantur, ſalvari non poſſunt: atqui, ut alibi fuſe probavimus, infantes omnes propter Adami peccatum naſcuntur filii iræ; ergo iidem infantes ſalvari non poſsunt, niſi per medium a Chriſto inſtitutum juſtitiam aſsequantur: jam vero medium illud dempto martyrio nullum eſt extra Baptiſmum: ergo.

Secunda ſic habet: Conſtat in Eccleſia ſemper præter omnem modum ſollicitos fuiſse ſeu parentes, ſeu Paſtores ipſos, ut infantibus, iis præſertim quibus mors inſtaret, Baptiſma quam primum conferretur; ſecundum id Auguſtini ſupra, *Feſtinatur & curritur*: atqui illa hæc anxietas per omnes Chriſtianiſmi Plagas diffuſa, publicum eſt quoddam neceſſitatis Baptiſmi argumentum; vivaque ac ſpirans catholicæ veritatis traditio. Unde enim ſollicitudo tanta, ſi creditum eſset tunc temporis, Baptiſmum rem eſse adiaphoram, aut quæ fidelium ſaltem infantibus neceſsaria non eſset.

Tourn. p. 194. Tertia: Nullum conſtantis & ubique receptæ fidei certius eſt argumentum, quam opinionis contrariæ, ubi primum hæc caput extollit, publica & repetita proſcriptio: atqui ſtatim proſcripti ſunt, & pro Novatoribus habiti, qui Baptiſmatis neceſſitatem variis temporibus impugnavere, ut ſecundo ſæculo Cajani, tertio Manichæi, quarto Aſcodrutæ & Seleu-

leuciani, quinto Pelagiani, aliique deinceps qui horum novitates ex toto vel ex parte ſuſcitare moliri ſunt; ergo.

Objic. 1. non magis verba hæc, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. probant Baptiſma infantibus neceſſarium eſſe, quam verba iſta Joan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis ∴ non habebitis vitam in vobis*, probent iiſdem neceſſariam eſſe Euchariſtiam: atqui verba iſta, *Niſi manducaveritis*, &c.

Reſp. neg. maj. 1. quia verba hæc, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. utpote indefinita ad omnes prorſus extendi poſtulant; hæc vero, *Niſi manducaveritis*, &c. utpote in ſecunda perſona, ac proinde reſtricta, ad eos ſolum diriguntur, qui eorumdem intelligendorum capaces ſint, quales ſoli ſunt adulti; 2. quia verba, *Niſi quis renatus fuerit*, in eos omnes cadunt, qui per peccatum mortui, ex aqua & Spiritu renaſci indigent, atque adeo tam in infantes, quam in adultos: contra vero voces, *Niſi manducaveritis*, &c. ad eos ſolum ſtricte pertinent, qui jam viventes gratiæ, nutritione indigent ſpirituali, ut gratiam ſervent; quod adultorum eſt; 3. quia in iis quæ abſolute pendent a Chriſto, inquirenda eſt Chriſti voluntas in Scriptura & Traditione: porro ex utroque fonte conſtat Baptiſmum ſemper habitum fuiſſe ut neceſſarium ad ſalutem; non vero Euchariſtiam; ergo.

Nec dicas citata Chriſti verba, *Niſi quis*, &c. ad adultos reſtricta fuiſſe a Doctoribus quibuſdam Catholicis, puta Gerſone, Cajetano, & aliis quos ſupra appellavimus. Abſit enim ut novos, licet non obſcuri nominis Doctores ſequamur, cum ab immotis Scripturarum, Traditionumque regulis diſcedunt; prout eos de quibus agitur, feciſſe liquet tum ex modo dictis, tum ex dictis ubi de Peccato originali.

Objic. 2. Qui independenter a Baptiſmo ſunt filii Dei, independenter a Baptiſmo ſalvari poſſunt: atqui filii fidelium ∴ Prob. min. Filii fidelium ſunt independenter a Baptiſmo ſemen Abrahæ: ſed qui ſunt ſemen Abrahæ, eo ipſo ſunt filii Dei. Sic enim loquitur Deus Geneſ. 17. *Ero Deus tuus & ſeminis tui;* ergo.

Reſp. ad 1. neg. min. ad 2. diſt. maj. filii fidelium ſunt independenter a Baptiſmo ſemen Abrahæ, ſemen, inquam, carnale, eſto: ſemen promiſſionis, ut loquitur Apoſtolus Rom. 9. v. 8. N. Utique enim filii Chriſtianorum non magis ſunt ſemen Abrahæ ſanctificatum, quam David & S. Paulus, qui ſanctorum filius erat, ut ait ipſe I. Cor. 12. atqui tamen neuter ab ipſa originis conditione habuit eam Dei filiationem, quæ juſtitiam involvit; cum prior agnoſcat Pſalm. 50. ſe in peccato conceptum eſſe, poſterior vero fateatur Epheſ. 2. ſe *natura* filium fuiſſe *iræ*, *ſicut* & erant *ceteri* omnes; ergo ut quis ſit filius Dei, non ſufficit nativitas ſola ex Abrahæ ſemine, ſed requiritur nativitas ex fide qualem habuit Abraham, ſecundum id Rom. 4. v. 16. *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini, non ei qui ex lege eſt ſolum, ſed & ei qui ex fide eſt Abrahæ:* porro infantes nonniſi per Baptiſmum fideles evadunt in nova Lege, prout nonniſi per circumciſionem, aliudve medium æquivalens fideles fiebant in Lege veteri. Quamquam ſi Hebræi infantes citra medium exterius fidem & juſtitiam conſecuti eſſent, nihil inde colligi poſſet contra neceſſitatem Baptiſmi pro nova Lege: cum hæc pendeant ab una Dei voluntate, cujus nemo conſiliarius fuit.

Inſt. Illi ratione nativitatis ſolius ſunt ſemen Abrahæ quantum ad promiſſionem, qui ratione ejuſdem nativitatis ſancti ſunt non autem immundi: atqui filii fidelium ∴ Prob. min. ex Apoſtolo I. Cor. 7. v. 14. ubi ſic: *Sanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem; & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*. Et vero, ait idem Apoſtolus Rom. 11. *Si radix ſancta eſt, & rami*.

Reſp. diſt. min. filii fidelium ſancti ſunt ſanctitate deſtinationis, & quaſi præparatoria, C. ſanctitate formali, N. Ibi quippe comparat Apoſtolus ſanctitatem filiorum cum ſanctitate viri vel ſponſæ fidelis, quos per ſuam cum fideli comparte cohabitationem ſanctificari dicit: atqui conſtat virum infidelem non ſanctificari formaliter ex eo quod cum ſponſa fideli cohabitet; ergo & conſtare debet filium non hinc vere & formaliter ſanctum eſſe, quod ab alterutro vel utroque fideli parente editus ſit; ergo iterum ſanctitas de qua loquitur Apoſtolus, nihil aliud eſt quam ſanctitas præparationis & deſtinationis, prout pluries exponit Auguſtinus contra Pelagianos, qui non ſecus ac temporis noſtris Novatores eodem Pauli textu abutebantur.

Ad textum ex cap. 11. Epiſt. ad Rom. dico eum omnino eſſe extra rem; cum rami de quibus ibidem agitur, ſint Judæi, & quidem pro maxima parte reprobi, quos, ne a Gentilibus qui in Chriſtum crediderant, deſpicerentur, dicit Apoſtolus ſanctos eſſe, non quidem ratione ſui, ut patet, ſed ratione Prophetarum, & Patriarcharum, qui ut *radix ſancta*, qualemcumque ſanctitatis umbram in omnes poſteros ſuos diffundebant. Solutionis hujuſce veritas ex ſola objecti Capitis lectione conſtat: unde merito annotant hic Catholici Interpretes, neque hanc, neque alias multas, quibus abundat Scriptura, comparationes ad vivum reſecari debere.

Objic. 3. ex Apoſtolo Rom. 5. v. 20. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*: atqui ſi Baptiſmus ipſis etiam parvulis neceſſarius ſit ad ſalutem, non ſuperabundavit gratia, ubi abundavit delictum. Tunc enim non ſuperabundat gratia delicto, cum delictum certius & facilius nocet, quam proſit gratia: atqui poſita Baptiſmi neceſſitate, delictum ∴ Prob. min. Quod nocet omnibus, & nocet ſine medio, certius & facilius nocet, quam proſit id quod non prodeſt niſi dependenter a medio plerumque impoſſibili: atqui delictum & omnibus nocet, & nocet ſine medio; aliunde autem ſuppoſita Baptiſmi neceſſitate, gratia non prodeſt niſi dependenter a medio plerumque impoſſibili. Siquidem nec ſemper præſto eſt aqua, nec ubi ſuppetit, ſemper applicari poteſt, ut liquet in infantibus necdum ex utero materno progreſſis; ergo.

Reſp. ad 1. diſt. maj. ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia, quatenus gratia Chriſti & a pluribus liberat malis, & plura inducit bona, quam mala invexerit peccatum Adæ, C. quatenus eadem gratia pluribus efficaciter communicatur, N. Itaque Apoſtolus gratiæ præ delicto ſuperabundantiam non hinc commendat, quod gratia pluribus efficaciter communicetur, quam delictum; cum ipſe paulo poſt totus ſit ut probet Deum miſereri, cujus vult, & doceat Chriſtus paucos eſſe qui ſalvi fiant: duplici ergo potiſſimum ex capite vim gratiæ ſupra vim delicti

licti extollit Doctor Gentium: 1. quod Adam unicum ad poſteros peccatum tranſmiſerit (quo etiam, ſaltem juxta plures, minime tranſmiſſo, filii Adæ venialiter atque etiam lethaliter peccare potuiſſent) Chriſtus vero & ab eodem peccato, & a ceteris omnibus nos per gratiam ſuam liberat; 2. quod gratia Chriſti plura inducat bona, quam Adæ peccatum invexerit mala; cum peccatum Adæ ſola nos originali juſtitia privaverit; Chriſti vero gratia & jacturam hanc reparet, & majorem virtutum omnium copiam, intenſionem, & augmentum tribuat, quam fuiſſet in ſtatu innocentiæ; imo & largiatur virtutes, cujus idem ſtatus incapax fuiſſet, puta martyrium, virginitatem, Apoſtolatum, & dotes religioſas. Hunc porro eſſe Apoſtoli ſenſum manifeſte indicant hæc ejus verba v. 15. & ſeq. *Sed non ſicut delictum, ita & donum .·. nam judicium quidem ex uno* delicto *in condemnationem; gratia autem ex multis delictis in juſtificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ & donationis & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum.*

Hinc patet vocem, *plures*, in hoc Apoſtoli textu, *Multo magis gratia Dei .·. in plures abundavit*, non ſumi comparative, quaſi pluribus gratia communicetur actu, quam peccatum; ſed ſimpliciter, quatenus qui in Chriſtum vere credunt, & qui jam *multi* erant, cum ſcribebat Apoſtolus, plus a gratia recipiunt boni, quam ex Adæ peccato tulerint nocumenti: unde græce habetur, *in multos*. Atque id præ ceteris fateri debent Calviniani, qui a gratia Chriſti eos omnes excludunt, qui ad gloriam prædeſtinati non ſint. Jam vero poſita hac ſolutione, vaneſcit reliqua objectio. Unde

Ad 2. neg. maj. etſi enim peccatum Adæ certius communicetur quam Chriſti gratia, hæc tamen præ illo abundat ad ſenſum Apoſtoli, quia non a ſola originali noxa liberat, ſed ab omnibus; & hominum corda pluribus replet bonis, quam a quibus exciderat per Adæ peccatum.

Objic. 4. Quod ſatis fuit infantibus fidelium in Lege veteri, ſatis eſſe debet infantibus fidelium in nova Lege: atqui fides parentum ſatis fuit ad ſalutem infantibus fidelium in Lege veteri. Minor patet ex Tertulliano Lib. de Bapt. c. 13. adverſus Cajanos, Gregorio Magno Lib. 4. Moral. c. 2. Bernardo Epiſt. 77. ad Hugonem de S. Victore. Prob. itaque major: 1. quia fides non minorem habet in nova Lege efficaciam, quam habuerit in veteri; cum & eadem ſit quoad ſubſtantiam, & plenior per merita Chriſti; 2. quia alioqui deterioris eſſent conditionis infantes Chriſtianorum, quam Judæorum: quod abſurdum eſt.

Reſp. ad 1. 1. neg. min. quia, quidquid crediderint aliqui Patres, multo certius eſt, & receptum magis, filios Judæorum nonniſi ope medii exterius applicati juſtificatos fuiſſe. Quin & exterius illud medium nullus Patrum diſerte excuſit, plurimi vero, & inter alios Auguſtinus, diſerte exegerunt.

Reſp. 2. neg. maj. quia, ut pluries diximus, in hiſce materiis tota ratio facti eſt voluntas facientis. Unde cum *lex tingendi*, eaque univerſalis, *data* ſit, *& forma præſcripta*, peſſime ſibi conſulunt, nec melius argumentantur, qui Deo ſaltem implicite dicere audent: *Quare ſic feciſti?* *Tertull.*

Ad 1. confirmat. nego conſeq. ob rationem mox allatam: etſi enim

fides

Digitized by Google

fides Chriſtiana ejuſdem ſit efficaciæ cum Judæa, quoad hominem cui ineſt, non tamen quoad alios: quia velle potuit Chriſtus, & de facto voluit eam non prodeſſe, niſi per Baptiſmum applicaretur.

Ad 2. confirmat. neg. ant. imo vero longe favorabilior eſt Chriſtianorum quam Judæorum conditio, cum illi ſtatim ab ortu juſtificari poſſint per medium, cujus efficacia neque a fide neque a probitate Miniſtri aut parentum dependet; iſti vero, ſuppoſita objectionis veritate, juſtificari non poſſent niſi per fidem, utique veram & ſinceram, quæ in populo duræ cervicis, cordiſque incircumciſi, & qui Spiritui ſancto ſemper reſiſteret, rarior erat quam fingi poſſit. *Vide quæ dixi in Tract. de Sacram. cap. 3. art. 1. ſub finem.*

Quin & ſi fides vera, qualis ad juſtificationem alterius requiri videtur, tam communis fuiſſet ſub veteri Teſtamento, quam rara fuit, ita ut per eam infantes plerique juſtificari potuiſsent, non ideo melior eſset Hebræi quam Chriſtiani conditio: quia utriuſque populi comparatio non ex uno aut altero capite, ſed ex tota rerum congerie deſumenda eſt. Porro quot apud Judæos onera, quæ ut circumciſionis jugum, vel ipſis robuſtiorum humeris intoleranda erant! quot præcepta, quorum tranſgreſsores morte plectebantur! quam parca ibi menſura gratiæ, ejus præſertim quæ conſolatur nos in omni tribulatione noſtra! quam facilis ad vitia prolapſus; quam difficilis inde reverſio!

Inſt. 1. ex Auguſtino Epiſt. 98. alias 23. *Ut poſſit regenerari* parvulus *per officium voluntatis alienæ, cum offertur conſecrandus, facit hoc unus Spiritus, ex quo regeneratur oblatus;* ergo infantibus prodeſt officium voluntatis alienæ; ac proinde iidem ex aliena fide ſanctificantur. Unde S. Bernardus Epiſt. 77. ſeu Tract. de Baptiſmo: *Ad Dei ſpectat benignitatem, ut quibus fidem ætas denegat propriam, gratia prodeſſe concedat alienam .˙. Nec dubium quod macula contracta ab aliis, aliorum quoque fide valeat, vel debeat emundari.*

Reſp. diſt. conſeq. ergo infantibus prodeſt officium voluntatis alienæ, cum Sacramento, quando ſcilicet infans *offertur conſecrandus*, C. prodeſt ſine Sacramento, N. Nihil dubio procul ab Auguſtini mente alienum magis, quam quæ hic ex verbis ejus eruitur conſequentia. Ecquis enim fidem parentum vel Eccleſiæ, parvulis ad vitam ſine Baptiſmo ſufficere
Lib. de perſ. n. 31. Ep. 105. n. 32. crederet, qui toties judicia Dei ſuſpicit & demiratur, quod *plerumque feſtinantibus parentibus & paratis Miniſtris, ut Baptiſmus parvulo detur*, ille tamen *non detur*, ita ut infans in æternum pereat?

Quod ad S. Bernardum pertinet, ſcopus ejus eſt ut oſtendat neceſſariam non eſse parvulis actualem fidem, iiſque proin ſufficere fidem alienam: ſed nihil affert S. Doctor; unde colligi queat alienam hanc fidem per ſe ſolam & independenter a Baptiſmo ſufficere.

Inſt. 2. Ad Dei benignitatem ſpectat, ut qui aliena labe inquinantur ſine medio, aliena fide ſine medio juſtificentur: atqui infantes ſine medio inquinantur, &c.

Reſp. id ſolum ad benignitatem Dei ſpectare, quod ad eam ſpectare declarat Scriptura vel Traditio, non autem id quod factu melius videtur humanæ imbecillitati: alioqui enim facile dicetur, ſpectaſse ad Dei benignitatem ut Protoparentis lapſum impediret, aut ſaltem ut Adam non conſtitueretur morale poſterorum caput in quo omnes peccarent: atqui tamen &c.

Cete-

Digitized by Google

Ceterum ſapienter pro more obſervat Tournelyus, longam, quoad influxum, eſſe diſparitatem inter Adæ peccatum, & parentum noſtrorum fidem. Hæc nobis prorſus extranea eſt, ſicut & iniquitates eorum, illud vero propter rationem Capitis in quo continebamur, unuſquiſque noſtrum, ineffabiliter quidem, ſed tamen vere proprium eſt & intrinſecum; ergo iſtud per ſe nocet; illa vero prodeſſe non poteſt, niſi ſic conſtituerit Deus: porro probari nequit conſtituiſſe Deum ut parentum fides prodeſſet infantibus. *Tourn. p.* 213.

Inſt. 3. Docent Scriptura & Traditio, Deum velle ſincere ſalutem omnium, adeoque & infantium, qui baptizari non poſſunt: ſed qui vult ſincere ſalutem infantium qui baptizari non poſſunt, velle debuit ut iis per fidem alienam ſuccurri poſſet. Qui enim vult finem, vult & medium ſine quo finis hic & nunc obtineri non poteſt: atqui, cum impoſſibilis eſt Baptiſmus, fides aliena eſt medium, &c. Et vero quot alioqui miſere perirent infantes! Ita ferme Cajetanus.

Reſp. 1. cum Goneto diſp. 3. n. 21. difficultatem hanc contra Cajetanum militare: quia innumeri ſunt, non infidelium duntaxat, ut ſatis liquet, ſed & fidelium infantes quibus per fidem parentum ſuccurri nequit; ſeu quia præfocantur in utero materno, dum etiam neſcitur an animati ſint, forteque an exiſtant; ſeu quia inopino caſu ſtatim poſt ortum rapiuntur. An ergo dicet Cajetanus Deum horumce ſalutem non velle?

Reſp. 2. prætermiſſa majore, cujus examen pertinet ad Tract. de Gratia. R. inquam, ad 1. neg. min. ut enim Deus cenſeatur velle ſincere ſalutem infantium, non requiritur ut iis actu tribuat quæcumque ſalutis media, ſed ſufficit ut iis congrua ejuſdem ſalutis media præparaverit: atqui, ut alibi docent Theologi, Deus ipſis etiam infantibus qui ante ortum ſuffocantur, congrua ſalutis media præparavit; quia pro iis ſicut pro ceteris inſtituit Baptiſmum; quem ſi eorum plures non recipiunt, debet id imputari vel negligentiæ aut malæ voluntati parentum, vel cauſarum ſecundarum actioni, quam Deus invertere non tenetur. Cur vero ex duobus parvulis pereat alter, alter per Baptiſmum ſalvetur, *Noli dijudicare, ſi non vis errare*, ait Auguſtinus. *O altitudo!*

Ad 2. neg. maj. intellectam in ſenſu objectionis. Non enim ad ſinceram finis voluntatem requiritur voluntas medii cujuſcumque; alioqui Deus eorum dumtaxat ſalutem vellet, quibus efficacem perſeverantiæ gratiam largitur, quod hæreticum eſt: ſed ſufficit ut Deus præparaverit medium ſufficiens, idque ſincere applicari velit, niſi quid voluntati ejus obſiſtat: atqui rem ita ſe habere probabimus in Tractatu de Gratia, ad quem ardua iſthæc materies ſecundum ſe totam pertinet; ergo.

CONCLUSIO III. Baptiſmus in re vel in voto adultis omnibus neceſſarius eſt neceſſitate tum medii, tum præcepti, extra martyrii caſum. Tres ſunt partes.

Prob. 1. pars. Illud ad ſalutem neceſſarium eſt, ſine quo vel in re vel per implicitum votum ſuſcepto ſalus ab adultis obtineri non poteſt; poteſt autem cum illo voto, ubi deeſt Sacramenti realiter ſuſcipiendi facultas: atqui ſalus ab adultis obtineri non poteſt ſine Baptiſmo vel in re ∴ Nemo enim ſalutem adipiſci poteſt, niſi regeneretur, & fiat membrum Chriſti: atqui regenerari nemo poteſt, & fieri membrum Chriſti, ſine

Baptiſmo in re vel in voto: poteſt vero cum eodem voto. Quod nemo ſine Baptiſmo aut Baptiſmi voto regenerari poſſit, patet ex dictis tota præcedenti Concluſione. Si enim ex his Chriſti verbis, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. merito colligitur infantes extra caſum martyrii non habere vitam æternam propter defectum tum Sacramenti, tum ejuſdem voti, cujus incapaces ſunt; idem merito colligetur de adultis, quos prędicta Chriſti verba non minus tangunt quam infantes: atqui, &c. Quod autem poſſit homo regenerari, & fieri Chriſti membrum, ex perfecto Baptiſmi voto, conſtabit ex dicendis art. ſeq. ſect. 2.

Prob. 2. pars. Illud ad ſalutem neceſſarium eſt neceſſitate medii, ſine quo, quocumque modo prætermittatur, ſalus haberi non poteſt, atqui ſine Baptiſmate, rei vel voti, quocumque illud omittatur modo, ſalus haberi non poteſt extra caſum martyrii. Unde ſi quis rationis jam compos, ante rapi ſupponatur, quam repetitis gratiæ motibus ad perfectæ charitatis actum deduci potuerit, tam a cœleſti regno excludetur, quam infantes: quia ut in his ſic & in illo vigebit iſtud Veritatis, *Niſi quis renatus fuerit*, &c.

Prob. 3. pars, 1. quia ex generali regula, medium omne per ſe neceſſarium ad ſalutem, ſi arbitrio noſtro ſubſit, eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti: cum nihil ſub præceptum divinum magis debuerit cadere, quam id ſine quo vita æterna haberi non poteſt; ergo ſtatim ut ſufficienter cognita erit neceſſitas medii, illico exurget neceſſitas præcepti, 2. quia tenetur unuſquiſque, cum poteſt, Eccleſiam ingredi, & omnium ejus Sacramentorum capacem ſe facere: id autem ſine Baptiſmo fieri nequit.

Obj. Si Baptiſmus tantæ ſit neceſſitatis, debuit primæva Eccleſia neceſſitatem hanc cognoſcere: atqui non agnovit. Prob. min. 1. quia Cyprianus ejuſque ſequaces, permittebant ut non rebaptizarentur hæretici: an porro Baptiſma, quod invalidum judicabant, non iteraſſent continuo ſi tantam eſſe ejus neceſſitatem credidiſſent? 2. quia Eccleſia veneratur memoriam plurium, quorum alii pluribus annis vixere Catechumeni, ut Martinus & Ambroſius: alii nonniſi in extremis tincti ſunt, ut Conſtantinus: 3. quia pro Catechumenis offerebantur preces & ſacrificia, ut patet tum ex Oratione funebri quam pro Valentiniano habuit S. Ambroſius; tum ex Can. 12. Concilii Arelatenſis II. & Can. 79. Concilii IV. Carthaginenſis: tum ex Innocentio III. c. 28: *De ſent. excomm.* ergo ſupponebatur Baptiſma iis ad ſalutem neceſſarium non fuiſſe.

R. ad 1. neg. min. cujus falſitas abunde patet ex probationibus præcedenti Concluſione allatis.

Ad 1. confirm. dico 1. mirum non eſſe, quod qui in principio errabant, erraverint & in conſequentiis: certe ut *abyſſus abyſſum*, ſic error primus errorem ſecundum *invocat*. Dico 2. prædictos Patres non ideo identidem ſecundum hæreticis converſis Baptiſma denegaſſe, quia Baptiſmi neceſſitatem inficiarentur, ſed quia vel nollent videri in oppoſitæ ſententiæ defenſores inſurgere vivacius: vel perſuaſum haberent divinam in ancipiti hoc & nondum eliquato caſu miſericordiam non deeſſe, iis præſertim, qui ad Eccleſiam ſincere reverſi, gravia charitatis & contritionis præberent argumenta. Atque hinc S. Dionyſius ſenem male, niſi peſſime, baptizatum rebaptizare noluit; quia hominem, qui

præ-

præclare dudum vivebat in Eccleſia, non credidit a Dei miſericordia extorrem cenſeri poſſe: bene autem, an male ei Baptiſmum denegaverit, non eſt meum ut expendam.

Ad 2. confirm. jam ſupra reſpondimus male objici exempla plurium ex antiquis, qui Baptiſmi receptionem diſtulere. Hic addendum dilationem hanc, quæ prima fronte male ſonat, ob bonam fidem Catechumenorum excuſari potuiſſe. An enim graviter arguendi veniunt, qui rati ſe ad tanti Sacramenti ſuſceptionem necdum ſatis eſſe diſpoſitos, ad eam ſe annis pluribus diſponebant. Interim, & id jam ſemel annotatum eſt, *ipſemet Ambroſius, factus Epiſcopus, in eo multus fuit, ut pravam illam conſuetudinem, quæ tam in Occidente quam etiam in Oriente coaluerat, qua fideles quamplurimi uſque ad provectiorem ætatem Baptiſmum differrent, penitus ut malum germen ex agro dominico evelleret; & quod ſe feciſſe doluit, ab aliis ne in poſterum fieret, vehementer admonuit: præſtiteruntque hoc ipſum apud Orientales Baſilius atque Gregorius Naz. necnon Gregorius Nyſſenus, ut ipſorum de Baptiſmo editæ orationes ſignificant.* Verba ſunt Baronii ad an. 377. nu. 14. Conſuli poſſunt Can. 12. & 57. diſt. 4. *De conſecrat.* ubi prohibetur ne Catechumeni, Baptiſmo idonei ſuſceptionem ejus differant ultra vigiliam Paſchæ aut Pentecoſtes. Supra p. 357.

Ad 3. confirm. non deerant Eccleſiæ, quæ Catechumenis ſacrificia negarent in pœnam dilati Baptiſmatis: in aliis quidem concedebantur; ſed quia perſuaſum erat ejuſmodi Catechumenos e vita raptos improviſo caſu, per Baptiſmi votum ſalvari, & per fidelium preces juvari poſſe: de quo infra.

Inſt. ex dictis ſequeretur, non modo recipi debere Baptiſmum, ſed & quam primum moraliter recipi debere: atqui falſum conſequens. Prob. min. 1. quia præcepta affirmativa non obligant niſi tempore neceſſitatis: atqui præceptum de Baptiſmo affirmativum eſt; ergo non obligat niſi tempore neceſſitatis, & proin uſque ad vitæ finem differri poteſt; 2. quia ſalubrior eſt dilatio Baptiſmi, quam anticipatio; quia quo plus differtur, plura quoad pœnam & culpam delet peccata; 3. quia primitus differebatur uſque ad Paſcha aut Pentecoſten, licet Catechumeni eidem actu recipiendo pares eſſent & idonei; 4. quia non magis tenetur Catechumenus Baptiſmum recipere cum commode & moraliter poteſt, quam peccator ſtatim recurrere ad pœnitentiam: atqui, &c.

Reſp. ad 1. neg. min. nam 1. tenetur quis credere, ſtatim ac fidei myſteria ſibi ſufficienter propoſita ſunt; ergo & tenetur exterius fidem profiteri, ſecundum id Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*: atqui voluit Chriſtus fidei ſuæ profeſſionem præcipue fieri in Baptiſmo, qui ideo dicitur *Sacramentum fidei*; ergo. 2. quiſque ex præcepto naturali tenetur ſaluti ſuæ conſulere: atqui non conſulit ſaluti, imo ſalutem graviter negligit, qui, quem commode poſſet, Baptiſmum non recipit. Tum quia extra Eccleſiam vivit, in qua ſola ſalvari poteſt, cui liberum eſt in eam ingredi: tum quia privatur pluribus gratiis, & Sacramentorum omnium fructibus, quibus plurimum indiget homo peccator; 3. quia per Baptiſmum aſcribitur homo militiæ chriſtianæ: atqui rationi non congruit, ut quis militiæ aſcribatur, cum jam inſtat

Bb 2 finis

finis belli; ergo nec congruit ut quis ad exitum vitæ Baptiſma protrahat. Nec obſunt allatæ in contrarium probationes. Unde

Gonet diſp. 3. nu. 34.

Ad 1. neg. maj. ſi enim præcepta affirmativa ſolum obligarent tempore neceſſitatis, ſeu, ut intelligit objectio, imminente periculo mortis, ſatis foret eo tempore fidei, ſpei & charitatis actus elicere: atqui id, licet a temerariis Doctoribus aſſertum, procul a veritate diſtat, prout Tom. 3. probavimus; ergo. Adde quod, etſi affirmativa præcepta nonniſi in exitu vitæ obligarent, non idem eſſet dicendum de Baptiſmo, quia eo neglecto negliguntur ſingularia ſalutis media, & ipſa conſequenter ſalus: quod licitum eſſe non poteſt, etſi aliquando ex bona fide, vel ſpeciali Spiritus S. inſtinctu poſſit excuſari, ut de S. Martino certum videtur.

Ad 2. neg. ant. ejuſque probationem: ut enim ſcite obſervat S. Thomas in 4. diſt. 4. qu. 3. art. 1. quæſt. 2. ad 2. *In Baptiſmo confertur gratia ad bene vivendum, & peccata tolluntur præterita, & impediuntur futura; & ideo quamvis Baptiſmus in fine vitæ ſuſceptus plura peccata præterita tolleret, tamen pauciora impediret, & ad pauciora bona promoveret, & ideo minus eſſet utilis.. Præterea multis caſibus ſubjacet humana vita, & poſſet contingere, ut qui Baptiſmum in fine vitæ accipere expectaret, morte ſubita præventus, expectatione ſua fraudaretur.* Unde Chryſoſtomus Hom. 13. in Epiſt. ad Hebræos: *Multos novi.: qui ſpe Baptiſmatis multa peccabant; circa diem autem mortis diſceſſerunt vacui.*

Ad 3. neg. conſeq. aliud eſt enim Baptiſmum ad aliquot menſes differre, ut Cathecumeni melius inſtruantur, probentur, & per geminatas certis temporibus Eccleſiæ preces ad ampliorem gratiæ copiam diſponantur; aliud ad plures annos Baptiſmum differre ſine cauſa. Primum olim prudenter & pie factum eſt, & hodieque fieri poſſet, prout inſinuat Rituale Romanum tit. De Bapt. Secundum omni pene ævo improbatum eſt, & improbari meruit.

Ad 4. dato antecedente, de quo alibi, negari poſſet conſequentia; quia peccator neque per peccatum ſimplex eſt extra Eccleſiam, nec privatur auxiliis omnibus quæ deſunt peccatori Catechumeno.

Ex dictis inferes 1. ſtrictam adultis omnibus qui baptizari poſſunt, incumbere Baptiſmi obligationem, quamvis vel in utero juſtificati eſſent, quod nunquam ſupponitur; vel per flaminis Baptiſmum ſpiritualiter regenerati; cum Nicodemus, ſaltem auctore Auguſtino Tract. 11. in Joan. juſtus eſſet, quando Chriſtum inviſit; & ei tamen dictum ſit, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Quin & ſi juſtificatus quis per contritionem moreretur non baptizatus, & e mortuis revocaretur ad vivos, tingi deberet: quia votum Baptiſmi, quo mediante juſtificatus eſt per contritionem, impleri debet, cum poteſt. Et vero qui cum peccato ob defectum Confeſſarii minime declarato diem clauſiſſet, ſi ad vitam reverteretur, deberet peccatum illud confiteri; ergo, &c.

Inferes 2. gravis eſſe peccati ſuſpectum, qui ſufficienter inſtructus, ſuſceptionem Baptiſmi ad annum integrum differt ſine cauſa; quia mora tanta gravem, & periculoſam negligentiam involvere poteſt.

Inferes 3. teneri parentes infantibus ſuis Baptiſma procurare quam pri-

primum, itaut hujus *quam primum* latitudo non ultra quinque aut ſex dies protendatur. Ratio eſt, quia id poſtulat hodierna Eccleſiæ praxis, quæ, ut loquitur S. Thomas, ſemper in omnibus æmulanda eſt. Et vero cum *multis caſibus ſubjaceat humana vita*, fieri facile poſſet, ut ii etiam qui firmam corporis habitudinem nacti videntur, raperentur improviſo, & æternæ damnationis reatum incurrerent. Adde, infantem, donec baptizetur, diaboli mancipium eſſe: id autem diutius ferre, non eſt cordis vere chriſtiani. Non immerito igitur certis in Diœceſibus excommunicatione mulctantur, qui prolis ſuæ Baptiſmum ultra octo vel novem dies diſtulerint.

Quæres an etiam neceſſarius ſit Baptiſmus, ut alia Sacramenta licite vel valide recipiantur.

Reſp. contra nuperos quoſdam Doctores, nullum Sacramentum valide recipi a non baptizato præter Euchariſtiam, quæ quidem nihil tunc operatur ex opere operato.

Prob. 1. quia Baptiſmus vocatur a Concilio Florentino in Decreto unionis *vitæ ſpiritualis janua*, & ab Innocentio III. a S. Thoma, ceteriſque poſt ipſum Doctoribus, *fundamentum omnium Sacramentorum*: atqui ubi fundamentum deficit, deficit & ædificium; ſicut deficit ingreſſus, ubi deeſt janua: ergo. *Innoc. III. ubi infra. S. Th. Supplem. q. 35. a. 3.*

Nec dicas, deficiente Tonſura, deficere fundamentum ad Ordines, & Ordines nihilominus valide recipi. Nam Tonſura eſt quidem diſpoſitio ad Ordines ex Eccleſiæ conſtituto, ſed nuſquam habita eſt pro fundamento Ordinum; & vero qua ratione fundamentum eſſet Ordinis, id quod, nonniſi longo poſt inſtitutos Ordines tempore, ab Eccleſia conſtitutum eſt.

Prob. 2. ex cap. 3. *De Presbytero non baptizato*, ubi Presbyterum hunc baptizari jubet Innocentius III. & iterum ordinari, juxta Concilii Compendienſis Decretum: atqui non ordinaretur denuo, qui jam valide ordinatus eſſet; ergo nulla fuerat hujus hominis ordinatio; ergo pari jure nec valuiſſet Confirmatio eidem collata, nec quantum ad rationem Sacramenti contractum ab eodem Matrimonium.

Nec eſt quod opponas, Innocentium de hac loqui Ordinatione, tanquam de *dubitabili caſu*; ac proinde ſententiam ſuæ oppoſitam habere ut probabilem. Nam 1. non eſt vere probabile, quod vere dubium eſt, prout diximus in Tract. de Conſcientia; 2. multo minus probabile cenſeri debet, quod infirmioribus nititur momentis: ei porro qui amotis præjudiciis textum Innocentii III. expenderit, infirmiora videbuntur momenta, quæ pro valore prædictæ Ordinationis afferebantur, quam quæ pugnabant ex adverſo.

Prob. 3. ex D. Thoma ſic loquente in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. quæſt. 3. *Qui characterem baptiſmalem non habet, nullum alterum Sacramentum ſuſcipere poteſt*, valide ſcilicet, ut indubium eſt ex ſerie contextus.

Prob. 4. non eſt a communi ſententia recedendum in materia gravi, ſine urgenti fundamento, ſeu, ut loquitur S. Thomas, *ſine cauſa cogente*; alias incurritur temeritatis aut ſaltem ſingularitatis nota: atqui opinio adverſariorum, vel potius adverſarii, a trito itinere recedit ſine cauſa vere cogente. Minor non aliunde melius quam ex objectionum ſolutione probari poteſt. Itaque *Henno.*

Digitized by Google

V. Euſeb. L. 7. diſt. cap. 9. Objicitur 1. auctoritas S. Dionyſii Alexandrini, qui teſte Ruffino, cuidam, de Baptiſmatis ſui validitate dubitanti reſpondit, *eum debere confidere fidei ſuæ, & conſcientiæ jam purgatæ, quod tamdiu in Sacramentis nobis jam particeps fuiſſet*: atqui reſponſio hæc ſupponit Sacramenta valide recipi a non baptizato; cum ſupponat hunc per illa juſtificatum eſſe & *purgatum*; ergo.

Reſp. vel credidit Dionyſius Baptiſma vere dubium, non debere iterari in iis qui poſt idem receptum pluries ad Euchariſtiam acceſſere; vel ratus Alexandrum legitime baptizatum eſſe, voluit animos ejus hinc tranquillare, quod pluries Euchariſtiam recepiſſet. Si 1. tam nobis licet ab una ejus opinionis parte recedere, quam liceat adverſario recedere ab altera: neque enim, opinor, negabit in dubio rebaptizandum eſſe, qui ante dubium pluries Euchariſtiam receperit. Si 2. neg. min. quia ſtatim ac ſupponebat S. Dionyſius Alexandrum vere baptizatum, ſupponebat valide ab eo recepta fuiſſe Sacramenta.

Ergo, inquies, non pacabat Dionyſius animum Alexandri circa ſalutem æternam, maleque hortabatur ut *confideret fidei ſuæ*; cum Alexander eſſet in dubio, Dionyſius non item.

Reſp. Dionyſium tranquillaſſe animos Alexandri, prout tranquillari ſolent animi ſcrupuloſorum. Idem eſt enim ac ſi dixiſſet: Qui pluries Sacramenta pie recepit, pluries in Deum pie & ſancte affectus eſt: atqui non patietur Deus hominem tam pie tam ſancte affectum perire; quandoquidem legitime præſumatur juſtificatus ex opere operantis; ergo nihil eſt quod æternæ ſuæ ſaluti vereri merito poſſit. Utique idem nos hodie reſponderemus adulto, quem de Baptiſmi ſui validitate perperam dubitantem, a ſecundo Baptiſmo prohibere vellemus.

Obj. 2. S. Ambroſius Lib. *De exceſſu fratris* ſui Satyri, ſic loquitur: *Qui tantum Myſterii cæleſtis involuti in orario præſidium fuiſſet expertus*; ut e furibundo mari, id quod ſe projecerat, evaſiſſet incolumis, *quantum abitrabatur, ſi ore ſumeret, & toto pectoris hauriret arcano*; ergo Catechumenus ſimplex, qualis tunc erat Satyrus, Myſterium cœleſte, ideſt Euchariſtiam *ore ſumere* poterat.

Reſp. neg. conſeq. idem enim eſt ac ſi dicat Ambroſius: Cui tantum profuit Euchariſtia collo appenſa, quanto plus, ob eximiam ejus fidem profutura fuiſset, ſi hanc ſumpſiſset ore: ſed qui hoc dicit, ne obiter quidem inſinuat Euchariſtiam a tali viro hic & nunc recipi potuiſse; imo ſubindicat contrarium. An enim vir fidei plenus & amoris, qualem Ambroſius Satyrum exhibet, ingruente mortis periculo a ſacra abſtinuiſset ſynaxi, ſi ſibi licitum credidiſset ejus participem fieri.

Obj. 3. Qui capax eſt effectus, capax eſt cauſæ: atqui homo, qui ſe invincibiliter credens baptizatum, juſtificatus eſt per contritionem, capax eſt effectus Euchariſtiæ; cum capax ſit augmenti gratiæ; ergo & Euchariſtiæ ipſius capax reputari debet.

Reſp. ad 1. neg. min. effectus enim Euchariſtiæ non eſt gratia quæcumque, ſed gratia ſacramentalis: hujus porro incapax eſt qui necdum baptizatus fuit: licet capax ſit gratiæ æquivalentis, aut etiam majoris.

Inſt. Ut quis capax ſit gratiæ ſacramentalis, ſatis eſt ut ſit vere regeneratus; atqui is de quo loquimur vere regeneratus eſt;

cum

by Google

cum ad regenerationem ſufficiat Baptiſmus in re vel in voto; ergo.

Confirm. Qui ingreſſus eſt januam vitæ ſpiritualis, capax eſt cujuſcumque gratiæ: ſed qui Baptiſmum habet in voto, ſpiritualis vitæ januam neceſſario ingreſsus eſt; ergo.

Reſp. neg. maj. non enim ut quis cujuslibet gratiæ capax ſit, ſatis eſt ut quocumque modo regeneratus ſit, ſeu, ut intelligitur in objectione, juſtificatus: ſed neceſsum eſt ut ex aqua & Spiritu ſancto regeneratus ſit: unde tametſi certo quodam ſenſu ingreſsus ſit januam vitæ ſpiritualis, non habet jus ad Sacramenta, & gratiam iis correſpondentem; donec januam hanc per aquæ lavacrum ingreſsus ſit. Unde patet ſolutio ad confirm.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Baptiſmus aquæ ſuppleri poſsit.

SUppoſuimus multoties Baptiſmum aquæ per Martyrium, aut votum Baptiſmi ſuppleri poſse; videndum an non id gratis ſuppoſitum ſit, quod ut cum finitimis quæſtionibus expendatur, ſit

SECTIO PRIMA.

An Baptiſmum ſuppleatur per Martyrium.

MArtyrium, quod juxta vim nominis idem eſt ac teſtimonium, ex Eccleſiæ uſu definitur, Perpeſſio mortis veræ, lethaliſve cruciatus, propter fidem Chriſti, aut veram virtutem tolerata, & in ejus odium illata.

Dicitur 1. *perpeſsio mortis vera*, ut intelligatur non eſse proprie Martyres, qui ſolum habuerint martyrii deſiderium.

Dicitur 2. *aut cruciatus*, quia etſi neceſse non eſt, ut Martyr dolorem ſentiat, cum ſenſum hunc quandoque avertat Deus, neceſsum tamen eſt ut aliquid recipiat, quod de ſe illativum ſit doloris.

Dicitur 3. cruciatus *lethalis*, unde, ſi ſtricte loqui velis, Martyres non ſunt, qui gravia quidem paſſi ſunt pro Chriſto, ſed tamen haud gravia ſatis ut mortem inferrent. Quapropter tametſi Confeſsores, qui jam inceperant propter Chriſtum torqueri, olim Martyrés inter computati ſunt, ut videre eſt apud Tertullianum Lib. ad Martyres, & Cyprianum Epiſt. 9. 16. 30. &c. ii tamen pro Martyribus, conſummatis ſcilicet, & ſimpliciter dictis, poſteriori ævo habiti non fuere. Stat nihilominus martyrii ratio, ubi ponitur a tortore cauſa, quæ certam inferat mortem, niſi hanc Deus impediat per miraculum. Unde Joannem Evangeliſtam colit Eccleſia ut Martyrem; quia in ferventis olei dolio, cui immerſus eſt, naturaliter occumbere debuit. Idem de pueris tribus in fornacem conjectis dicendum.

Dicitur 4. *propter fidem Chriſti*: quia *Martyrem, non pœna, ſed cauſa facit*, ut bene Auguſtinus Conc. 2. in Pſalm. 34. Unde S. Petrus Ep. 1. c. 4. *Nemo veſtrum patiatur ut homicida, aut fur ... ſi autem ut Chriſtianus non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine*. Hinc nemo Martyr extra Eccleſiam: neque Martyr eſt hæreticus, qui vel pro erroris

ſui defenſione, vel pro quopiam veræ fidei articulo comburitur: quia non patitur *ut* vere *Chriſtianus;* cum quæ credit, fide ſolum credat humana, ea nimirum qua credit errores ſuos, pro quibus etiam mori paratus eſt. Hinc rurſus Catholici omnes, & merito, ad martyrium in adultis requirunt paſſionem ex ſupernaturali motivo profectam; quia Chriſti Martyres Chriſto uniri debent, quod per ſolas Philoſophiæ vires fieri nequit. Conſulantur Cyprianus Epiſt. 52. 54. & 73. Auguſtinus de Bapt. Lib. 1. cap. 11. Lib. 3. cap. 16. Lib. 4. cap. 17. & e Theologis Suarez Tom. 3. in 3. part. S. Thomæ diſp. 24. ſect. 2.

Dicitur 5. *aut veram virtutem*, exercitam ſcilicet, aut exercendam. Unde Martyribus annumerandi veniunt, qui lethali cadunt ictu, ſeu propter aſſerta ſuę Eccleſiæ jura, ut S. Thomas Cantuarienſis; ſeu ne confeſſionis ſigillo deeſſent, ut S. Joannes Nepomucenus; ſeu ne libidini impuræ cederent, ut tot novi Teſtamenti virgines; ſeu quia ſacris operati ſint, &c. Hi nempe omnes exhibent teſtimonium Chriſto, quatenus legem ipſius, & traditam ab ipſo de virtutibus doctrinam fuſo ſanguine comprobant.

Dicitur 6. *tolerata*, nimirum a quocumque inferatur: Unde puella vel Judex, qui etiam a Catholicis necantur, ne reſiliant ille a ſententia juſte lata, iſthęc a ſalubri caſtitatis voto, vere ſunt Martyres. In his tamen, ut in ceteris Martyribus, nulla intervenire debet ad vitę proprię defenſionem reſiſtentia; quia martyrii paſſio debet in adultis
Bolman. eſſe voluntaria; & *mortis Chriſti, tanquam ovis ad occiſionem ducti, aſſimilativa*. Unde milites ab hęreticis aut infidelibus in bello Religionis occiſi, etſi merentur plurimum, non ſunt in rigore Martyres; quia dum reſiſtendo cadunt, victi ſunt potius, quam victores. Qui tamen ex naturali mortis metu reſiſterent, non vim vi repellendo, ſed lethalem ictum, ſeu fuga, ſeu interpoſiti objecti ope declinando, a Martyrum cœtu non eſſent alieni; quia non eſt hęc veri nominis reſiſtentia, quę voluntariam mortis acceptationem excludat.

Dicitur 7. *& in odium ejus illata*: quia eos tantum ut Martyres colit Eccleſia, qui in odium aut Chriſti aut Chriſtianę virtutis occubuere: unde, quidquid reclamet Theophilus Raynaud., in Opere *De martyrio per peſtem*, non eſt proprie martyr qui ob pręſtita peſte infectis auxilia mortem oppetit, niſi ad id a Tyranno damnatus ſit in odium Dei, ut fuſe & erudite probat in Opere ſuo *De ſervorum Dei beatificatione*, &c. Proſper de Lambertinis, qui nunc toti Eccleſię ut pietate & ſcientia ſic & dignitate preeſt. Vid. Lib. 3. c. 11. Et vero unum e martyrii privilegiis, eſt ut necata propter Chriſtum matre, filius quem utero gerit, ab originali noxa mundetur, ut mox dicturi ſumus: id autem Catholicorum nemo hactenus dixit de infante illius, quę peſte contactis miniſtrando, diem clauſerit. His adde pari quo matrem illam jure, inſcribendos fore Martyrum albo, ſeu qui mori mallent, quam caſtitatis jacturam facere, ut S. Caſimiro evenit; ſeu qui vetito medio vitam ſervare nollent, ut Carthuſienſes carnium uſu, Religioſi regularum infractione, &c. hi enim & ſimiles in exercitio chriſtianę virtutis moriuntur: unde ulterius pro illis orandum non eſſet; cum ex Innocentio III. cap. 6. *De celeb. Miſſar. injuriam faciat Martyri, qui orat pro Martyre*: at hęc pluſquam

quam falſa ſunt & abſurda. Unde Raynaudi propoſitio ab Inquiſitione Romana proſcripta eſt an. 1647. die Martii XI. prout multis oſtendit Thomas Hurtadus. Ita Gonet diſp. 1. nu. 170. & ſeq.

Jam duo quæruntur, 1. an martyrium tam in infantibus quam in adultis ſuppleat Baptiſmi vices; 2. an ſi ſuppleat; præſtet id vi operis externi, ſeu ex opere operato, an ſolum ex opere operantis. Sit

CONCLUSIO I. Martyrium tam in infantibus, quam in adultis ſupplet effectum Baptiſmi, non tamen quemcumque. Tres ſunt partes: prima, quæ infantes ſpectat, eſt contra Catholicos quoſdam, quorum alii cum Ricardo Armacano in Irlandia Præſule, nullum ex infantibus ab Herode propter Chriſtum occiſis, præter circumciſos, ſalvum fuiſſe probabiliter defendi poſſe opinatur: alii cum Cardinali de Vitriaco, licet infantes ab Herode interfectos, ad paradiſum raptos eſſe concedant, negant conſtanter idem dicendum de Chriſtianorum infantibus, qui ſubinde in odium Chriſti a Paganis necari potuere. Secunda eſt contra Valentinianos, qui omne martyrio meritum ademerunt, itaut juxta ipſos, teſte Tertulliano Lib. Scorpiaci cap. 1. *Non ſimplicitas, ſed vanitas, imo dementia eſſet pro Deo mori*.

Prob. 1. pars de infantibus, 1. quia & ad eos extenditur generalis iſthæc Chriſti ſententia Matth. 10. v. 39. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam;* nam & hi quoque animam ſuam perdunt propter Chriſtum.

Prob. 2. ex hoc S. Thomæ principio: *In Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis: ſed hic eſſet error damnabilis, ſi veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit peccator*, ſeu qui in peccato mortuus eſt. Unde ſic: Ut infantes per martyrium ſalvari jure ac merito exiſtimentur, tria ſufficiunt; 1. ut Eccleſia infantes ab Herode propter Chriſtum occiſos, ab initio coluerit tanquam Sanctos; 2. ut eos nonniſi martyrii titulo pro talibus habuerit; 3. ut eadem ſit ceterorum, quæ iſtorum, conditio: atqui tria hæc conſtant. Primum quidem; tum quia non poteſt aſſignari tempus, quo contra Veterum fidem fides hæc nata ſit; tum quia erat hæc purioribus ſæculis, non unius cujuſdam loci, ſed totius Eccleſiæ perſuaſio. Unde generatim Auguſtinus Lib. 3. de lib. arbit. cap. 23. non dubitanter, non quaſi rem novitatis ſuſpectam dicturus, *Etiam*, inquit, *infantes illos, qui cum Dominus J. C. necandus quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum receptos* COMMENDAT ECCLESIA. Idem antea pro Oriente teſtatus erat S. Chryſoſtomus Hom. 3. in varios S. Matthæi textus, ubi de infantibus ab Herode trucidatis: *Mercantur*, inquit, *pœna martyrium, gloriam ſanguine comparant, vitam æternam temporali morte commutant*. Neque alia erat Eccleſiæ Eccleſiarum omnium Magiſtræ traditio; quod belle indicant nota hæc S. Leonis verba, Serm. 1. de Epiphania, cap. 3. *Necari omnes Bethleem parvulos jubet* Herodes . . . *ſed quos Rex impius eximit mundo, Chriſtus inferit cœlo; & quibus nondum ſanguinis ſui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem*. Merito igitur contrariam opinionem temeritatis & magni erroris redarguit Suarez cit. diſp. 24. ſect. 1.

Quodl. 9. art. 16.

Secundum non minus evidens eſt, 1. quia Eccleſia, quoties horumce infantium felicitatem commemorat, uni eorum martyrio innititur, nuſquam

ſui defenſione, vel pro quopiam veræ fidei articulo comburitur: quia non patitur *ut* vere *Chriſtianus*; cum quæ credit, fide ſolum credat humana, ea nimirum qua credit errores ſuos, pro quibus etiam mori paratus eſt. Hinc rurſus Catholici omnes, & merito, ad martyrium in adultis requirunt paſſionem ex ſupernaturali motivo profectam; quia Chriſti Martyres Chriſto uniri debent, quod per ſolas Philoſophiæ vires fieri nequit. Conſulantur Cyprianus Epiſt. 52. 54. & 73. Auguſtinus de Bapt. Lib. 1. cap. 11. Lib. 3. cap. 16. Lib. 4. cap. 17. & e Theologis Suarez Tom. 3. in 3. part. S. Thomæ diſp. 24. ſect. 2.

Dicitur 5. *aut veram virtutem*, exercitam ſcilicet, aut exercendam. Unde Martyribus annumerandi veniunt, qui lethali cadunt ictu, ſeu propter aſſerta ſuę Eccleſiæ jura, ut S. Thomas Cantuarienſis; ſeu ne confeſſionis ſigillo deeſſent, ut S. Joannes Nepomucenus; ſeu ne libidini impuræ cederent, ut tot novi Teſtamenti virgines; ſeu quia ſacris operati ſint, &c. Hi nempe omnes exhibent teſtimonium Chriſto, quatenus legem ipſius, & traditam ab ipſo de virtutibus doctrinam fuſo ſanguine comprobant.

Dicitur 6. *tolerata*, nimirum a quocumque inferatur: Unde puella vel Judex, qui etiam a Catholicis necantur, ne reſiliant ille a ſententia juſte lata, iſthęc a ſalubri caſtitatis voto, vere ſunt Martyres. In his tamen, ut in ceteris Martyribus, nulla intervenire debet ad vitę proprię defenſionem reſiſtentia; quia martyrii paſſio debet in adultis Bolman. eſſe voluntaria; & *mortis Chriſti*, *tanquam ovis ad occiſionem ducti*, *aſſimilativa*. Unde milites ab hęreticis aut infidelibus in bello Religionis occiſi, etſi merentur plurimum, non ſunt in rigore Martyres; quia dum reſiſtendo cadunt, victi ſunt potius, quam victores. Qui tamen ex naturali mortis metu reſiſterent, non vim vi repellendo, ſed lethalem ictum, ſeu fuga, ſeu interpoſiti objecti ope declinando, a Martyrum cœtu non eſſent alieni; quia non eſt hęc veri nominis reſiſtentia, quę voluntariam mortis acceptationem excludat.

Dicitur 7. *& in odium ejus illata*: quia eos tantum ut Martyres colit Eccleſia, qui in odium aut Chriſti aut Chriſtianę virtutis occubuere: unde, quidquid reclamet Theophilus Raynaud., in Opere *De martyrio per peſtem*, non eſt proprie martyr qui ob pręſtita peſte infectis auxilia mortem oppetit, niſi ad id a Tyranno damnatus ſit in odium Dei, ut fuſe & erudite probat in Opere ſuo *De ſervorum Dei beatificatione*, &c. Proſper de Lambertinis, qui nunc toti Eccleſię ut pietate & ſcientia ſic & dignitate pręeſt. Vid. Lib. 3. c. 11. Et vero unum e martyrii privilegiis, eſt ut necata propter Chriſtum matre, filius quem utero gerit, ab originali noxa mundetur, ut mox dicturi ſumus: id autem Catholicorum nemo hactenus dixit de infante illius, quę peſte contactis miniſtrando, diem clauſerit. His adde pari quo matrem illam jure, inſcribendos fore Martyrum albo, ſeu qui mori mallent, quam caſtitatis jacturam facere, ut S. Caſimiro evenit; ſeu qui vetito medio vitam ſervare nollent, ut Carthuſienſes carnium uſu, Religioſi regularum infractione, &c. hi enim & ſimiles in exercitio chriſtianę virtutis moriuntur: unde ulterius pro illis orandum non eſſet; cum ex Innocentio III. cap. 6. *De celeb. Miſſar. injuriam faciat Martyri, qui orat pro Martyre*: at hęc pluſquam

quam

quam falſa ſunt & abſurda. Unde Raynaudi propoſitio ab Inquiſitione Romana proſcripta eſt an. 1647. die Martii XI. prout multis oſtendit Thomas Hurtadus. Ita Gonet diſp. 1. nu. 170. & ſeq.

Jam duo quæruntur, 1. an martyrium tam in infantibus quam in adultis ſuppleat Baptiſmi vices; 2. an ſi ſuppleat; præſtet id vi operis externi, ſeu ex opere operato, an ſolum ex opere operantis. Sit

CONCLUSIO I. Martyrium tam in infantibus, quam in adultis ſupplet effectum Baptiſmi, non tamen quemcumque. Tres ſunt partes: prima, quæ infantes ſpectat, eſt contra Catholicos quoſdam, quorum alii cum Ricardo Armacano in Irlandia Præſule, nullum ex infantibus ab Herode propter Chriſtum occiſis, præter circumciſos, ſalvum fuiſſe probabiliter defendi poſſe opinatur: alii cum Cardinali de Vitriaco, licet infantes ab Herode interfectos, ad paradiſum raptos eſſe concedant, negant conſtanter idem dicendum de Chriſtianorum infantibus, qui ſubinde in odium Chriſti a Paganis necari potuere. Secunda eſt contra Valentinianos, qui omne martyrio meritum ademerunt, itaut juxta ipſos, teſte Tertulliano Lib. Scorpiaci cap. 1. *Non ſimplicitas, ſed vanitas, imo dementia* eſſet *pro Deo mori*.

Prob. 1. pars de infantibus, 1. quia & ad eos extenditur generalis iſthæc Chriſti ſententia Matth. 10. v. 39. *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam;* nam & hi quoque animam ſuam perdunt propter Chriſtum.

Prob. 2. ex hoc S. Thomæ principio: *In Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis: ſed hic eſſet error damnabilis, ſi veneraretur tanquam Sanctus, qui fuit peccator*, ſeu qui in peccato mortuus eſt. Unde ſic: Ut infantes per martyrium ſalvari jure ac merito exiſtimentur, tria ſufficiunt, 1. ut Eccleſia infantes ab Herode propter Chriſtum occiſos, ab initio coluerit tanquam Sanctos; 2. ut eos nonniſi martyrii titulo pro talibus habuerit; 3. ut eadem ſit ceterorum, quæ iſtorum, conditio: atqui tria hæc conſtant. Primum quidem; tum quia non poteſt aſſignari tempus, quo contra Veterum fidem fides hæc nata ſit; tum quia erat hæc purioribus ſæculis, non unius cujuſdam loci, ſed totius Eccleſiæ perſuaſio. Unde generatim Auguſtinus Lib. 3. de lib. arbit. cap. 23. non dubitanter, non quaſi rem novitatis ſuſpectam dicturus, *Etiam*, inquit, *infantes illos, qui cum Dominus J. C. necandus quæreretur, occiſi ſunt, in honorem Martyrum receptos* COMMENDAT ECCLESIA. Idem antea pro Oriente teſtatus erat S. Chryſoſtomus Hom. 3. in varios S. Matthæi textus, ubi de infantibus ab Herode trucidatis: *Mercantur*, inquit, *pœna martyrium, gloriam ſanguine comparant, vitam æternam temporali morte commutant*. Neque alia erat Eccleſiæ Eccleſiarum omnium Magiſtræ traditio; quod belle indicant nota hæc S. Leonis verba, Serm. 1. de Epiphania, cap. 3. *Necari omnes Bethleem parvulos jubet* Herodes .·.·. *ſed quos Rex impius eximit mundo, Chriſtus inferit cœlo; & quibus nondum ſanguinis ſui impendit redemptionem, jam martyrii tribuit dignitatem*. Merito igitur contrariam opinionem temeritatis & magni erroris redarguit Suarez cit. diſp. 24. ſect. 1.

Quodl. 9. art. 16.

Secundum non minus evidens eſt, 1. quia Eccleſia, quoties horumce infantium felicitatem commemorat, uni eorum martyrio innititur, nuſquam

quam circumciſioni ab iis receptæ. Patet id tum ex textibus modo allatis; tum ex oratione in Feſto SS. Innocentium ubique recitari conſueta; *Deus, cujus præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſsi ſunt;* tum ex his Auguſtini, alteriuſve qui auctor ſit Sermonis ad Apud Auguſt. to. 6. p. 571. D. Catechumenos, verbis: *Præſtitit eis Chriſtus, ut pro Chriſto morerentur: præſtitit ut ſuo ſanguine ab originali peccato diluerentur;* 2. quia ſi circumciſio reapſe ſuſcepta, ſola eſſet Eccleſię ratio prędictos infantes colendi, cultus ejus a motivo nimium incerto penderet. Et vero unde habuit aut habere potuit Eccleſia, infantes illos vel omnes ne uno excepto fuiſſe Judęos, vel omnes ad unum circumciſos fuiſſe? Profecto cum Herodes omnes pueros *a bimatu & infra* necari juſſerit, veri admodum ſimile eſt, e tanta multitudine, quam aliqui ad quatuordecim millia provehunt, plures fuiſſe vel oriundos a Gentilibus, qui Judęis commiſti vivebant, vel, qui licet nati Judęis, necdum regenerati eſſent. Utique tametſi Baptiſmus apud Chriſtianos haud multum differri ſolet, qui in urbe aliqua finitimiſque locis tot parvulos interimerent, plures indubie ante Baptiſmum interimerent.

Tertium liquet, 1. quia ubi par cauſa, par & Dei benignitas, parem oportet eſſe effectum: atqui par eſt cauſa eorum qui hodie in odium fidei necarentur, &c. Unde S. Leo ſolam attendit cauſam: *Ut diſceretur*, inquit, *nullum hominem incapacem eſſe divini Sacramenti;* 2. quia id expreſſe docent Patres; & inter alios Auguſtinus Lib. 13. de Civ. Dei cap 7. ubi ſic generatim & indiſtincte loquitur: *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis. Qui enim dixit*, Si quis renatus non fuerit ex aqua, &c. *alia ſententia iſtos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit*, Qui me confeſſus fuerit, &c. *& alio loco*, Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Legatur & Epiſt. 166. alias 28. ad Hieronymum, ubi ipſi etiam infantes, *qui pro Chriſti nomine ac vera Religione* .˙.˙. *patiuntur*, ejuſdem ſtatuuntur conditionis, ac qui *Sacramento Chriſti jam imbuti ſunt*..

Prob. 2. pars de adultis, 1. quia martyrium non debet minorem parere effectum in adultis, a quibus pie & voluntarie acceptatur, quam in infantibus, qui nullo pietatis ſenſu moveri poſſunt; prout a ſimili patet in Baptiſmo aquæ: atqui ex modo dictis martyrium infantibus ſufficit ad regenerationem; ergo.

2. ex Patribus, qui doctrinam hanc tam unanimi calculo aſtruunt, ut paucos retuliſſe ſatis ſit. Tertullianus Lib. de Bapt. cap. 16. *Baptiſmus* ſanguinis, ait, *lavacrum* aquę *non acceptum repræſentat, & perditum reddit*. S. Cyprianus pluribus in locis, ſed præſertim in Epiſt. 73. ad Jubajan. *Sciant*, inquit, *Catechumenos* pro fide occiſos, *non privari Baptiſmi Sacramento, utpote qui baptizentur glorioſiſſimo & maximo ſanguinis Baptiſmo* .˙.˙. *Sanguine autem ſuo baptizatos, & paſsione ſanctificatos conſummari, & divinæ pollicitationis gratiam conſequi declarat in Evangelio Dominus*. S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 3. *Si quis non baptizatur, ſalutem non habet, præter ſolos Martyres, qui vel ſine aqua regno cœleſti potiuntur*. S. Auguſtinus Lib. 1. de anima & ejus originę, cap. 9. *Nemo fit*

mem-

Google

membrum Chriſti, niſi aut Baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto. S. Proſper Lib. Sententiarum, Sent. 149. *Qui non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad abluenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte Baptiſmatis*, & in Libro Epigrammatum:

Si mundo moritur divino fonte renaſcens
Fitque novus vita, qui ſepelitur aqua
Fraudati non ſunt ſacro Baptiſmate Chriſti,
Fons quibus ipſa ſui ſanguinis unda fuit.
Et quidquid ſacri fert myſtica forma lavacri,
Id totum implevit gloria martyrii.

Quibus omnibus theſis noſtra iiſdem verbis redditur & continetur. Plura ſi voles, videris apud Suarem ibid. ſect. 2.

Prob. 3. pars, quia martyrium ſupplet Baptiſmi vices, tum quoad effectum gratiæ, juſtificationis, remiſſionis peccatorum & gloriæ; tum quoad condonationem omnis pœnæ peccato debitæ, tam temporalis, quam æternæ. Prima pars de gratia, juſtificatione, &c. ſequitur ex probationibus modo allatis: qui enim animam ſuam ſalvant, qui divinæ pollicitationis gratiam obtinent, qui paſſione ſua conſummantur, illi dubio procul effectum gratiæ, juſtificationis, &c. recipiunt: atqui ex ſupra dictis Martyres animam ſuam ſalvant, &c. ergo. Secunda pars non minus indubie conſtat ex Patribus, quorum alii cum Tertulliano in Scorp. c. 6. docent *proprie Martyribus nihil jam reputari* poſſe: alii cum S. Cypriano Epiſt. 58. Martyrum *peccata omnia paſſione* purgari. Hinc Auguſtinus Tract. 84. in Joan. *Ideo quippe*, ait, *ad ipſam menſam non ſic* Martyres *commemoramus, quemadmodum alios qui in pace requieſcant, ut etiam pro eis oremus; ſed magis ut ipſi pro nobis, ut eorum veſtigiis adhæreamus. Injuria eſt enim*, ait alibi S. Doctor, *pro Martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari: certavit enim contra peccatum uſque ad ſanguinem*. Unde manavit utique receptum iſtud Innocentii III. cap. 6. *De celebr. Miſſar. Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*.

Prob. 4. pars, facta veluti partium enumeratione: 1. enim martyrium non poteſt ſupplere Baptiſma quoad characteris impreſſionem; eſt enim impreſſio hæc effectus proprius trium Sacramentorum, quæ iterari non poſſunt; 2. nec ipſum ſupplere poteſt quoad ſubjectionem Eccleſiaſticæ juriſdictioni; quia hæc ad eos ſolum extenditur qui Eccleſiæ incorporati fuerint; 3. neque quoad capacitatem proximam alia recipiendi Sacramenta; cum hæc ab iis tantum recipi poſſint, qui per Baptiſmum effecti ſunt ejuſdem Eccleſiæ membra, uti dictum eſt ſuperius; ergo.

Objiciuntur quatuor contra 1. part. 1. generaliter & ſine exceptione dictum eſſe a Chriſto, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. ubi porro Legiſlator non excipit, nec nos excipere fas eſt; 2. martyrium non poſſe prodeſſe niſi prout eſt actus virtutis; quod in infantibus locum non habet; 3. Martyri, ſi reviviſceret, neceſſariam fore Baptiſmi ſuſceptionem: quod ſupponit hominem vi martyrii ſolius minime juſtificari; 4. plus nos tribuere Baptiſmo ſanguinis, quam lavacro aquæ, cum iſtud infanti, niſi extra uterum matris prodierit, prodeſſe nequeat; ille juxta nos eidem necdum nato prodeſſe poſſit. Verum hæc parum urgent,

Non

Non 1. quia qui regulam ſanxit, appoſuit & exceptionem regulæ, ut ſupra ajebat & probabat Auguſtinus.

Non 2. quia luſtrale Baptiſma ſine ullo virtutis actu infantibus prodeſt, licet ſine eodem actu non poſſit adultis, ſic & martyrium, Deo volente.

Non 3. neque enim neceſſum eſt ut Martyr reviviſcens Baptiſmum recipiat, quia non ante fuerit juſtificatus; ſed quia nec vere Martyr, nec vere juſtificatus fuit, niſi quod ſincerum haberet omnia Dei præcepta ſervandi deſiderium, ac proinde recipiendi Baptiſmi. Et vero baptizati ſunt Cornelius, ejuſque Socii Act. 10. & ii tamen jam certiſſime erant juſtificati.

Non 4. quia cum martyrium mortem Chriſti non in figura ſolum exprimat, ut Baptiſmus aquæ, ſed penes ipſam rei veritatem, nihil mirum ſi & ad plures extendi poſſit, & ſpecialem eis aureolam promereri. Sunt tamen qui credant, Martyrem non fore puerum, quem Tyrannus occidiſſet præter mentem, puta quia neſcierat matrem eſſe gravidam. Et vero, inquiunt, ſi ad martyrium ſatis ſit in odium Chriſti interimi, quocumque id modo contigat; Martyr erit Petrus, quem quis ſagitta confoderit, volens Paulum transfigere; quod nemo facile admiſerit.

Objiciuntur duo contra 2. part. 1. auctoritas Tertulliani, qui Lib. de pudicitia cap. ult. hæc habet: *Quod ſi mœchis ad vota Martyrum relaxetur pœnitentiæ tempus, jam & martyrium aliud erit Baptiſma*: ergo negavit Tertullianus martyrium eſſe verum Baptiſma; 2. auctoritas S. Cypriani, qui Ep. 54. *Nec*, inquit, *quiſquam dicat; Qui martyrium tulit, ſanguine ſuo baptizatur, nec pax illi ab Epiſcopo neceſſaria eſt habituro gloriæ pacem*; ergo cenſet S. Doctor martyrium non ſufficere ad ſalutem; 3. vel adultus ante martyrium votum habet Baptiſmi, vel non: ſi 2. juſtificari nequit; ſi 1. jam ex voto juſtificatus eſt; ergo nihil eſt cur juſtificatio ejus martyrio attribuatur.

R. ad 1. Tertulliano jam Montaniſtæ, cum ſcripſit Librum de pudicitia, ex quo proinde nihil colligi poſſit, opponimus Tertullianum Catholicum, qui, ut ex citato ejus inter probationes textu liquet, idem ſenſit cum aliis Eccleſiæ Doctoribus. Quamquam dici poteſt Tertullianum in textu objecto nolle quidem ut martyrium ſit Baptiſma reſpectu eorum quibus a Martyribus applicabatur; non negare autem illud eſſe Baptiſma reſpectu eorum, qui ipſum patiebantur: atque id indicant hæc ejus ibid. verba: *Sufficiat Martyri propria delicta purgaſſe. Ingrati vel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus.*

Ad 2. diſt. conſeq. cenſet Cyprianus non ſufficere martyrium iis qui Baptiſmum ex gravi negligentia omittebant, C. ſecus, N. itaque qui Baptiſmum recipere valens, eum negligeret ſpe martyrii, & peccaret graviter, graviſſimam Chriſti legem quaſi aſpernando, & nullum, niſi negligentiam ſuam pœnitendo dilueret, ex martyrio fructum reportaret. Verum aliud eſt de iis quibus deeſt Baptiſmus, non ipſi Baptiſmo, prout ſupra ex ipſo Cypriano didicimus.

Confirm. ſic ibid. pergit S. Doctor: *Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium qui ab Eccleſia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta*

Digitized by Google

pta *Euchariſtia erigit & accedit:* ubi Euchariſtia ad martyrium requiritur ſicut Baptiſmus; & tamen nemo dixerit nullam ineſſe vim martyrio independenter ab Euchariſtiæ ſuſceptione.

Ad 3. dico non omne Baptiſmi votum ſufficere ad juſtificationem; idque patebit ex dicendis; ergo ſtat Martyrem non juſtificari per Baptiſmi votum, ſed per aliud quidpiam, quod quale ſit paulo infra expendere conabimur.

Objic. contra 3. part. Docet Tridentinum Seſſ. 6. c. 4. juſtificationem primam fieri non poſſe, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto; ergo juſtificatio Martyris in martyrium refundi non debet.

Reſp. cum Silvio in 3. p. q. 66. art. 11. v. *Quæritur* 11. *Concilium loquitur extra caſum martyrii, & ideo admittit illam exceptionem a generali ſententia, quam ipſemet Chriſtus, juxta communem Patrum expoſitionem fecit. Et quamvis adulti juſtificari poſſint per contritionem, quæ includat votum Baptiſmi, poſſunt tamen etiam ſalvari mortem ſuſtinendo pro Chriſto, etiamſi non incidat illis cogitatio de Baptiſmo, & conſequenter nec deſiderium.* Addit Eſtius in 4. diſt. 4. §. 21 pag. mihi 63. Martyres, qui urgente perſecutore prohibentur a Baptiſmo, tunc nequidem ad ejus votum ulla lege teneri; cum ſalutem ab alio, eoque excellentiore remedio expectent. *Non enim*, inquit, *ſi quis neceſſitate aliqua prohibetur ab impletione legis poſitivæ, velut jejunii aut vigiliæ; tenetur deſiderio ad eam implendam aſpirare, ſed ſufficit ut non contemnat; niſi forte lex talis ſit, quæ remedium præſcribit ad ſalutem neceſſarium, cujuſmodi eſt lex Baptiſmi extra caſum martyrii.* Quæ Eſtii verba expendens & adoptans Silvius ibid. v. *Quæritur* 111. notat per ea non excludi implicitum martyrii deſiderium, quandoquidem in dilectione, qua quis pro Chriſto mortem ſubire vult, contineatur *implicita voluntas parendi ejus mandatis, & conſequenter ſuſcipiendi Baptiſmi, quando erit facultas.*

Objic. contra 4. part. Qui vere juſtificantur, vere fiunt membra Eccleſiæ: atqui tam adulti quam infantes per martyrium vere juſtificantur; ergo.

Reſp. diſt. maj. fiunt membra Eccleſiæ latius ſumptæ pro collectione juſtificatorum quocumque modo, C. membra Eccleſiæ viſibilis, ſeu corporis illius moralis, quod certis legibus vivit, certa participat Sacramenta, certis ſubjacet Canonum pœnis, certis tenetur obſequi Paſtoribus, N. ſed de his in Tract. de Eccleſia.

Conclusio II. Martyrium quaſi ex opere operato ſupplet Baptiſmi vices in infantibus, & in ipſis etiam adultis quantum ad relaxationem pœnæ peccato debitæ; an quantum ad remiſſionem culpæ non omnino conſtat.

Dixi, *quaſi ex opere operato*, quia operari ſtricte & proprie ex opere operato, iis ſolum divinæ miſericordiæ inſtrumentis competit, quæ important actionem nomine & vice Chriſti tanquam principalis agentis exercitam: id autem in ſolis Sacramentis locum habet, non in martyrio, quod a Tyrannis non in nomine & vice Chriſti, ſed potius dæmonis infertur. Jam

Prob. 1. pars. Martyrium ex dictis ſupplet Baptiſmi defectum in infantibus: atqui non ſupplet ex opere operantis; ergo ſupereſt ut ſuppleat

vel.

vel ex opere operato, vel per modum operis operati, ſeu, ut alii dicere malunt, ex ſingulari privilegio.

Prob. 2. pars. Per martyrium remittitur tota pœna temporalis; unde injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre: atqui tota hæc pœna non remittitur niſi ex opere operato, ad ſenſum expoſitum, qui deinceps ſubintelligetur. Vel enim tota pœna remittitur vi operis operati, vel propter vim ſatisfactoriam pœnæ; vel demum propter fervorem charitatis: atqui nullum e poſtremis duobus dici poteſt. Non 1. gratis enim dicitur, quod mors lenis, puta capitis abſciſſio, ſit plena & idonea ſatisfactio pro graviſſimis ſceleribus, quibus ſe quis toto longæ vitæ decurſu fœdaverit; & ex quibus ipſam mortem, eamque per graviora quæque ſupplicia inferendam promeruerit. Non 2. multi enim SS. Confeſſores ardentiori charitatis æſtu peruſti ſunt, quam Martyres multi; nec ideo tamen indulgentiam pœnæ temporalis peccatis anteà commiſſis debitæ conſecuti ſunt; ergo.

Prob. 3. pars. In materia quæ non ſpernendis hinc & inde momentis fulcitur, nihil eſt quod certo conſtet: atqui in præſenti materia utraque pars contradictionis rationibus minime ſpernendis fulcitur. Qui enim martyrium negant ad ſalutem prodeſſe ſecluſo veræ charitatis actu quo acceptetur mors in odium Chriſti illata, arguunt & pugnant, nec improbabiliter, 1. ex his Pauli verbis I. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, itaut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, ex quibus colligit S. Thomas 3. p. qu. 66. art. 12. ad 2. *quod effuſio ſanguinis non habet rationem Baptiſmi, ſi ſit ſine charitate. Ex quo*, pergit S. Doctor, *patet quod Baptiſmus ſanguinis includit Baptiſmum flaminis, & non e converſo: unde ex hoc ipſo probatur perfectior.*

Reponunt quidem adverſarii cum Goneto hic diſp. 1. n. 163. martyrium, tametſi feratur ſine charitate antecedente, nunquam tamen eſſe ſine charitate conſequente: quia in eo qui ſolum attritus eſt de peccatis ſuis ſemper producitur charitas vi martyrii ipſius.

Verum hæc reſponſio duplici ex capite nutat, 1. quod ſupponit id quod in quęſtione eſt; 2. quod directe adverſatur S. Thomę. Siquidem diſerte docet Angelicus Pręceptor in Baptiſmo ſanguinis contineri & Baptiſmum flaminis; ex quo ulterius infert ſanguinis Baptiſmum, Baptiſmo flaminis eſſe perfectiorem: atqui ſi Baptiſmus ſanguinis non aliam haberet charitatem, quam quę ipſius martyrii effectus ſit, jam nec contineret Baptiſmum flaminis; cum iſte prævios intenſę dilectionis actus ſupponat, ut fatentur omnes; nec eſſet eo perfectior, cum Baptiſmo flaminis admodum intenſo, major reſpondere poſſit gratia, quam martyrio; ergo.

Confirm. S. Doctor 2. 2. qu. 124. art. 2. ſic habet ad 2. *Ad actum martyrii inclinat quidem charitas, ſicut primum & principale motivum per modum virtutis imperantis; fortitudo autem ſicut motivum proprium per modum virtutis elicientis. Et inde eſt quod martyrium eſt actus charitatis ut imperantis; fortitudinis autem ut elicientis . . . Quod autem ſit meritorium hoc habet ex charitate, ſicut & quilibet virtutis actus; & ideo ſine charitate non valet*: atqui charitas quę inclinat ad actum martyrii, quę eſt martyrii primum & principale motivum, quę martyrium imperat,

a qua

a qua martyrium habet quod ſit meritorium, neceſſario martyrium antecedit; ut bene notat, qui tamen nobis adverſatur Contenſonius; ergo.

Arguunt 2. quia martyrium ſine charitatis actu juſtificare non poteſt, niſi id ita ſit a Deo conſtitutum: atqui Deum id ita conſtituiſſe, nec ex Scriptura probari poteſt, nec ex Eccleſiæ definitionibus, nec ex aſſertione Patrum.

Non ex Scriptura: hi enim textus, *Qui me confeſſus fuerit*, *Qui perdiderit animam ſuam*, tacitam hanc important conditionem quoad adultos, Qui me confeſſus fuerit, *ut par eſt;* prout fatentur adverſarii, qui ideo volunt omnes, adultum acceptare mortem ex motivo pio & ſupernaturali, & cum attritione, ſeu *formidoloſa*, ut alii dicunt, ſeu *dilectrice*, ut placet quibuſdam: atqui nullibi declarat Scriptura, eum qui ex motivo a motivo charitatis diverſo & inferiore mortem acceptat, confiteri Chriſtum *ut par eſt;* imo contrarium in allato S. Pauli textu docere videtur; ergo.

Non ex Eccleſiæ definitionibus: cedo enim vel unam ſeu generalem, ſeu particularem Synodum, cedo vel unum e Romanis Pontificibus, qui mortem in odium Chriſti illatam, & ex ſolo inferi metu, aut gloriæ deſiderio, citra amorem Dei propter ſe, acceptatam, definierit ad peccati remiſſionem ſufficere.

Non ex Patribus: hi enim plus quidem martyrio tribuunt efficaciæ quam Baptiſmati: ſed non dicunt efficaciam hanc martyrio competere independenter ab actu charitatis: imo plures ſaltem vim illam perfectæ Chriſti dilectioni attribuunt. Sic Tertullianus Lib. adverſus Praxeam cap. 1. *Etſi*, inquit, *corpus ſuum tradidiſſet exurendum* Praxeas, *nibil profeciſſet, dilectionem Dei non habens*, & Scorpiaci cap. 6. *Propterea*, inquit, *Martyribus nihil jam reputari poteſt, quibus in lavacro ipſa vita deponitur. Sic dilectio operit multitudinem delictorum, quæ Deum ſcilicet diligens ex totis viribus ſuis, quibus in martyrio decertat, ex tota anima ſua, quam pro Deo ponit, hominem Martyrem excudit:* ubi quę martyrio ineſt vis delendi peccata, tribuitur perfectę Dei dilectioni, ex qua martyrium libenter ſuſcipitur. Sic Auguſtinus Lib. 4. de Bapt. cap. 17. *Numquid poteſt*, *inquit* Cyprianus, *vis Baptiſmi major eſſe aut potior, quam confeſſio, quam paſſio, ut quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur? Et tamen*, *inquit*, *neque hoc Baptiſma hæretico prodeſt .·.·.· quia charitatem non habuiſſe convincitur, de qua Apoſtolus dicit:* Et ſi tradidero corpus meum, &c. ibid. Lib. 3. cap. 16. ad hęc Apoſtoli verba: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, ſic loquitur: *Ipſa eſt charitas quam non habent, qui ab Eccleſiæ Catholicæ communione præciſi ſunt, ac per hoc etiamſi .·.·.· tradunt corpus ſuum ut ardeat, nihil eis prodeſt:* ubi ad effectum martyrii pręrequiritur ut Martyri inexiſtat vera & intenſa charitas; & Lib. 13. de Civ. Dei cap. 7. poſt hęc verba, quibus perperam innituntur Adverſarii: *Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro Chriſti confeſſione moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis*, hęc addit paulo poſt, quibus pręcedens propoſitio ad eos qui ex amore mortem ſubeunt, determinatur: *Sed quando ſine abundantia gratiæ Spiritus illius, qui ubi vult ſpirat, tantum Chriſtum amare poſſunt, ut eum in tanto vitæ diſcrimine,*

Digitized by Google

ne, ſub tanta ſpe veniæ negare non poſſint. Sic S. Bernardus Epiſt. 77. ad Hugonem Victorinum: *Etſi*, inquit, *martyrium vicem Baptiſmi poſſe implere conceditur, non plane hoc facit pœna, ſed ipſa fides*, utique quæ per dilectionem operatur; *nam abſque ipſa quid eſt martyrium niſi pœna? Quæ ergo martyrio præſtat, ut abſque ulla dubietate pro Baptiſmate reputetur*, quomodo *ipſa ita infirma & imbecillis per ſe erit, ut quod dare alteri valet, ſola non valeat obtinere?* ubi martyrium juſtificandi vim totam habet ex ea fide quæ *per ſe* & extra martyrium juſtificare valet.

Arguunt 3. quia præceptum charitatis obligat ſub mortali in articulo mortis; ergo Martyr qui charitatis actum non eliceret, peccaret lethaliter, nedum martyrii gratiam reciperet. Quod enim reponit Gonet nu. 164. Martyres per accidens *ab hac obligatione liberari*, & gratis dicitur, & habet neſcio quid quod offendat.

Arguunt 4. quia ex omnium conſenſu, ea ſolum paſſio martyrium eſt, quæ eſt mors pro Chriſto tolerata: atqui mors pro Chriſto tolerata, eſt mors tolerata ex affectu amoris amicitiæ erga Chriſtum. Prob. min. quia mori pro aliquo, v.g. pro amico, in ſenſu obvio maxime & naturali, eſt mori ex affectu amicitiæ erga ipſum; uti aperte ſupponit Chriſtus ipſe Joan. 15. cum ait: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*; ubi animam ponere pro amicis, eſt illam ponere ex ipſorum dilectione, & quidem tanta, ut ii rebus omnibus, ac ipſi vitæ præponantur.

Et vero qui mortem ſibi in odium Chriſti illatam acceptaret, non ex amore amicitiæ, ſed ex inferiori motivo, puta ex ſolo damnationis metu, ſolove cœleſtis gloriæ intuitu, is nonniſi improprie diceretur mori pro Chriſto, ſed melius pro amore ſui, cui vel pœnam timet, vel bonum exoptat. Eſſet quidem utrumque, nempe metus ille, aut deſiderium beatitudinis, bonum quid & maxime ordinatum: ſed quæritur an bonum illud, quod ad juſtificationem non ſufficit extra martyrium, ad eamdem ſufficiat in martyrio. Volunt id adverſarii, ſed non evincunt. Ne vero momenta eorum, quæ forte graviora ſunt, quam videantur nobis, diſſimulaſſe incuſemur.

Pugnant illi 1. ex ipſo S. Thoma, qui in 4. diſt 4. q. 3. art. 3. quæſt. 3. ad 1. ſic loquitur: *Baptiſmus ſanguinis non habet hoc*, ideſt a culpa omni & pœna ſolvere, *tantum ex opere operantis* .·.·.·. *ſed hoc habet ex imitatione paſſionis Chriſti*: quod ibid. repetit q 4. & in qq. ad Annibaldum.

2. quia Chriſtus morti pro ſe toleratæ vitam æternam promittendo, nec amorem ſui ſuper omnia requiſiit; nec adultos inter & infantes diſtinxit: atqui ex ſupra conceſſis Baptiſmus in infantibus operatur ex opere operato; ergo & in adultis. Et vero ſi valet argumentum iſtud: Baptiſmus infantes juſtificat ex opere operato, ergo & adultos; debet valere & iſtud: Martyrium infantes juſtificat vi ſua, ergo & adultos.

3. quia Patres parem, quin & majorem martyrio tribuunt vim, quam Baptiſmo: atqui fictitia erit vis ea martyrii major, niſi operetur ex opere operato. Id enim quicum damnabitur homo iis in circumſtantiis, in quibus per Baptiſmum ſalvaretur, nequidem vim habebit Baptiſmo parem: atqui cum martyrio damnabitur homo .·. Sit enim fidelis peccator, ſed attritus tantum, qui mori malit, quam negare fidem, erit is

vere

vere Martyr, quia pro Chriſto & fide morietur: atqui is tamen juxta Adverſarios non ſalvabitur, tametſi in iiſdem circumſtantiis per Baptiſmum ſalvandus eſſet; ergo.

Confirm. quia Eccleſia neminem temere colit, colit autem ut Martyres, omnes illos quos in confeſſione veræ fidei & unitate Eccleſiæ mortuos eſſe conſtat: atqui hos temere, ſaltem aliquando coleret ut Martyres, ſi ad martyrium neceſſe foret mortem ex perfectæ charitatis motivo acceptari; cum fieri facile poſſit ut multi eam acceptent ſolo ſupplicii æterni metu; quod motivum ipſe propoſuit Chriſtus, cum dixit: *Timete eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam.*

4. quia ſi martyrium ex ſolo opere operantis conferret primam gratiam, jam Baptiſmus ſanguinis non diſtingueretur a Baptiſmo Flaminis; ſed utrumque eſſet verum Flaminis Baptiſma, quia utrumque conſiſteret in actu dilectionis Dei ſuper omnia propter ſe: atqui falſum eſt conſequens, totique adverſum Theologiæ, quæ tria diſtinguit Baptiſmata; ergo martyrium primam gratiam conferre debet ex opere operato. Et vero ſi martyrium ex ſingulari Dei privilegio habet quod peccata omnia remittat quoad reatum pœnæ temporalis; quidni dicatur habere privilegium ea remittendi quoad reatum culpæ.

Verum hæc & id genus alia quædam, non ita urgent, ut iis neceſſario cedendum ſit. Unde

Ad 1. patet ex dictis S. Thomam in Summa, Operum ſuorum poſtremo, receſſiſſe, ut non ſemel, ab ea quam primo tenuerat opinione: quod grave eſt contra adverſarios præjudicium.

Ad 2. 1. retorq. argum. Chriſtus morienti pro ſe vitam æternam promiſit, nulla facta mentione ſeu motivi ſupernaturalis, quo adultus acceptet mortem pro Chriſto, ſeu ſaltem contritionis imperfectæ, per quam idem adultus admiſſa a ſe peccata deteſtetur: atqui tamen fatentur adverſarii non prodeſſe martyrium, niſi ex motivo ſupernaturali acceptetur, & annexam habet contritionem, ad quam eorum alii initium quoddam charitatis requirant, alii ſolum pœnę timorem ſufficere putant; ergo.

Si dicant conditiones illas ſatis involvi in his verbis, *Qui me confeſſus fuerit*, &c. dicam & in his involvi conditiones quæ a nobis requiruntur; pręſertim cum id non inepte aſtruant probationes quas primo & tertio loco adduximus. Unde 2. neg. maj. pro prima parte.

Ad 2. part. dico vel allata Scripturę loca non comprehendere parvulos; vel quod verius eſt, ita parvulis & adultis uno & eodem tenore vitam ęternam polliceri, ut aliquos pro his, nullos pro illis actus ſupponant. Dicimus autem in adultis ſupponere affectum charitatis, ex quo mori malint quam Chriſtum negare, ſi juſti ſunt; ſi vero injuſti & peccatores, cum affectu charitatis contritionem perfectam, qua de peccatis doleant ob Deum propter ſe ſumme dilectum.

Nec valet paritas a Baptiſmo petita: quia quam habet Baptiſmus vim parvulos ex opere operato juſtificandi, hanc ex eo habet quod eſt Sacramentum: porro non minus pro adultis Sacramentum eſt, quam pro infantibus: ſecus de martyrio.

Ad 3. diſt. 1. maj. Patres vim tribuunt martyrio, quam Baptiſmo majorem,

jorem, quia martyrium ad altiorem ſanctitatis & gloriæ gradum evehit, quam Baptiſmus, C. quia martyrium hos habeat effectus ex opere operato, & citra maximas Martyris diſpoſitiones, N. Econtra enim Patres vim & effectus martyrii referunt in ardentem charitatem, ex cujus affectu adultus Chriſtum rebus omnibus ac propriæ etiam vitæ anteponit. Atque hinc diluitur reliqua objectio. Imo, ſi memini, non coluntur hodie Martyres niſi miraculis conſpicui.

Ad confirm. 1. non colit Eccleſia ſolemni cultu & abſoluto eos omnes, qui ne Chriſtum negarent, mortem oppetunt. Novit enim ipſa, & novimus nos, qui Algerii, & in diverſis mundi partibus hac de cauſa trucidati ſunt, & qui tamen hac cultus ſpecie non donantur.

2. Eſto Eccleſia non examinet an Martyr mortem ſibi in odium Religionis illatam tulerit ex affectu charitatis; ſed neque examinat utrum hanc ſaltem paſſus ſit ex motivo quopiam honeſto & ſupernaturali; & tamen motivum hoc neceſſarium eſſe volunt adverſarii, quorum etiam plures non tam quoad ſubſtantiam, quam quoad gradum differunt a nobis. Itaque ſi hæc minutius non vellicat & expendit Eccleſia, non quia martyrium in adultis operari credat ex opere operato; cum id ſaltem dubium ſit, & pro dubio haberi ſinat Eccleſia, ſed quia ex eo quod adultis in unitate fidei & Eccleſiæ mortem ſibi in odium Chriſti illatam patienter toleravit, & ex aliis circumſtantiis ſufficienter judicat, adultum hunc ex ferventi erga Chriſtum charitate mortem toleraſſe; quo quidem in judicio errare non poteſt Eccleſia propter infallibilem S. Spiritus aſſiſtentiam.

Ad 4. neg. maj. ſatis enim diſtinguuntur, quę diſtinguuntur ut continens & contentum; porro in hypotheſi noſtra ſic diſtinguuntur Baptiſmus flaminis & ſanguinis; hic enim illum continet cum addito, non e contra.

At, inquies, in opinione noſtra damnabitur adultus peccator pro fide moriens ex ſolo v. g. glorię cœleſtis deſiderio, ſi non habeat contritionem perfectam, aut ſaltem, ſi peccatorum oblitus, non diligat Deum ſuper omnia propter ſe.

Reſpondet P. Simonnet non infimus ex Soc. Jeſu Theologus, 1. *adultum peccatorem in hac hypotheſi damnatum iri, quia deſiderium gloriæ cœleſtis, etiam efficax, non ſufficit ad juſtificationem peccatoris adulti, etiam pro fide morientis, ſine dilectione Dei ſuper omnia propter ſe.*

Tom. 7, p. 344. Reſpondet 2. idem negando hypotheſim ut impoſſibilem ſaltem moraliter. Quia, inquit, moraliter fieri non poteſt, ut adultus mortem in odium Chriſti illatam ex motivo honeſto toleret ſine aliqua Chriſti dilectione, eaque perfecta, ſecundum id Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ponat quis pro amicis ſuis.* Et vero adultus ille non acceptat mortem ex cœleſtis glorię deſiderio, ſine pręveniente, & cooperante Spiritus ſancti gratia, quę eum potenter inflammet: quis porro hominem eo uſque adjutum, non ſic adjuvari putet, ut ad intenſum Dei propter ſe amorem provehatur; ergo, ait idem Theologus, numquam ſecundum ordinariam Dei providentiam continget, ut adultus peccator ex ſolo glorię cœleſtis deſiderio, aut alio quovis motivo honeſto & ſupernaturali, mortem in odium Chriſti illatam, ſine perfecta Chriſti dilectione acceptet, atque patiatur.

Unde

Unde colliges noſtram hanc quæſtionem non infiniti eſſe momenti; licet ad id inſervire poſſit, ut qui ſe martyrio vicinos eſſe ſentiunt, peccata ſua pro viribus deteſtentur, & corda ſua, quo exquiſitiſſimo poterunt charitatis ſenſu inflamment. Adde curandum non baptizatis, ut ocius, ſi fieri poteſt, baptizentur, prout inſtante martyrio curabat S. Romanus, his ad S. Laurentium verbis: *Feſtina me baptizare*. Quin & ſi nunc abeſſet, paulo poſt adfutura Miniſtri copia, ſatius eſſet occultare ſe ad tempus, ut perciperetur regenerationis gratia, prout fecit Antonius apud Uſuardum in Martyrologio ad diem Auguſti 22. Et quoniam *ſpiritus promptus eſt, caro autem infirma*, nec orationi, nec bonis, cujuſcumque illa ſint generis, operibus parcendum, ut dignum, in contumeliis & vulneribus, Deo, Angelis & hominibus ſpectaculum exhibeatur.

Quæres an liceat offerre ſe martyrio, & aliquando ſubſit obligatio illud ſubendi.

R. ad 1. non licet citra rationabilem cauſam, ſpecialemve S. Spiritus inſtinctum offerre ſe martyrio: 1. quia hoc vetuit Chriſtus Matth. 10. ubi ait: *Cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam:* quod fecere & Sancti, ut Paulus, qui pluries fuga *manus* Tyrannorum *evaſit:* Athanaſius, qui maximam vitæ partem in antris aut ſepulchris delituit; & Chriſtus ipſe Martyrum caput & exemplar, qui, ut habet idem Athanaſius in Apologia de fuga ſua, *non indignum putavit, cum quæreretur, quemadmodum & nos abſcondere ſe, & cum perſecutionem pateretur, fugere & inſidias declinare.*

2. quia qui martyrio ſeſe offerunt ſine juſta cauſa, puta cum inde nec Infidelium converſio cieri, nec Dei gloria, aut fidei exaltatio promoveri poteſt, & præſumptiones exhibent non parum, cum ultro ingerant ſe graviſſimæ tentationi; & gratis Tyrannorum peccato cooperantur, eorumque furori pabulum præbent; quod intrinſece malum eſt. Unde arguendi qui jactis conviciis barbarorum ſævitiam inflammant, niſi bona fide, ignorantia, vel ſpeciali Spiritus impulſu excuſentur. Conſtat enim Martyres duriuſcule identidem inſurrexiſſe in Tyrannos etiam Principes, ut patet in Machabæis.

R. ad 2. urgere aliquando ſubeundi Martyrii obligationem; ut 1. ſi vel moriendum ſit, vel a fide, caſtitate aut ſimilibus deficiendum; 2. ſi aliter fides vel religio conſervari non poſſit; 3. ſi id neceſſe ſit ad erigendos Martyrum in tormentis deficientium animos, &c.

Quæres iterum quo inſtanti martyrium operetur quoad remiſſionem pœnæ, an inſtanti, quod ſit primum hominis non eſſe, an inſtanti quod mortem præcedat, & ſit ultimum eſſe Martyris.

R. martyrium ea operari breviſſima temporis mora, quæ mortem præcedit: quia licet necdum tolerata ſit mors phyſice, cum homo necdum egerit animam; eſt tamen idem homo moraliter conſummatus: unde vel nihil amplius habet libertatis, vel, ſi quod forte habet, confirmatur in gratia, ut jam ſubtrahatur peccato.

An autem pari modo confirmaretur in gratia, qui, ut Evangeliſta Joannes, morti per miraculum ſubduceretur, res eſt in theſauris Dei ſignata, ita tamen opinantur plerique, quia id poſtulet excellentia marty-

Digitized by Google

rii, & propenſa Dei in milites ſuos munificentia. Monet tamen in Opere jam citato Benedictus XIV. quod, ſi quis *miraculoſe a tormentis liberaretur, quæ ipſi naturaliter mortem intuliſſent, & in pace moreretur; ad hoc ut inter Martyres aſcribi poſſet, juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam, probandum eſſet, eum tempore quo ſupervixit, nunquam a charitate cecidiſſe, & in virtutibus heroicis ſe exercuiſſe, & pretioſa deinde morte occubuiſſe*. Lib. 3. c. 12. num. 16. & ſeq.

SECTIO SECUNDA.

An Baptiſmus aquæ ſuppleri poſſit per Baptiſmum flaminis.

Baptiſmus flaminis eſt perfecta in Deum charitas, perfectave cordis contritio, annexum habens votum Baptiſmi ſaltem implicitum. Dicitur autem *flaminis*, quia eſt a ſacro-Flamine, ſeu Spiritu S. animam abluente interius, & a peccatis mundante, ſecundum id Matth. 3. *Ipſe baptizabit vos in Spiritu ſancto.*

Quæritur itaque an ille flaminis Baptiſmus Baptiſmi aquæ vices gerere poſſit, quando is, ex defectu aquæ vel Miniſtri, actu & de facto recipi non poteſt. Negavit Auctor Libri de Eccleſiaſticis Dogmatib. quod Auguſtino perperam attribuunt aliqui, cum indubie ſit fœtus Gennadii, cujus nomen præferunt MSS. Codices ſubinde detecti. Sic autem ille cap. 41. alias 74. *Catechumenum, licet in bonis operibus defunctum, vitam habere non credimus*. Idem cum Gennadio ſenſiſſe videntur SS. Gregorius Nazianz. & Proſper: ille in Orat. 40. in S. Baptiſma non longe a medio, ubi vult eos qui recte vivunt, ſed vel propter ignorantiam, vel propter impiorum tyrannidem a recipiendo Baptiſmate prohibiti ſunt, *nec cœleſti gloria, nec ſuppliciis a juſto judice* afficiendos eſſe; *utpote qui licet* Baptiſmo *ſignati non fuerint, improbitate tamen careant, atque hanc jacturam paſſi potius fuerint, quam fecerint*. Ille vero in Lib. de fide ad Petrum cap. 3. ubi ſic: *Ex illo tempore quo Salvator noſter dixit, Si quis renatus non fuerit*, &c. *abſque Sacramento Baptiſmatis, præter eos qui in Eccleſia Catholica ſine Baptiſmate pro Chriſto ſanguinem fundunt, nec Regnum Cœlorum poteſt quiſquam accipere, nec vitam æternam*. Quibus verbis benignam interpretationem abnegant bona fides & textus perſpicuitas. Idem Bernardi ævo ſenſere quidam, ut liquet ex Epiſtola S. Doctoris ad Hugonem Victorinum, quæ eſt ordine 77. eaque diſceptatio tantum increvit, ut ad Innocentium III. fuerit delata.

Inter Baji propoſitiones, tres extant quæ nobis paulo poſt cedent in probationem. Sit itaque

Conclusio I. Baptiſmus flaminis ſupplet in adultis vices Baptiſmi aquæ, quoad gratiæ infuſionem, & remiſſionem culpæ ſufficienter retractatæ.

Prob. 1. quod gratiam ſanctificantem infallibiliter parit, ſupplet vices Baptiſmi, qui gratiam hanc pareret: atqui Baptiſmus flaminis, id eſt contritio vel charitas perfecta infallibiliter parit gratiam ſanctificantem. Prob. min. ex Scripturis, Pſal. 50. *Cor contritum & humiliatum*, *Deus*,

Digitized by Google

Deus, non deſpicies. Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus non recordabor*, v. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Quæ oracula, ut ad ipſum Novæ Legis tempus pertinere intelligerentur, his a Chriſto, poſt ſancitam Baptiſmi neceſſitatem, verbis confirmata ſunt, Joan. 14. *Si quis diligit me; ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*.

Prob. 2. ex SS. Patribus. Ambroſius in Orat. funebri, de obitu Valentiniani: *Non habet ergo*, inquit, Valentinianus *gratiam* regenerationis, *quam deſideravit? Non habet quam popoſcit? Certe quia popoſcit, accepit. Et ubi eſt illud? Juſtus quacumque morte præventus fuerit, anima ejus in refrigerio erit*, Sap. 4. Et paulo poſt: *Quod ſi Martyres ſuo abluuntur ſanguine, & hunc ſua pietas abluit & voluntas*: ubi qui Baptiſmum enixe peroptat, & regenerationis gratiam habet, & charitate ſua abluitur, ut ſanguine ſuo Martyres, & poſt mortem tanquam juſtus cœleſti fruitur refrigerio.

Auguſtinus Lib. 4. de Bapt. cap 22. nu. 29. *Etiam atque etiam conſiderans*, inquit, *invenio non tantum paſſionem pro nomine Chriſti, id quod ex Baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt*.

S. Bernardus Epiſt. 77. *Ab his*, inquit, *columnis, Auguſtinum loquor & Ambroſium .·.·. difficile avellor: cum his, inquam, me aut errare aut ſapere fateor, credens & ipſe ſola fide hominem poſſe ſalvari cum deſiderio percipiendi Sacramenti; ſi tamen pio adimplendi deſiderio mors anticipans, ſeu alia quæcumque vis invincibilis obviavit*.

Prob. 3. ex Romanis Pontificibus. Innocentius III. a Metenſi Epiſcopo conſultus de Judæo, qui morti proximus ſe ipſum baptizaverat, ſic reſpondet cap. 4. *De Bapt. & ejus effectu*: *Cum inter baptizantem & baptizatum debeat eſſe diſcretio .·.·. memoratus Judæus eſt denuo ab alio baptizandus .·.· Quamvis ſi talis continuo deceſſiſſet, ad cœleſtem patriam protinus evolaſſet propter Sacramenti fidem, & non propter fidei Sacramentum*, & cap. 2. *De Presbytero non baptizato*: *Si is*, inquit, *in ſanctæ matris Eccleſiæ & Chriſti confeſſione perſeveraverit, ab originali peccato ſolutum, & cœleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum aſſerimus incunctanter*.

Pius V. & Gregorius XIII. inter varias Baji propoſitiones, iſtas confixere: XXXI. *Charitas perfecta & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum*. & XXXIII. *Catechumenus juſte, recte & ſancte vivit, & mandata Dei obſervat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in lavacro Baptiſmi demum percipitur*.

Præiverat an. 1560. Sacra Facultas Pariſienſis, quæ doctrinali ſuo judicio hæreticam declaravit hanc propoſitionem: *Per contritionem perfectam, non adhibito realiter Sacramento Baptiſmi vel Pœnitentiæ, non dimittitur crimen extra caſum martyrii & neceſſitatis*.

Prob. 4. ex Concilio Trid. Seſſ. 7. Can. 4. de Sacramentis in genere; ubi ſic loquitur: *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non eſſe ad ſalu-*

tem neceſſaria .·.·.·. & ſine eis aut eorum voto per ſolam fidem homines a Deo gratiam juſtificationis adipiſci.·.·.·. anathema ſit, & Seſſ. 14. cap. 4. *Docet præterea* S. Synodus, *etſi contritionem aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc*, Pœnitentiæ, *Sacramentum ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto quod in illa includitur, non eſſe aſcribendam*. Unde ſic: Non eſt difficilis mage Catechumeni juſtificatio, quam hominis jam baptizati; imo minus, ut patet ex eadem Seſſ. c.8. quia, ceteris paribus, graviores ſunt hominis baptizati noxæ, quam Catechumeni, prout etiam evidenter docet Apoſtolus Hebr. 8. atqui tamen poteſt baptizatus homo juſtificari per contritionem perfectam, cum ſolo Pœnitentiæ voto; ergo a fortiori, &c.

Obj. 1. Habuit indubie S. Paulus charitatem ac contritionem perfectam, cum dixit, *Domine, quid me vis facere*: atqui tamen needum juſtificatus erat a peccatis. Cui enim dictum eſt ab Anania, *Exurge, baptizare & ablue peccata tua*, is needum juſtificatus erat: atqui ex Act. 22. v. 16. dictum eſt, &c.

R. ad 1. neg. min. ad 2. neg. maj. hæc enim citra præcedentis juſtificationis præjudicium dici potuere, ſeu quia neſciret Ananias hominem tot ſceleribus fœtidum, ſat uno inſtanti doloris concepiſſe, ut illico juſtificaretur; ſeu quia Paulum ſua quadantenus gravabant peccata, donec impleviſſet conditionem Baptiſmi, cujus voto annexa erat abſoluta & totalis ipſorum condonatio; ſeu quia homo etſi jam juſtificatus, mage magiſque juſtificari poteſt, ſecundum id Pſal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea*, ſeu demum quia Paulus etſi jam liber a reatu culpæ, adhuc indigebat liberari a reatu pœnæ.

Obj. 2. Si creditum fuiſſet prioribus Eccleſiæ ſæculis poſſe quempiam juſtificari per contritionem, communicaſſet Eccleſia per ſacrificia & preces ſeu Catechumenis ſine Baptiſmo, ſeu pœnitentibus ſine reconciliatione defunctis: cur enim negata fuiſſent ſuffragia iis quibus prodeſſe poterant? atqui tamen nec his nec illis communicabat Eccleſia. Non Romana, ut probat id S. Leonis Ep. 82. alias 91. *Si quis autem eorum pro quibus Domino ſupplicamus, quocumque interceptus obſtaculo, a munere indulgentiæ præſentis exciderit; & priuſquam ad conſtituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non receperit, conſequi exutus carne non poterit*. Quod & docent Gelaſius I. in Concilio Romano, & Vigilius I. qui Leonis & Gelaſii Decreta laudat ad calcem Conſtitutionis quam de tribus Capitulis emiſit. Non Eccleſia Hiſpanica, ut conſtat ex Concilio Bracarenſi II. Can. 17. ubi ſic legitur:
An.563. *Placuit ut Catechumenis ſine redemptione Baptiſmi defunctis, neque oblationis commemoratio, neque pſallendi impendatur officium; nam & hoc per ignorantiam uſurpatum eſt*; ergo.

R. ad 1. neg. maj. neque enim Eccleſia Romana vel Hiſpanica Catechumenis ſine Baptiſmo defunctis ſuffragia & preces denegavit, quia crederet ex ſolo Sacramenti defectu actum eſſe de æterna illorum ſalute; ſed quia hoc cujuſdam terroris exemplo movere voluit ſeu Catechumenos, ſeu pœnitentes, ut quo majori poſſent ſtudio & ardore properarent, illi ad lavacrum regenerationis, iſti ad reconciliationis gratiam. At-

que

que hinc S. Leo de ipſis non deſperat, ſed cauſam eorum divino vult committi judicio: *Nec neceſſe eſt*, inquit, *nos eorum, qui ſic obierunt, merita actuſque diſcutere; cum Dominus Deus noſter, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod Sacerdotale miniſterium implere non potuit, ſuæ juſtitiæ reſervaverit.*

Ceterum ſevera Romanæ & Hiſpanicæ Eccleſiæ praxis, non ubique fuit in uſu. Siquidem pro Catechumenis orabat Mediolanenſis Eccleſia, ut conſtat ex citatis S. Ambroſii textibus. Idem quoad pœnitentes ſervabant Eccleſiæ Carthaginenſis & Arelatenſis: *Pœnitentes*, ait Can. 79. Concilii Carthaginenſis an. 398. *qui attente leges pœnitentiæ exequuntur, ſi caſu in itinere, vel in mari mortui ſint, placuit nullum vacuum communione debere dimitti; ſed pro eo quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius ſuſcipiatur.* Quibus conſonat Can. 12. Concilii Arelatenſis II. atque hanc tandem diſciplinam amplexa eſt Eccleſia tum Hiſpanica, ut patet ex Can. 12. Concilii Toletani XI. an 675. tum Romana ſexto ſæculo, prout, ſi voles, videris apud Tournelyum pag. 251.

Obj. 3. S. Ambroſius hæc habet Lib. de Myſteriis cap 4. *Credit Catechumenus in Cruce Domini Jeſu* . . . *ſed niſi baptizatus fuerit in nomine Patris*, &c. *remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritalis gratiæ munus haurire*; ergo ei non ſufficit votum Baptiſmi.

R. diſt. textum S. Doctoris, non poteſt remiſſionem accipere peccatorum, ſi ex negligentia Baptiſmum omittat, C. ſi ante rapiatur, quam baptizari potuerit; ut Valentinianus, N. Unde quod ait Ambroſius Lib. 2. de Abraham cap. 11. verba hæc, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. *utique nullum excipere*, *non infantem*, *non aliqua præventum neceſſitate*, de iis intelligenda ſunt, qui cum ſint in mora culpabili rapiuntur inopinato: hi enim ſi nec Baptiſmum recipere, nec deſidiam ſuam pœnitendo abſtergere valeant, *utique* Regnum Dei non introibunt.

Obji. 4 Auguſtinum pluribus in locis, ſic 1. Tract. 13. in Joan. *Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc tamen ſarcinam ſuæ iniquitatis portat; non illi dimittitur, niſi cum venerit ad Baptiſmum*, & Tract. 14. *Omnia peccata ſuper illos*, Catechumenos, *ſunt*, *& niſi venerint ad ſalutarem Baptiſmum ubi peccata ſolvuntur, cum omni excellentia ſua non poſſunt intrare in Regnum Cœlorum.* Unde ſic: Catechumeni de quibus hic loquitur S. Doctor, boni & optimi erant: atqui tamen nec ſic poterant juſtificari. Minor patet, cum longe ſint a juſtitia, qui adhuc ſarcinam ſuæ iniquitatis portant; quique omnia ſua ſuper ſe habent peccata. Prob. itaque maj. boni erant & optimi, qui ſupponuntur *quantumcumque* profeciſſe, & *omnem* habere *excellentiam*: atqui, &c.

R. ad 1. diſt. maj. boni erant in aliquo genere, vel etiam boni in oculis ſuis, C. boni plene, quales qui perfectam habent charitatem, N. Itaque ſi Auguſtinus de iis ſolum loquatur, qui perſuaſi ſe aliis etiam baptizatis meliores eſſe, quia in aliqua virtute profecerant, & baptizatos & Baptiſmum dedignabantur, jam ex eo nihil inferri poteſt contra nos, qui profecto in hujuſmodi hominibus Baptiſmum flaminis non agnoſcimus: atqui de iis tantum loquitur Auguſtinus . . . Sic enim pergit: *Oportebat ut Dominus baptizaretur, quia multi contempturi erant Baptiſmum, eo quod jam majore gratia præditi viderentur, quam viderent alios fideles; v.g. jam continenter vivens Catechumenus, contemneret conjugatum, & diceret*

ſe meliorem eſſe quam ille ſit fidelis. Ille Catechumenus poſſet dicere in corde ſuo, Quid mihi opus eſt Baptiſmum accipere, ut hoc habeam quod & iſte, quo jam melior ſum? Voluit itaque Dominus baptizari Baptiſmo ſervi, *ne quis arrogans eo quod habeat abundantiam alicujus gratiæ dedignaretur baptizari Baptiſmo Domini. Quantumcumque enim Catechumenus* ille Baptiſmi contemptor, *proficiat*, vel potius proficere ſe credat, *adhuc ſarcinam iniquitatis portat: non illi dimittitur, niſi cum venerit ad Baptiſmum;* quia tunc primum eam habebit cordis ad Deum converſionem, ſine qua impius juſtificari non poteſt. Ut enim ait S. Doctor Lib. 4. de Bapt. cap. 25. *Converſio cordis poteſt quidem ineſſe non percepto Baptiſmo, ſed contempto non poteſt.*

Inſt. 1. Ut Catechumenus, quiſquis ille ſupponatur, juſtificari poſſit, neceſſum eſt ut fiat membrum Chriſti: atqui ex S. Auguſtino Lib. 1. de anima & ejus origine, *Nemo fit membrum Chriſti, niſi aut Baptiſmate in Chriſto, aut morte pro Chriſto;* ergo.

Reſp. diſt. min. nemo fit membrum Chriſti niſi aut Baptiſmate in re, vel per votum ſuſcepto, ſi ſit adultus, C. in re ſuſcepto ſemper, N. Si enim ſemper neceſſaria foret ad juſtificationem realis ſuſceptio Baptiſmi, Cornelius ante Baptiſmum juſtificatus non eſſet: atqui tamen ex Auguſtino Lib. 4. de Bapt. cap. 24. *Cornelius etiam dono Spiritus ſancti, prius quam baptizaretur; ditatus eſt;* ergo.

Inſt. 2. ex Auguſtino Lib. de unit. Eccl. cap. 22. *Utrumque neceſſarium eſt ad Regnum Dei adipiſcendum, & Baptiſmus & juſtitia*, & Lib. 4. de Bapt. cap. 21. *Sicut bono Catechumeno Baptiſmus deeſt ad capeſcendum Regnum Cœlorum, ſic malo baptizato vera converſio.* Unde ſic: Qui vivum Chriſti membrum efficitur per charitatem, actu capax eſt Regni Cœlorum: atqui tamen ſine Baptiſmo nemo etiam *bonus* & *juſtus*, capax eſt Regni Cœlorum; ergo.

Reſp. diſt. min. nemo de via ordinaria ſine Baptiſmo capax eſt Regni Cœlorum, C. nemo in caſu neceſſitatis, ſubd. nemo qui ſic affectus ſit, ut Baptiſmum negligere velit, C. nemo qui plenam habeat, perfectamque charitatem, ita ut ſibi deſit Baptiſmus, non ille Baptiſmo, N. Itaque conſtat 1. neminem de via ordinaria capacem eſſe Cœleſtis Regni ſine Baptiſmo. Conſtat 2. eos etiam qui pie vivunt, aut vivere videntur; ab eodem Regno extorres eſſe, ſi Baptiſmi ſuſceptionem temere negligant; quia *in contemptore Baptiſmi non poteſt eſſe juſtitia.*
Ibid. de unit. Eccleſ. Sed & 3. conſtat eum cui citra culpam ſui defuit Baptiſmus, defectum hunc ſupplere poſſe *per fidem converſionemque cordis;* quia id expreſſe docet Auguſtinus, idque re *etiam atque etiam* conſiderata, ut patet ex textu ſuperius allato.

Inſt. 3. Si res ita ſit, ſanctificatio Cathecumeni valet ei ad intrandum Regnum Cœlorum: atqui tamen ex Auguſtino Lib. 2. de peccat. mer. & remiſs. cap. 26. *Sanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit baptizatus, non ei valet ad intrandum in Regnum Cœlorum;* ergo.

Reſp. diſt. min. ſanctificatio exterior, quæ fit per ſignum crucis & manuum impoſitionem, non valet Catechumeno, &c. C. ſanctificatio interior, quæ fit per charitatem, N. Porro S. Doctorem de prima, eaque valde impropria ſanctificationis ſpecie loqui patet ex ipſo Sermonis ejus exor-

Digitized by Google

exordio : ſic enim præfatur : *Non unius modi eſt ſanctificatio : nam & Catechumenos ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti , & orationem manus impoſitionis puto ſanctificari .·. & ipſos cibos, quibus ad neceſſitatem ſuſtentandæ hujus vitæ alimur, ſanctificari Apoſtolus dixit per verbum Dei & orationem .·. Sicut ergo iſta ciborum ſanctificatio non efficit, ut quod in os intraverit, non corrumpatur .·. ita ſanctificatio Catechumeni , ſi non fuerit baptizatus*, &c.

Objic. 5. auctoritatem SS. Gregorii Naz. Proſperi & Fulgentii in reſp. ad Ferrandum, qui evidenter nobis adverſantur.

Reſp. nos prædictis Patribus adhærere non poſſe, quia eorum doctrinam non recepit Eccleſia Catholica, ſicut non recepit doctrinam S. Cypriani de hæreticorum Baptiſmate.

Objic. 6. Perfecta charitas in veteri Lege juſtificabat ſine voto Baptiſmi; ergo & nunc ſine eodem voto juſtificare poteſt; cum nunc minorem non habeat vim, quam antea.

Reſp. neg. conſeq. quia ad veram charitatem requiritur voluntas ſincera omnia Dei mandata implendi, ac proinde recipiendi Baptiſmum, cujus ſuſceptio a Deo præcepta eſt. Neque ideo charitas vim hodie minorem habet, quam habuerit antea, ſed tantum importat voluntatem quædam implendi præcepta quæ tunc impoſita non erant, quæque longe ſunt impletu faciliora quam fuerint veteris Legis mandata. Ecquis plene Baptiſmi jugum cum intolerando circumciſionis jugo conferat?

Dixi in concluſione, *quoad remiſſionem culpæ ſufficienter retractatæ* ; quia ſi quis affectus ſervet ad venialem culpam , hæc ei , licet juſtificato, non remittetur.

Conclusio II. Baptiſmus flaminis non ſupplet vices Baptiſmi aquæ, quoad remiſſionem pœnæ peccatis debitæ.

Prob. 1. quia nullibi remiſſionis ejus meminere Patres vel Scriptura : imo hanc excludere videntur , cum docent homines vere juſtificatos indigere vel pœnitentia per vitam , vel Eccleſiæ ſuffragiis poſt mortem ; prout id de Valentiniano ipſa ſua praxi docuit Ambroſius, 2. quia Deus, niſi contrarium revelaverit , id tantum ſupplere cenſetur, quod neceſſarium eſt ; non id autem quod conſuetum juſtitiæ ipſius ordinem inverteret : atqui neceſſaria non eſt pœnæ totius relaxatio, quæ id etiam habet ut conſuetum juſtitiæ divinæ ordinem ſubvertat ; ergo.

Objiciuntur duo , 1. quod Ambroſius in prædicta funebri Oratione ſupponat Valentinianum ad cœleſtia gaudia jam perveniſſe ; quod non potuiſſet fieri , ſi quid ei ſuperfuiſſet luendum pœnæ temporalis ; 2. ex trito axiomate , voluntatem reputari pro facto ; ac proin non minus per votum Baptiſmi , quam per realem ipſius ſuſceptionem , pœnam condonari.

Reſp. ad 1. diſt. ſupponit id Ambroſius pie & ex conjecturis, C. ſupponit ut certum juxta ordinariam Dei legem , N. Itaque ex eximia Valentiniani charitate conjicit Ambroſius æternam ejus felicitatem , ſed non definit quaſi rem juxta ſancitas a Deo leges fieri conſuetam. Imo veritus ne res aliter ſe habeat , Imperatorem hunc populi precibus commendat, & pro ipſius quiete incruentum offert altaris ſacrificium. Quamquam,

quam, cum multum jam effluxiſſet temporis a morte Valentiniani, qui necatus fuerat Viennæ in Galliis, minori periculo dici poterat eum jam gloria perfrui, utpote qui etiam in purgatorio igne a peccati reliquiis potuiſſet emundari.

Ad 2. fateor voluntatem reputari pro facto quoad eſſentiale meriti vel demeriti; unde vidua Evangelii quæ pauca donans, plura largiri voluiſſet, parem ditiorum mercedi mercedem recipere potuit: ſed nego voluntatem reputari pro facto quoad accidentalia quædam, quæ a Deo vel hominibus non voluntati ſed facto alligata ſunt; ſic qui Martyr eſſe voluit, ſed non potuit, Martyrum aureolam non aſſequetur; ſic qui irrito conatu fratris cædem molitus eſt, latis contra veros homicidas ab Eccleſia pœnis non ſubjacebit.

ARTICULUS TERTIUS.

De unitate Baptiſmi.

CONſtat Baptiſma eo ſenſu unum, quod ejuſdem ſit ſpeciei in omnibus hominibus; tum quia id indicat Apoſtolus Epheſ. 4. ubi ait: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*, ubi tanta eſt Baptiſmatis unitas, quanta fidei: tum quia ubi una eſt ſpecie forma & materia, idem eſt ſpecie Sacramentum: atqui una eſt ſpecie materia & forma in omni Baptiſmo, ſeu per aſperſionem fiat, ſeu per immerſionem; idque tum materialiter, quia eſt utrobique ablutio, tum formaliter, & in ratione ſigni, quia eadem ſignificatur regeneratio.

Nec his obeſt quod tria diſtinguantur Baptiſmata, aquæ ſcilicet, flaminis, & ſanguinis; quia poſtrema hæc duo nonniſi per analogiam dicuntur Baptiſmata, eo nimirum quod Sacramenti vicem ſuppleant quantum ad principalem ejus effectum, qui eſt gratia & remiſſio peccati.

Quæſtio igitur eſt an & eo etiam ſenſu unum ſit Baptiſma, quod pluries eidem homini dari non poſſit. Negarunt 1. Marcionitæ, qui teſte S. Epiphanio hær. 42. ter hominem baptizabant, ſemel quidem in infantia, ut ab originali labe mundaretur; iterumque & tertio in adulta ætate, ſi ab innocentia per peccatum excidiſſet. Invenerat ſollerter Marcion virginis cujuſdam corruptor, hanc Baptiſmorum multitudinem, ut ad priorem innocentiam rediiſſe cenſeretur; 2. Anabaptiſtæ quidam hujus temporis, qui, teſte Valentia, fidei deſertores novo immergunt Baptiſmate. Sit contra

CONCLUSIO. Baptiſmus ſemel tantum eidem homini conferri valide poteſt.

Prob. 1. ex Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati ... rurſus renovari ad pœnitentiam*: atqui hæc ad pœnitentiam renovatio, quæ iterari non poteſt, eſt ipſa renovatio Baptiſmi; ut melius docent Interpretes poſt Ambroſium Lib. de pœnit. Chryſoſtomum & alios in hunc locum; Epiphanium hær. 59. Hieronymum Lib. 2. contra Jovinian. Cyrillum Lib. 5. in Joan. cap. 17. & nos oſtendemus ubi de Pœnitentia; ergo.

Prob. 2. ex Patribus. Cyrillus Jeroſol. in Præfat. Catecheſeon: *Non licet*, inquit, *bis aut ter hoc lavacro uti .... unus enim Dominus, una fides*,

unum Baptiſma... Theodoretus in cap.6. Ep. ad Hebr. *Multa*, inquit, *& frequenter adhibebantur* Baptiſmata apud Judæos: *hic autem*, Chriſti Baptiſmus, *unus eſt*. Damaſcenus Lib.4. orthod. fidei cap.10. *Quemadmodum Dominus ſemel morte perfunctus eſt, ſic nos etiam ſemel baptizari neceſſe eſt.... Quocirca qui in Patrem, & Filium, & Spiritum S. baptizati .... Baptiſmum repetunt, ii Chriſtum rurſus in crucem agunt*. Tertullianus Lib. de Baptiſ. cap.15. *Unus omnino Baptiſmus eſt nobis .... ſemel ergo lavacrum inimus, ſemel delicta diluuntur*. Cyprianus Ep.68. ad Cæcilium: *Baptiſma ſemel ſumitur, nec rurſus iteratur*. Ambroſius Lib.2. de Pœnit. c.2. *Semel crucifixus eſt Chriſtus, ſemel peccato mortuus, & ideo unum non plura Baptiſmata*. Auguſtinus Tract.11. in Joan. *Quomodo uterus*, ſeu nativitas ex utero *repeti non poteſt, ſic nec Baptiſmum*. Et Lib.2. de Bapt. c.14. *Quid ſit perniciosius, omnino non baptizari, an rebaptizari, judicare difficile eſt*.

Prob. 3. ex Conciliis: Carthaginenſi I. in quo interrogati Epiſcopi reſpondent omnes: *Illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes*, ut alienas *a ſincera fide, & catholica diſciplina*. Conſtantinopolitano I. ubi in Symbolo ajunt Patres: *Confitemur unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum*. Viennenſi ſub Clemente V. c.1. ubi hæc leguntur: *Baptiſma unicum ... eſt ſicut unus Deus ac fides unica, ab omnibus fidelibus confitendum*; ac demum Tridentino Seſſ.7. Can.11. de Bapt. ibi: *Si quis dixerit verum & rite collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur, anathema ſit*.

Prob. 4. Sacramenta quæ characterem imprimunt, nullatenus iterari valent: atqui, ut in ſuperiori Tractatu probavimus, Baptiſmus unum eſt e Sacramentis, quæ characterem imprimunt; ergo.

Prob. 5. quia ſi iterari poſſet Baptiſmus, utique millies iteratum eſſet tantæ efficaciæ Sacramentum jam ab initio Eccleſiæ: atqui nulla iterationis hujus extant indicia, niſi apud hæreticos veteres & recentiores: quin & olim capite plectebantur, qui quempiam rebaptizaverant; ergo.

Ex his inferes graviter peccare tum eum qui rebaptizat, tum qui ſe rebaptizari permittit, niſi excuſet ignorantia inculpata, quæ raro præſumi poteſt in iis præcipue qui baptizant.

Sed quid in dubio?

Nota dubium aliud eſſe negativum: quando nempe nulla occurrunt indicia ex quibus colligi poſſit quempiam fuiſſe baptizatum: aliud poſitivum, cum paria in utramque partem militant argumenta; & hoc vel eſt *juris*, puta ſi æque dubitetur valeatne Baptiſmus tali modo collatus v. g. *in nomine Genitoris*; aliud facti, ut ſi incertum ſit an collatum fuerit Baptiſma. Jam

R. 1. in dubio negativo, ſeu cum plane neſcitur an infans vel adultus baptizatus fuerit, Baptiſma conferendum eſſe. Ita nempe docet S. Leo Epiſt. 92. ad Ruſticum cap. 15. his verbis: *Si nulla exiſtant indicia inter propinquos aut familiares, nulla inter Clericos aut vicinos, quibus hi de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt ut renaſcantur; ne manifeſte pereant in quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum. Qui autem poſſunt meminiſſe quod ad Eccleſiam veniebant cum parentibus ſuis, poſſunt recordari, an quod eorum parentibus dabatur, acceperint. Sed ſi hoc etiam ab eorum memoria alienum eſt, conferendum eis*

vide-

videtur, quod collatum eſſe neſcitur. Quod his de adultis Sanctus Leo, idem de infantibus ſcribit Gregorius II. Epiſt. 4. hæc iſte: *Parvuli, qui a parentibus ſubtracti ſunt, & an baptizati ſint ignorant, hos ut baptizare debeas ſecundum Patrum traditionem, ſi non fuerit qui teſtificetur, ratio poſcit*. Et certe dictat ratio providendum eſſe, cum id ſine Sacramenti injuria fieri poteſt, æternæ ſaluti eorum, qui in probabili damnationis periculo verſantur.

Reſp. 2. adultos perinde ac infantes in poſitivo juris vel facti dubio baptizandos eſſe ſub conditione. Ratio eſt 1. quia regula iſta, *In dubio tutior pars eſt eligenda*, hic vel nullibi locum habet propter maximam Baptiſmi neceſſitatem; 2. quia ut quis a Baptiſmi receptione prohibeatur, non ſufficit collati Baptiſmi ſuſpicio, ſed requiritur moralis certitudo, ſeu, ut loquitur Concilium Carthaginenſe V. Can. 6. *Certiſſimi teſtes, qui eos* de quibus agitur, *baptizatos eſſe ſine dubitatione teſtentur*: porro certitudo hæc tanta non occurrit in caſibus dubiis, imo neque in iis ubi momenta quæ pro collato Baptiſmo pugnant, vincunt quidem oppoſita, ſed exceſſu qui prudentem formidinem non excludat.

Hinc baptizandi ſunt ſub conditione, 1. infantes ſtatim e ſinu parentum Chriſtianorum & Algerii prædonibus, aliiſve barbaris erepti.

2. infantes expoſiti, etiamſi ante aliquot menſes nati ſint, & teſtem Baptiſmi ſui ſchedulam ferant. Ratio eſt, quia neque ætas menſium aliquot dubium tollit; cum Judæus aut Deiſta prolem ſuam poſt annum exponere poſſit; neque ſcheda, ab ignoto, adeoque incertæ fidei auctore, ne quid pejus dicam, haberi poteſt pro *teſte certiſſimo*, & moralem parere certitudinem. Ita contra Grandin. & Gonetum Silvius. Henno & alii, qui etiam animadvertunt id ſancitum eſſe a S. Carolo Borr. & a Synodo Cameracenſi II.

3. baptizati ab obſtetricibus aliquando convictis de adminiſtrando invalide Baptiſmo, aut firme ac conſtanter non reſpondentibus, quam in baptizando materiam aut formam adhibuerint.

An autem Baptiſmum quemcumque, eo quod a patre, matre vel obſtetrice collatus ſit, iterare liceat, gravis eſt & praxis quotidianæ diſceptatio, circa quam Theologis Theologi, Ritualia Ritualibus, Miniſtri Miniſtris practice adverſantur, utique quia diverſa experti fuerint.

Sunt itaque qui infantem ab obſtetrice pia, bene inſtructa & quæ in Baptiſmi actione ſui compos fuit, ſine gravi piaculo rebaptizari poſſe negent. *Itaque*, ait Eſtius in 4. diſt. 4. §. 15. *vituperabilis eſt conſuetudo quorumdam, qui paſſim ac ſine diſcrimine infantes ab obſtetricibus propter vitæ periculum baptizatos iterum ſub conditione baptizant, non aliam dubitandi cauſam habentes, quam quod mulier cula forte vel intentione deficere, vel in verbis proferendis allucinari potuerit, cum tamen obſtetrix interrogata teſtetur ſe rite totum myſterium peregiſſe: Contra quem abuſum graviter ſcribunt Dom. Soto, Petrus de Palude & Silveſter*. Hæc ille.

His tamen non obſtantibus alii plures, nulli quoad Baptiſmum credunt feminæ, 1. quia certa experientia compertum habent, ex iis non paucas diu pro timoratis ac prudentibus habitas fuiſſe, quæ neutram laudem mererentur; imo quæ dæmoni ſervirent per ſortilegia, &c. 2. quia quæ bona fide ſe crediderant Baptiſmi conferendi capaces, cumque

hic

hic & nunc a ſe rite collatum fuiſſe jurejurando confirmaſſent, omni excuſſæ ſenſu tandem confeſſæ ſunt, ſe verba pronuntiaſſe, dum mulier alia aquam effunderet, prout ego non ita pridem reſcivi; 3. quia quæ etiam haud ſatis ſciunt bene an male fecerint, eo quod ob rugitus & periculum matris vix ſui compotes forent, non verentur dictitare ſe animo fuiſſe præſenti, ne pro imperitis habeantur, & deinceps vel excludantur ab officio, vel illud exerceant erga pauciores. Ita fere Silvius hic q. 66. art. 9. ubi expreſſam refert deciſionem Paſtoralis Mechlinienſis, cui conſentit Iprenſis Synodus ſub Martino Rythorio.

Mihi utraque opinio temperanda videtur cum Auctore Collat. Andeg. ubi de Baptiſmo. Dico itaque infantem a quacumque obſtetrice baptizatum, ſemper ſub conditione rebaptizandum eſſe, quoties deſunt teſtes ad minus duo fide digni, qui nihil neceſſarii ab ipſa omiſſum eſſe confirment. Ratio eſt 1. quia ſi in alia quavis longe inferioris momenti materia, *teſtis unus*, *teſtis* eſt *nullus*: non eſt quod in re præſenti fidem faciat; 2. quia id præcipiunt varia Galliæ noſtræ Concilia. Ebroicenſe an. 1576. nixum Pauli V. Decreto, *Quoniam*, inquit, *iſta clauſula*, *Si non es baptizatus*, *eſt introducta quando juſte dubitatur de facto Baptiſmi*, *quod nec publice fieret*, *nec ſufficientes teſtes haberet*; *ut quando obſtetrix*, *vel alius in neceſſitate etiam baptizat*, *& affirmat ſe baptizaſſe*, *cui ſoli in facie Eccleſiæ credi non debet*, *idcirco quia tunc deficit facti probatio*, *merito præcipitur illa cautio*, *Si non es baptizatus*. Rothomagenſe an. 1581. & Aquiſextienſe an. 1585. vetant quoque ne *uni mulieri*, *ſeu alteri privatim baptizanti credi* poſſit. Conſonat Remenſe an. 1583. his verbis: *Parochus antequam baptizet infantem*, *diligenter inquirat*, *num ſit perfuſus aqua*, *& qua*, *quibuſque verbis*.·.· *de quo ſufficienti duorum ſaltem teſtimonio Sacerdoti conſtare debet*. Idem præſcribit Rituale Argentin. p. 18. *Si reſpondeatur*, inquit, infantem *domi abſque ſolemnitate fuiſſe baptizatum*, *diligenter inquiret* Sacerdos, *a quo*, *quo modo*, *qua materia*, *qua forma*, *demum quam rite baptizatus fuerit*, *accerſitis & ſeparatim auditis ſuper hoc tum obſtetrice*, *vel perſona quæ baptizavit*, *tum teſtibus qui Baptiſmo interfuerunt*: *atque ſi ex legitimis & convenientibus teſtimoniis conſtiterit infantem rite baptizatum fuiſſe*, *ſuppleat tantum cæremonias*. Sin autem, baptizet, &c.

Pag. 253. edit. 1721.

At, inquies, ex hac reſponſione duo ſequuntur abſurda, 1. licitum eſſe male ſuſpicari de proximo, nimirum de obſtetrice; 2. ei qui poſt viginti aut triginta annos reſcire incipit ſe puerum domi baptizatum eſſe, curandum eſſe ut denuo baptizetur ſub conditione.

Reſp. neutrum ſequi. Non 1. neque enim abjicitur teſtimonium unius propter improbitatem perſonæ, cujus examen Deo dimittitur, ſed propter invaliditatem teſtimonii, quod quamdiu erit unicum, nullam coram Eccleſia fidem facere poteſt. Non 2. quia adulti qui ſe ab obſtetricibus baptizatos eſſe detegunt, debent ſupponere Baptiſma ſuum a Parocho examinatum fuiſſe, qui proinde cum vel validum repererit, vel ſi dubium, repetierit ſub conditione. *Silvius p. 242.*

Minus adhuc circa Baptiſmum ſuum ſolliciti eſſe debent, qui de valore ejus aut realiter ideo tantum dubitant quod perierit Regiſtrum Baptiſmale; aut Parochus valde ſenex formam materiæ fortaſſis non

appli-

* Cap. 3. De Preſbyt. non bapt. applicuerit; uti par erat. *Certe* enim, ait Innocentius III. * *de illo qui natus de Chriſtianis parentibus, & inter Chriſtianos eſt fideliter converſatus, tam violenter præſumitur quod fuerit baptizatus, ut hæc præſumptio pro certitudine ſit habenda, donec evidentiſſimis forſitan argumentis contrarium probetur.*

Quæres an Baptiſma ab hæreticis noſtri temporis collatum iterari poſſit ſub conditione.

Reſp. 1. nunquam licet iterare Baptiſma, quia præciſe collatum ab hæretico, qui nihil eſſentiale omiſerit. Conſtat ex dictis ſupra p. 43.

Reſp. 2. plures eſſe qui ſumme dubium habeant Baptiſma a Calvinianis & Lutheranis collatum; tum quia detectum eſt eorum alios quibuſdam in Provinciis aquæ naturali aquam roſaceam ſubſtituere honoris cauſa; alios ob ſolemnitatem materiam & formam partiri, itaut alter verba proferat, aquam infundat alter; alios propter frigus non carnem ipſam aſpergere, ſed veſtimenta; alios ejus, qui prior occurrerit, etiam ſutoris, imperitive alterius miniſterio uti; tum quia, ait poſt Molanum Silvius pag. 242. col. 2. Silvius, cum incredibili in Eccleſiam odio ferantur, *ſæpe deprehenſum eſt neceſſariam eis in baptizando defuiſſe intentionem*. Unde Synodus II. Mechlinienſis Provinciæ, per Paulum V. approbata an. 1608. itemque Paſtoralia ejuſdem Diœceſis, præſcribunt ab hujuſmodi hæreticis baptizatos, denuo ſub conditione baptizari.

Quia tamen hodierni Novatores meliore via gradi perhibentur, maturo hic opus eſt examine, ſi res moram patitur.

Id autem, ait idem Silvius, in omnibus adultis, qui conditionaliter baptizantur, obſervandum eſt, ut poſtquam ſub conditione baptizati fuerint, confiteantur peccata poſt primum Baptiſmum commiſſa; ut ſi forſan valuerit Baptiſmus prior, peccata poſt ipſum commiſſa, quæ per poſteriorem utpote invalidum ablui non poſſunt, per pœnitentiam abluantur.

An & quæ iterationi Baptiſmatis annexa ſit irregularitas, expendi in proprio Tractatu.

CAPUT NONUM.

De effectibus Baptiſmi.

Ex veteribus hæreticis alii vim omnem & effectum Baptiſmo ademerunt, ut Meſſaliani; alii oppoſitis veſtigiis errantes, vim ei tribuerunt tantam, ut peccata per ipſum radicitus evelli, & nuſquam repullulare poſse docuerint; ita Jovinianus.

Poſterioris ævi Novatores quinque hos affingunt Baptiſmo effectus, 1. quod in baptizato juſtitiam pariat exteriorem non internam, ſed a qua jam excidere nequeat, niſi per incredulitatem; 2. 3. & 4. quod hominem ſolvat a votis, ab humanis legibus, quin & ab obſervantia divinæ legis; 5. quod ſola Baptiſmi memoria hominem mundet a peccatis poſt Baptiſmum commiſſis. Qui certo non tam ſunt Baptiſmi effectus,

Digitized by Google

fectus, quam Lutheranorum errores, ut ait Bellarminus Lib. 1. de Bapt. cap. 12. quod & ſequentia conſule.

Catholici triplicem Baptiſmo effectum aſcribunt, 1. quod vere tollat culpam omnem & pœnam; 2. quod conferat ex opere operato gratiam & dona, quibus homo vere & formaliter juſtificetur; 3. quod imprimat characterem, vi cujus iterari non poſſit. De ſecundo & tertio effectu diximus in Tractatu præcedenti; de primo ſupereſt dicendum. Sit

Conclusio I. Baptiſmus, ſecluſo obice, tollit omne peccatum, tam originale quam actuale; unde & confert gratiam qua homo interius renovetur & ſanctificetur.

Prob. 1. ex Scriptura Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Act. 22. *Baptizare & ablue peccata tua.* I. Cor. 6. v. 11. *Et hæc quidam fuiſtis*, ideſt graviſſime facinoroſi, *ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini N. J. C.* Gal. 3. *Omnes filii Dei eſtis ∴ Chriſtum induiſtis.* Rom. 8. *Si autem filii, & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Et ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti.* Unde ſic: Illud Sacramentum omnia prorſus peccata delet, & gratiam interius renovantem producit, quod hominem mundat ab omnibus inquinamentis, quod graviora ejus peccata abluit, quod eumdem per veram Spiritus ſancti renovationem ſanctificat & juſtificat. Ita ut ex filio iræ fiat filius Dei, hæres Dei, &c. atqui hæc omnia per Baptiſmum præſtari docent citati textus, ſi in obvio & naturali ſenſu intelligatur, ut intelligi debent juxta citatam ſæpius regulam S. Auguſtini; ergo.

Confirm. ex cap. 5. ad Epheſios, ubi ſic Apoſtolus: *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi*, non tantum mundam, ſed & *glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata*: atqui ſi in Baptiſmo non delentur vere, ſed tantum teguntur peccata, jam Eccleſia quæ ex baptizatis coaleſcit, nec vere ſancta eſt nec immaculata, ſed veteres maculas ac rugas ſervat, quæ ſubſiſtunt ſemper, licet non imputentur; ergo.

Confirm. 2. qui per Baptiſmum renaſcuntur, regenerantur, renovantur ac fiunt *quaſi modo geniti infantes*, iis peccata vere auferuntur, non teguntur tantum: atqui per Baptiſmum renaſcuntur homines, regenerantur, &c.

Prob. 2. ex Conciliis. Conſtantinopolitanum I. in Symbolo ſic habet. *Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Florentinum in Decreto Eugenii: *Hujus Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis.* Tridentinum Seſs. & Can. 5. *Si quis per Jeſu Chriſti D. N. gratiam quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud tantum dicit radi aut non imputari, anathema ſit.*

Prob. 3. ex Patribus, e quibus paucos appellaſse ſufficiet. Tertullianus Lib. de Bapt. c. 1. *Felix Sacramentum aquæ noſtræ, qua abluti delictis priſti-*

priſtinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. Et Lib. de reſurrect. carnis cap. 8. *Caro abluitur, ut anima emaculetur.* Cyrillus Jeroſ. Catech. 3. *Deſcendis in aquam ferens peccata ∴ mortuus deſcendiſti, & aſcendis vivificatus in juſtitia.* Gregorius Naz. Orat. 40. *Hæc eſt Baptiſmi gratia ∴ uniuſcujuſque hominis peccatum purgans, eaſque obſtructiones vel maculas, quæ vitio contrahuntur, prorſus abſtergens.* Hieronymus Epiſt. 82. ad Oceanum: *Omnia nobis Baptiſmate condonata ſunt crimina; nec poſt indulgentiam, Judicis metuenda eſt ſeveritas, dicente Apoſtolo, Et hæc quidam fuiſtis, ſed abluti eſtis.* Auguſtinus Enchiridii c. 64. Baptiſmatis munus contra originale peccatum donatum eſt ∴ *& tamen activa quoque peccata quæcumque corde, ore, opere commiſſa invenerit, tollit ∴* in eo *ſolvitur omnis reatus.* Horumce textuum vim qui non ſenſerint, oculos habent & non vident, &c.

Prob. 4. quia nihil *coinquinatum intrabit in* Regnum Cœlorum ex Apocal. 21. atqui homo rite & pie baptizatus poteſt hic & nunc intrare in Regnum Cœlorum, ergo nihil in eo manet coinquinati, *nihil damnationis*, ut loquitur Apoſtolus.

Dixi, *ſecluſo obice*, quia conſtat certas ad fructuoſam Sacramentorum ſuſceptionem requiri conditiones, de quibus alibi.

Objic. 1. Concupiſcentia eſt peccatum ex Apoſtolo Rom. 6. & 7. atqui concupiſcentia manet in baptizatis; ergo.

Reſp. diſt. maj. concupiſcentia eſt peccatum improprie, C. proprie & formaliter, N. Illud enim dumtaxat eſt proprie peccatum, quod facit hominem filium iræ, & damnationi æternæ obnoxium: porro haud talis eſt concupiſcentia, prout fuſe demonſtravimus in Tract. de Peccatis part. 1. cap. 2. art. 1. ſect. 2. ergo ſupereſt ut concupiſcentia non dicatur peccatum, niſi quia & a peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Ceteræ Novatorum objectiones pertinent ad materiam juſtificationis.

Objic. 2. Saltem Baptiſmus non delet peccata in iis qui eum recipiunt perfecte contriti.

Reſp. ad hoc ut Baptiſmus peccata delere dicatur, ſatis eſt ut de ſe vim habeat eadem delendi, licet per accidens delere nequeat, quia jam invenit deleta. Et in hoc quidem caſu ſua eſt & multiplex Baptiſmi efficacia, 1. quia non delentur peccata ſine ipſius voto; 2. quia tunc gratiam ſecundam producit, quæ eſt augmentum gratiæ primæ per charitatem aut contritionem perfectam inductæ; 3. quia characterem producit, hominemque efficit membrum Eccleſiæ; 4. quia & tunc remittit, quæ antea remiſsæ non erant, peccati pœnas. Quod ut magis intelligatur, ſit

CONCLUSIO II. Baptiſmus, ſecluſo obice, pœnam omnem peccatis debitam remittit, Eſt de fide.

Prob. 1. ex continua Eccleſiæ praxi, quæ licet ante Baptiſmum varia & ſæpe pœnalia virtutis exercitia indixerit Catechumenis, partim ut probarentur magis, partim ut melius diſpoſiti uberiorem e Sacramento gratiam perciperent; nulla tamen iis unquam pro peccatis ante Baptiſmum commiſſis ſatisfactiora opera impoſuit; cum etiam periculum erat ne ob neceſſitatis caſum præmature baptizati, plura deberent divinæ juſtitiæ: atqui hujus agendi rationis nulla reddi poteſt ratio, niſi quod

ſem-

ſemper in Eccleſia Dei fuit per Baptiſmum tolli pœnam omnem peccatis debitam; ergo.

Prob. 2. ex Patribus. Clemens Alexandrinus Lib. 1. Pædagogi cap. 6. *Multis modis*, inquit, *vocatur* Baptiſmus, *gratia*, *illuminatio*, &c. *gratia qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur*, &c. S. Gregorius Nyſſenus Orat. in Baptiſmum Chriſti: *Sicut*, inquit, *modo natus puellus a criminibus* actualibus *& pœnis liber eſt, ita etiam regenerationis puer ∴ a rationibus vitæ reddendis liberatus* eſt. Auguſtinus Lib. 2. de peccat. merit. &c. cap. 28. *Si*, ait, *continuo poſt Baptiſmum ſequatur ex hac vita emigratio, non erit omnino quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus quæ tenebant*. Idem ſupra docebat Hieronymus juxta quem *Poſt indulgentiam* Baptiſmi, *Judicis non eſt metuenda ſeveritas*. Unde ſic: Ei pœna omnis expuncta eſt, qui liberatus eſt a reddenda vitæ ratione, qui ſi ſtatim poſt Baptiſmum migret e vita, nihil habet quo retardetur a poſſeſſione Dei, cui nihil jam metuendum eſt a ſeveritate Judicis: atqui, &c.

Prob. 3. ex Conciliis. Florentinum in Decreto unionis: *Hujus*, inquit, *Sacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Propterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio, ſed morientes antequam culpam aliquam committant, ſtatim ad Regnum Cœlorum & Dei viſionem perveniunt.* Trident. Seſs. 5. Can. 5. ubi ſic: *Nihil eſt damnationis in iis qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſmum ∴ itaut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur.*

Dices: Si remittuntur pœnæ peccatis debitæ, vel ab hominibus, vel a Deo: atqui neutrum dici poteſt. Non 1. cum Magiſtratus etiam Chriſtiani peccata hæc etiam capite plectant, ut Metis ante aliquot annos videre fuit. Non 2. cum baptizati, non ſecus ac infideles, morbis, doloribus, ſiti & fami, ac morti demum obnoxii vivant.

Reſp. ad 1. neg. min. pro 2. part. neque enim fideles ſuos affligit Deus, ut vindictam ſumat de peccatis quæ prorſus condonavit; alioqui ſi ſtatim a Baptiſmo interirent, non ante raperentur ad patriam quam purgatorio igne mundati fuiſſent, quod Eccleſiæ fidei repugnat, ut modo probatum eſt. Itaque affligit Deus baptizatos 1. ad exercitium virtutis, & futuræ coronæ ſplendorem; 2. ut intelligant quid inimicis ſuis in æternitate reſervet, qui amicos etiam ſuos tantum humiliat in tempore; 3. ut circumferant teſtimonium peccati ſui, ſimulque eorum virtus in infirmitate perficiatur. Ita Auguſtinus Lib. 6. Operis imperfecti contra Julianum cap. 26. & 29.

Quæres an effectus Baptiſmi æqualis ſit in omnibus baptizatis.

Reſp. 1. eum eſſe æqualem in parvulis omnibus; quia tota quæ circa Baptiſmi effectum ſubeſſe poteſt inæqualitas, a diſpoſitionum inæqualitate repetenda eſt: porro nemo infans plus minuſve quam alter, diſpoſitionis habet.

Reſp. 2. characterem in omnibus adultis æqualem eſſe: quia character eſt quaſi ſigillum paſtoris; is autem morbidas oves non ſecus ac alias conſignat.

Reſp. 3. gratiam æqualiter diſpoſitis æqualem, inæqualem inæqualiter præparatis conferri. Ratio eſt, quia licet Sacramenta ex propria

vi, ſeu ex opere operato gratiam producant, agunt tamen *ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem*, ut ait Tridentinum Seſs. 6. cap. 7. ergo ubi plus reperiunt piæ diſpoſitionis, efficacius operari debent; ubi minus, minus efficaciter.

CAPUT DECIMUM.

De Cæremoniis Baptiſmi.

E Sacris ritibus quos in ſolemni Baptiſmo adhibet Eccleſia, alii dicuntur *efficientes*, ut exorciſmus & inſufflatio; alii mere *ſignificativi*, ut veſtis candida qua induebantur Neophyti. Efficientes id quod pariunt, pariunt conſequenter ad preces Eccleſiæ, quæ peculiarem adverſus dæmones poteſtatem accepit; non autem ex opere operato; quia, ut bene Silvius hic q. 71. art. 3. ritus illi ab Eccleſia inſtituti ſunt: *Hæc autem non poteſt inſtituere ſignum aliquod, in quo infallibiliter detur gratia ſanctificans.*

Ne ritus ſeu cæremonias Baptiſmi omnino prætermittamus, pauca quædam de iis loquemur quæ præcedunt, propius comitantur, aut ſubſequuntur adminiſtrationem ejus.

Cæremoniæ quæ præcedunt, ſunt 1. conſecratio aquæ cum chriſmate, quæ ſolum fit in pervigiliis Paſchæ & Pentecoſtes, eo quod non baptizarentur communiter adulti niſi iis diebus extra caſum neceſſitatis.

Dixi, *communiter*, quia apud Hibernos & Anglos ſolemnior Baptiſmus aliquando datus eſt in Paſcha, Pentecoſte, Natali Domini, & Epiphania; apud Hiſpanos in Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini; apud Gallos in Paſcha, Pentecoſte, & Natali die tum Chriſti, tum Joannis Baptiſtæ, quibus deinde additæ ſunt Apoſtolorum ac Martyrum feſtivitates. Morem hunc ex parte comprobavit Deus inſigni miraculo, quod Ebreduni in Nativitate Chriſti, & in Cœna Dominica, teſte Gregorio Turonenſi, contingebat: illis nimirum diebus in Baptiſterio quod ea in urbe conſtruxerat S. Marcellinus, quaſi e fonte divinitus ſcaturiebat aqua, quæ ad Baptiſmum ſufficeret.

Greg. de glor. Conf. c. 69.

Circa oleum Catechumenorum & ſanctum Chriſma, obiter animadvertendum eſt, ea tantum adhiberi debere, quæ eodem anno fuerint a Pontifice benedicta Feria V. in Cœna Domini. *Ideo*, ait Rituale Argentinenſe pag. 16. *ſtatim a Paſchate ea de ſe deferri Paſtor diligenter provideat, & vetera cum ſtupis comburat, combuſtorumque cineres in piſcinam mittat, aut in loco benedicto condat. Veteribus enim oleis, niſi cogat neceſſitas, ultra annum uti, ex Eccleſiæ more vetitum eſt. Quod ſi de novis ſat ſibi non comparaverit, & aliunde habere non poſsit, aliud oleum de olivis extractum non benedictum adjiciat, ſed in minori quantitate.*

2. impoſitio nominis, non profani & Gentilis, ſed Sancti alicujus, quem baptizatus ſequatur ut exemplar, veneretur ut Patronum, deprecetur ut interceſsorem. *Vid. ſupra pag. 343.*

3. ſignum crucis fronti, pectori, oculis, auribus & humeris applicatum. Fronti, ut baptizandi crucem nunquam erubeſcant, ſed palam vel ipſis ſuis moribus confiteantur. Oculis, ut a ſpirituali cæcitate liberati,

rati, ſibi deinceps invigilent *ne videant vanitatem*. Pectori, ut fidem non profiteantur oretenus, ſed corde credant. Auribus, ut ex pronæ ſint ad audiendas fidei veritates; humeris, ut jam ab adoleſcentia Chriſti jugum & crucem ferre aſſueſiant, & uſu colligant patiendi.

4. exorciſmus cum trina in faciem infantis exſufflatione, his ſtipata verbis, *Exi ab eo immunde ſpiritus, &c.* ideo autem, ait Auguſtinus Lib. I. de Symbolo ad Catechum. cap. I. *parvuli exſufflantur & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli poteſtas inimica*, & pellatur levi flatu, quo nihil infirmius, nihil proinde quod magis cedat in dæmonis contemptum.

5. impoſitio, ac ſubinde extenſio manus ſupercaput baptizandi, tanquam victimæ quæ dæmoni arrepta, ſoli jam Deo conſecranda ſit.

6. intromiſſio ſalis in os pueri, natiumque ejus & aurium tactus cum ſaliva: ut ex guſtu ſalis, quo vera indicatur ſapientia, *fœtore careat iniquitatis, ne a vermibus peccatorum putreſiat;* ex ſaliva autem vitæ æternæ odorem percipiat, & aures cœleſti doctrinæ habeat intentas. Can. 64. diſt. 4. De Conſecr.

His ad limen Eccleſiæ, vel ad introitum Baptiſterii, juxta præſcriptum in Ritualibus ordinem, peractis, introducitur infans in Eccleſiam vel Baptiſterium, ubi ſervantur ritus ſequentes.

Et quidem 1. recitatis a Patrino & Matrina, fidei Symbolo & Oratione Dominica, interrogatur baptizandus an abrenuntiet ſatanæ, ejuſque operibus & pompis: reſpondet porro ſeu per ſuſceptores, ſi infans, ſeu per ſemetipſum, ſi adultus, ſe his nuntium remittere perpetuum; *ſatanæ* quidem, quia duobus dominis ſervire non poſſit; *operibus* ejus, quia qui idem in ſe ſentit, quod in Chriſto Jeſu, in id totus incumbere debet, ut diſſolvat opera diaboli; *pompis* ejuſdem, ambitioni ſcilicet, faſtui, ſuperbiæ, profuſis in victu aut veſtitu ſumptibus, quia hæc homines mergunt in interitum, & ab humili Chriſti agendi ratione turpiter diſſonant.

2. intincto dextro pollice aut bacillo in oleo Catechumenorum, linitur infans in modum crucis, primo in pectore, deinde inter ſcapulas; ut *per fidei Sacramentum*, cujus vis tota a cruce eſt, *ſit munditia cogitationum in pectore, & per operis exercitium ſit fortitudo laborum* piorum *in ſcapulis*, ait Innocentius III. cap. unic. *De ſacra unctione*, §. *Quia vero*.

3. interrogatus an baptizari velit, ubi per ſponſores reſpondit ſe id velle, baptizatur in forma Eccleſiæ conſueta.

Baptiſmi actionem ſequitur 1. unctio chriſmatis, quæ non in fronte fieri debet, ſed in vertice capitis; idque tum *ut* baptizatus *ſit paratus omni petenti de fide reddere rationem; quia per caput intelligitur mens*; *juxta quod legitur* Eccle. 2. *Oculi ſapientis in capite ejus;* tum *quia chriſma ſoli competit Chriſtiano; Chriſtus enim a chriſmate dicitur, vel potius a Chriſto dicitur chriſma, non ſecundum nominis formam, ſed ſecundum fidei rationem*. Ita Innocentius III. ubi ſtatim.

2. impoſitio linteoli loco veſtis albæ, ut novus Chriſti tyro & innocentiæ acceptæ meminerit, & eam pro viribus conſervare nitatur.

3. traditio cerei accenſi, cujus in lumine deſignatur fides, charitas in calore, in altitudine ſpes, quę terrena ſupergrediens, ſeſe ad cœlos uſque attollit; *ut cum Dominus venerit ad nuptias*, poſſit *ei occurrere* baptizatus, *una cum omnibus Sanctis in aula cœleſti*. Ritual.

Iis ritibus accedebant alii apud antiquos, ut oſculum pacis, & lactis melliſque delibatio. Per oſculum pacis exprimebatur nova & ſancta,

quæ baptizatum inter & ceteros fideles exorta erat fraternitas. Per delibationem lactis & mellis, deſignabatur nova in Chriſto infantia, quam his exhibuit verbis S. Petrus Ep. 1. c. 2. *Sicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite*. Neutra jam eſt in uſu, niſi pacis oſculum his in adultorum Baptiſmo verbis ſuppleri dicatur, *Vade in pace, & Dominus ſit ſemper tecum*. Ut quibuſdam occurratur ſcrupulis,

Quæres 1. an redarguenda præſens Eccleſiæ praxis, quæ contra priſtinum morem infantes quovis tempore baptizari jubet.

Reſp. negar. nam, ut bene Tertullianus Lib. de Bapt. c. 19. *Omnis dies Domini eſt, omnis hora, omne tempus habile Baptiſmo: ſi de ſolemnitate intereſt, de gratia nihil refert*. Imo nec ſolemnitas objici ſerio poteſt: *Poſtquam* enim *Chriſtianitas crevit* ∴ *quia periculoſum erat tantam multitudinem differre propter occaſiones mortis* ∴ *viſum eſt ſanctæ Eccleſiæ, paſſim indulgen-*
*Obiit *tia baptizandi conceſſa, imo oblata, cuncta antevenire pericula*: ita * Rupertus
an. 435. Abbas Lib. 4. de divinis Officiis cap. 18.

Quæres 2. quo in loco conferri debeat Baptiſmus.

Reſp. Baptiſma olim quocumque in loco collatum eſſe, ut conſtat exemplo tum Eunuchi, qui a Philippo baptizatus eſt in via; tum Sauli qui ab Anania baptizatus eſt in privata domo. Unde hic dici poteſt quod ſtatim de tempore ajebat Tertullianus, locum omnem Domini eſſe, & habilem Baptiſmo. Atque id ſervatum primitus, cum decſſent Chriſtianis publica templa in quibus ſynaxes ſuas celebrarent. Nunc & jampridem extra Eccleſias baptizare illicitum. *In Eccleſiis*, ait Can. 19. Concilii Trullani, *non in domibus, aut privatis oratoriis Baptiſma celebretur: contra faciens Clericus deponatur. Laicus excommunicetur*. Et Concilium Meldenſe. Can. 48. *Nemo Presbyterorum baptizare præſumat niſi in Eccleſiis baptiſmalibus, niſi cauſa ægritudinis, vel certæ neceſſitatis*. Si quandoque, ait citatum Rituale p. 31. *ex licentia DD. Epiſcopi infans baptizetur ſine cæremoniis, id fiet vel in Parochiali Eccleſia, aut domi in Capella ſeu Oratorio, cum aqua baptiſmali, præſente ſemper Parocho, ſi non ipſe baptizet. Verum ſi neque Capella, neque Oratorium ſit in illa domo, ponatur ſuper menſam cubiculi imago crucifixi, cum duobus cereis ardentibus*.

Ab hac lege excipiuntur infantes Regum & Principum, ex Clement. unica *De Baptiſmo*, &c. qui proinde in Capellis domeſticis baptizari poſſunt cum aqua de more benedicta.

Hic q. 71. a. 4. *Ex his*, ait Silvius *bene advertant Parochi, nequaquam ſibi licere ad inſtantiam eorum nobilium, qui neque ſunt Reges, neque Principes, ipſorum pueros vel in domo vel in Capella domeſtica, aut in alia quacumque, ſi non ſit Eccleſia habens Fontem baptiſmalem, baptizare vel ſolemniter vel non ſolemniter. Sed nec eis licet illos pueros in Eccleſia Fontes habente, ad aſſecurationem, ut vocant, interea dum Patrinus expectatur, baptizare ſine cæremoniis: partim quia obſtat allegata Clementina, partim quia recepta eſt Navarri, Ledeſmæ & aliorum ſententia, peccatum eſſe mortale Sacerdoti cuique baptizare ſine ſolemnitate extra caſum neceſſitatis*.

Quæres 3. an ſuppleri debeant cæremoniæ, quæ in Baptiſmo prætermiſſæ fuerint, ſive ex contemptu ut apud Hæreticos, ſive in caſu neceſſitatis, ut apud Catholicos.

Reſp. 1. unicuique Sacerdotum ſequendam eſſe Diœceſis in qua baptizat,

Digitized by Google

zat, conſuetudinem: quia etſi fieri abſolute poteſt, ut inferior mentem Eccleſiæ in his materiis melius apprehendat, quam Superior; fieri tamen nequit ut pie & ſancte contra Statuta ipſius rebellet. Hic porro non una eſt variis in Diœceſibus conſuetudo. Alicubi enim, & fere ubique præcipitur, ut in iis qui ab hæreticis rite baptizati ſunt, ſuppleantur cæremoniæ, non ſecus ac in Catholicis, in quibus urgente periculo prætermiſſæ ſint: ita præſcriptum Rhemis, Ambiani, Rupellæ, &c. Alibi adhibetur quidpiam temperamenti. Sic Rituale Meldenſe an. 1645. *Non eſt tamen neceſſe*, inquit, *omnes ex hæreſi venientes ad ſuſcipienda hujuſmodi cæremonias compelli, ſed prudenter agendum, ut ſi viderit Sacerdos periculum eſſe, ne harum pudore illi a Religione Catholica abhorreant, eas prorſus omittat*. Sic & Rituale Pariſienſe ſub Lud. Ant. Card. Noallio: *Ubi rite baptizati ſunt* ab hæreticis infantes, vel adulti, in his *omiſſæ cæremoniæ ſuppleantur: infantibus quidem, ſi parentes poſtulaverint; adultis vero ſi ipſimet poſtulaverint*. Alibi demum aliam iniere viam magnæ famæ Epiſcopi duo, nimirum Cardinalis Le Camus Gratianopolitanus, & Boſſuetus Meldenſis. Prior ſic habet in Statutis an. 1690. tit. 6. art. 3. n. 11. *Quand les enfans auront èté baptiſes hors de l'Egliſe Paroiſſiale, les Cures ſuppleiront ſimplement les onctions & autres ceremonies du Bapteme, a la reſervede l'exorciſme, puiſqu'il eſt inutile de chaſſer le demon de l'ame d'un enfant, ou le S. Eſprit habite*. Idem eadem de cauſa ſanxit Boſſuetus an. 1691. qua occaſione *Pag.121.*

Reſp. 2. longe ſatis eſſe ut Epiſcopi tritam de ſupplendis cæremoniis omnibus ac proinde exorciſmis viam teneant ipſi, & ab aliis teneri præcipiant. Ita inter alios famoſus Auctor Libri, cui titulus: *Diſſertations Theologiques & Dogmatiques*, I. *Sur les exorciſmes*; & Petrus Gibert in Conſultationibus Canonicis de Baptiſmo, Conſult. 1. & 2. *D. Duguet.*

Prob. 1. ex S. Thoma 3. p. q. 71. art. 3. ad 3. ubi ſic: *Ea quæ aguntur in exorciſmo, non ſunt prætermittenda niſi in neceſſitatis articulo, & tunc ceſſante periculo debent ſuppleri*, ut *ſervetur uniformitas in Baptiſmo*. Et in 4. Sent. diſt. 6. q. 2. art. 3. *Nec fruſtra ſupplentur poſt Baptiſmum, quia ſicut impeditur effectus Baptiſmi, antequam percipiatur, ita poteſt impediri poſtquam ſuſceptus eſt*. Porro neceſſitatem hanc ſupplendi exorciſmos a S. Doctore non fuiſſe adinventam, prout temere reſpondent aliqui, demonſtrant invicte tria, 1. quod receptas ſuo tempore ab Eccleſia leges ubique ſequi & exponere glorietur; 2. quod Libros Sententiarum interpretatus ſit admodum juvenis, eo proin tempore, quo novos ritus inducere minus auſit vir nominis pene ignoti; 3. quod opinio quam in citatis textibus tradit S. Thomas, uno ante eum ſæculo traderetur a Theologis, uti ex Honorato Auguſtodunenſi probat Duguetus ubi ſupra part. 1. n. 17.

Prob. 2. ex Conciliis, quæ non modo ante, ſed & poſt exortas Calvini novitates, ideſt quo tempore cautius gradiebantur Epiſcopi, ne reprehenſionis anſam darent errori, cæremonias omnes ante Baptiſmum omiſſas, poſt ipſum ſuppleri debere ſanxerunt. Ex pluribus quæ congerunt Auctores adducti, duo vel tria protuliſſe ſufficiat. Concilium Ebroicenſe an. 1576. hæc loquitur: *Interdicimus omnibus Curatis & Preſbyteris ∴ ne allatos ad ſe pueros jam baptizatos a Calviniſtis audeant iterum tingere* etiam *ſub conditione*, *ſed ∴ perficiant in ipſis omnes alios ritus Baptiſ-*

matis ab illis omiſſos : quod idem in adultis redeuntibus ab hæreſi agi jubemus. Profectò qui omnes ritus ſuppleri vult, non omittit exorciſmos, qui horumce rituum pars ſunt præcipua.

Concilium Provinciale Rhemenſe ſub Ludovico Cardinali Guiſio celebratum an. 1583. *Si* infans *jam baptizatus fuerit .·. non debet iterum baptizari, ne ſub conditione quidem : ſed tamen omnes cæremoniæ ſuppleantur, atque etiam exorciſmi pronuntientur*. Et iterum : *Si adulti fuerint, poſt abjurationem hæreſis & reconciliationem, ſupplebuntur Baptiſmi cæremoniæ*.

Concilium Provinciale Bituricenſe habitum an. 1584. ſub Renaldo de Beaune : *In Baptiſmo*, inquit, *obſervetur uſus Catechiſmi, exorciſmi, ſalis, ſalivæ, chriſmatis, & olei ſancti, ceterique ritus ab Eccleſia traditi : & ſi quid horum omiſſum fuerit, ſuppleatur. Hæc de induſtria omittentes, aut contemnentes, anathemate feriantur*.

In Provinciali Concilio Rothomagenſi quod an. 1581. habitum eſt ſub Carolo Borbonio, mota fuit eadem difficultas, non quoad infantes, de quibus nemo Patrum ambigebat, ſed quoad adultos ab hæreſi Calviniana redeuntes. Diviſis opinionibus *conclusum tandem* eſt *de hoc conſulendam eſſe Sedem Apoſtolicam, ut ſopirentur contentiones.* Conſultùs reipſa fuit Gregorius XIII. vir paucis ævi ſui, ſi quibuſdam, inferior ſcientia; reſponſum ejus nitidum & breve, hoc fuit, *Cæremonias Baptiſmi ſupplendas eſſe, præcedente in adultis abjuratione & reconciliatione*. Fuerunt quidem Diœceſes aliquæ, in quibus Decreto huic obtemperatum non ſit; ſed quia jam in his alia invaluerit conſuetudo, & e re erat ut Calvinianis, qui de ſuo ad Eccleſiam reditu deliberarent, facillima quæque ex difficilibus redigerentur. Utut eſt præcipit Rituale Romanum ut ſuppleantur exorciſmi : atqui Rituali hoc reguntur Diœceſeon tertiaria duo; ergo.

Prob. 3. quia ſi exorciſmi omitti debeant, cum ſupplentur cæremoniæ poſt Baptiſmum, ipſæ hæ cæremoniæ fere omnes prorſus omittendæ erunt : atqui abſurdum conſequens. Minor patet ex adverſariorum confeſſo. Prob. maj. quia ſingulæ propemodum cæremoniæ quæ ablutionem præcedunt, ſunt exorciſmi actionis, ut patet in inſufflatione, quæ manuum impoſitionem præcedit, in impreſſione ſigni crucis, ut *diſrumpantur laquei omnes* ſatanæ, in impoſitione manuum ſuper caput baptizandi, cum his verbis, *Nec te lateat, Satana, imminere tibi pœnas*, &c. in tactu aurium & narium, cum hac voce, *Ephpheta*, qua erga hominem a dæmone poſſeſſum uſus eſt Chriſtus, &c. Vide citatos Auctores.

Dices : Ideo non licet hodie ſervare ritus Judaicos, quia falſum ſupponunt, videlicet nondum veniſſe Meſſiam iiſdem ritibus præſignatum : atqui pariter exorciſmi Baptiſmo ſupervenientes falſum ſupponunt. Supponit enim exorciſmus iſte, *Exi ab eo immunde ſpiritus, & da locum Spiritui ſancto*, eum circa quem pronuntiatur, adhuc eſse mancipium diaboli; nedum plenus ſit Spiritu ſancto : atqui ſuppoſitio hæc & falſa eſt, & inſigniter falſa; ergo.

Reſp. 1. mirum eſse quod Catholici viri eò deveniant, ut ſupponant ab Eccleſia approbari ritus, non minus falſos & exitiales, quam hodie falſi ſint ritus Judaici : certe enim quæ vere mala ſunt, Eccleſia *non approbat, nec tacet, nec facit*, ut colligere eſt ex Auguſtino Epiſt. 55. cap. 19. alias 129. porro exorciſmos poſt Baptiſmum approbat & facit tota pene

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſia, vel potius tota ſimpliciter; cum certo certius conſtare videatur eos ante exortam Calvini hæreſim, ubique terrarum obſervatos fuiſse.

Reſp. 2. difficultatem objectam ab iis ſolvendam eſſe a quibus proponitur. Fatentur enim & fateri debent exorciſmis ſubjacuiſſe olim Cathecumenos indiſtincte omnes: atqui ex iis erant complures, qui conſtanti virtutum omnium exercitio jam a ſe immundum ſpiritum procul abegiſſent. Ecquis, ut taceam de Cypriano, qui ab iis exorſus eſt, quæ nec alii contingunt finiendo, quis Auguſtinum, qui tot ad Baptiſmum attulit diſpoſitiones, ut hodieque vel frigidioribus excutiant lacrymas, immundi ſpiritus ſedem fuiſſe opinetur? quis Ambroſium, quem Deus Epiſcopatu dignum inſigni miraculo teſtificabatur? quis Martinum, cujus adhuc Catechumeni eximiam charitatem Chriſtus ipſe commendaverat?

Reſp. 3. ad 1. diſt. min. exorciſmi Baptiſmo ſupervenientes falſum ſupponunt, ſi ſpectentur qua parte ſpectari non debent, C. ſi ſub vero proſpectu inſpiciantur, N. Itaque duplicem habent intuitum ſacri Eccleſiæ ritus; ſub uno lædunt oculos, ſub altero placent. Lædunt quidem, ſi nudus rerum cortex inſpiciatur. Sic Eccleſia, quaſi Judaica evaſerit, toto Adventus tempore Meſſiam e cœlis in terras illabi, geminatis ſuſpiriis precatur; qui tamen deſcendit jam dudum. Sic in Feſto Natalis Chriſti eumdem quaſi vagientem in cunis veneratur. Sic per Quadrageſimam abſcondit crucem, quam in Paraſceve quaſi recens mortis Domini inſtrumentum exhibet. Quemadmodum ergo prædictos ritus venerantur Catholici omnes, quia eoſdem ſub alia facie intuentur, ut debent; ſic & exorciſmorum praxim ſine culpa deſpicere non poſſunt, qua inſpecta qua parte debet, ſenſum habet pretioſum Eccleſiæ. Oſtendit enim 1. poſſe diabolum fugari per vim a Chriſto inditam precibus Eccleſiæ: 2. infantes vel adultos niſi regenerentur, diaboli mancipia eſſe; quo argumento olim & toties uſus eſt Auguſtinus contra Pelagianos. Quod autem diabolum veluti præſentem alloquatur Eccleſia, nihil intereſt; quia Eccleſia pluries exhibet ut præſens, id quod reipſa præteritum eſt, ſed dependenter ab aliquo futuro. Sic pro defuncto orat ne cadat in obſcurum, quia etſi ſciat ſortem ejus ineluctabili judicio fixam eſſe, ſcit quoque Deum in illo judicio ſpectare ad futuras Eccleſiæ preces. Sic quem in mortis periculo abſolvit a cenſuris publicis, propalam deinceps abſolvit; quia prima abſolutio data eſt relative ad ſecundam. Idem eſt in exorciſmis: quia etſi Baptiſma ſolum poſſit fugare dæmones, haud tamen eos fugat niſi ſub onere parendi Eccleſiæ mandatis; ex his autem mandatis unum eſt, quod exorciſmos etiam poſt Baptiſmum recitari jubet. Atque is eſt ſenſus verborum quæ ſupra retulimus ex S. Thoma: *Ne fruſtra ſupplentur poſt Baptiſma*, &c. Unde. *Supra*

Ad 2. neg. maj. quemadmodum enim hæc verba, *Abſolvo te a peccatis tuis*, pronuntiata ſuper eum qui imminente letho abſolutus eſt ſine *pag. 381.* confeſſione, non probant hominem hunc actu eſſe in peccato, ſed ſolum eum fuiſſe in peccato, a quo abſolutus ſit ſub onere confitendi; ſic & iſta *Exi ab eo immunde ſpiritus*, non probant infantem vel adultum actu poſſideri a dæmone, ſed ſolum eum ab iſto olim poſſeſſum fuiſſe, & liberatum cum onere ſubjacendi cæremoniis Eccleſiæ; ergo ſicut verba hæc, *Abſolvo te a peccatis tuis*, quæ litteraliter intellecta ſuppo-

nunt hominem eſſe adhuc per peccata mancipium diaboli, nec homini illi, nec Spiritui S. qui eidem inhabitat, injuriam faciunt; ſic nec iſta verba: *Exi ab eo*, &c.

Reſp. 2. neg. eamdem maj. alia de cauſa, quæ exorciſmo vim præſentem, præſentem & effectum aſcribit. Dico itaque has voces, *Exi ab eo*, uſurpari contra dæmonem, non qui dominetur in corde hominis jam baptizati; ſed qui eidem inſidietur. Unde etſi jam fugari nequit ut poſſeſſor cordis, at fugari poteſt ut aditus plateæ circumdans tanquam leo quærens quid devoret. Qua de re lege & perlege citatam Diſſertationem 4. part. n. 28. & ſeq.

Dices 2. ex S. Optato Lib. 2. de Schiſm. nu. 21. nihil *iniquius*, *quam exorcizare Spiritum ſanctum*: atqui in ſententia noſtra *exorcizatur Spiritus ſanctus*; ergo.

Reſp. neg. min. cujus falſitas & præcedentibus reſponſis confutatur, & nullum in adducto S. Optati textu fundamentum habet. Hic nempe invehitur Optatus in audaciam & furorem Donatiſtarum, qui quidquid a Catholicis pie & ſancte conſecratum erat, Epiſcopos nimirum, Presbyteros, Templa, Altaria, Calices, &c. veluti profanum quid & pollutum, novo ac ſacrilego ritu dejecerant; ſicque impietatem ſuam ſubſtituerant Spiritui ſancto, cujus minima quæque veſtigia, abſterſis etiam Eccleſiarum parietibus velut immundis deleverant. *Perfecti fuerant illi*, ait Optatus, *qui in ejus nomine fuerant ordinati; & vos contra opus Dei hoſtiliter militatis ∴ Quid iniquius quam exorcizare Spiritum ſanctum, altaria frangere, Euchariſtiam animalibus projicere*, &c.

Inſt. Eſto non loquatur in objecto textu Optatus de Baptiſmo, at certe de eo loquitur Lib. 4. n. 6 his verbis: *Vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti: Maledicte, exi foras ∴ Audit ergo Deus injurias non ſibi debitas*: atqui hæc verba manifeſte docent per exorciſmos Baptiſmo ſupervenientes exorcizari Spiritum S. ergo.

Reſp. diſt. min. docent per exorciſmos junctos iterationi Baptiſmatis, prout contingebat apud Donatiſtas exorcizari Spiritum ſanctum, C. per exorciſmos præciſe & ex natura rei, N. Itaque Donatiſtæ cum perſuaſi eſſent irritum eſſe Baptiſma quod a Catholicis conferebatur, exigebant a proſelytis ſuis ut ſe novo tingi Baptiſmo paterentur: atqui hæc agendi ratio, quædam erat ejuratio Spiritus ſancti; cum is remanere non poſſit in corde hominis, qui novo ſe Baptiſmo ſubjicit; ergo Donatiſtæ ejurabant & exorcizabant Spiritum ſanctum. Verum longe aliter ſe res habet in Catholicorum exorciſmis, cum in iis vel præſens tempus ſumatur pro præterito, ut pluries fieri monuimus; vel adjuretur dæmon, non ut recedat a baptizati corde, cui jam non dominetur; ſed ut, ſi ita loqui liceat, finitima cordi loca derelinquat; ne deinceps in domum unde exivit, cum aliis ſe nequioribus regrediatur.

F I N I S.

INDEX

INDEX RERUM.

A

Ablutio baptiſmalis. Quomodo ad eſſe ſacramentale determinatur, 96. *& ſeq.* An ſit *materia* proxima *Baptiſmi*, 289. 291. An ad *baptiſmum* ſufficiat ablutio occiſiva, 300. *& ſeq.* 301. Quotuplex ablutio occiſiva, ib. An utraque vel alterutra abluendi ratio licita ſit, 300. An ablutio occiſiva tantum ordinetur ad mortem corporis, 301. *& ſeq.* & ſit actio intrinſece mala, ib. An ad ablutionem ſufficiat contactus immediatus *aquæ* circa corpus, ib. *& ſeq.* Extra neceſſitatem nec abluenda proles, donec prodierit ex utero matris, nec ubi prodiit, alibi quam in capite abluenda, 303. *& ſeq.* Vide *baptiſmus.* 6. *Eccleſia. Immerſio. Infans.*

Abſolutio, gallice *l'Abſoute.* Ejus antiquitas, 265.

Abſolutio. An valeat abſolutio ſic data, *Abſolvo te*, ſi prævidet Deus te ante finem menſis eſſe reſtituturum, 136.

Abſolutus. Aliud eſt dicere, negligentiſſimum eum fore ſalutis, qui per exteriorem dumtaxat jocum abſolutus, non quæreret abſolvi ſerio; aliud dicere eum omnem qui exterius ſerio abſolvitur, ſemper valide abſolvi, 100. *& ſeq.* An quis valide abſolvatur a *peccatis*, ea lege ut intra certos dies ablata reſtituat, 136. *& ſeq.* An peccaret, qui abſolvendo hominem quem crederet diſpoſitum, hanc apponeret conditionem, *Si es diſpoſitus abſolvo te.* 137. An contritus de peccatis hora ſexta, confitens hora nona, & abſolutus hora 12. valide abſolutus æſtimari debeat, eo quod Pœnitentia rationem habeat judicii, 145.

Actio. An ad actiones, quæ ex virtuali *intentione* fieri dicuntur, tenuis aliqua remiſſaque attentio concurrat, 128. An actio quæ mala eſt, Deum moveat ad collationem *gratiæ*, 226.

Actio exterius mimica. Quæ eſt, 79.

Actio ſacramentalis. Qualiter debet poni. 129. Quo ſenſu non eſt voluntaria niſi ab *intentione*, 141.

Actus. An actus quilibet bonus & ſupernaturalis mereatur *gratiam* ſaltem de congruo, & majorem, cum melior eſt & ſanctior, 214.

Actus ſacramentalis, quando eſt actus Religionis, 88.

Adulti. Omnes adulti poſſunt, ſi velint, *baptizari*, 372. *& ſeq.* In adultis, ut *baptiſmum* valide recipiant, requiritur & ſufficit *intentio* illum recipiendi, 373. *& ſeq.* In adulto, ut ceteros præter *characterem* effectus *baptiſmi* recipiat, requiritur *fides*, ib. *dolor* de peccatis actualibus, ibid. *& ſeq. ſpes* veniæ, ib. inchoatus Dei *amor*, 374. *& ſeq.* & *propoſitum* ſervandi ac profitendi legem Chriſtianam, ib. non requiritur autem *confeſſio* vel *ſatisfactio*, ib. Stricta adultis omnibus qui baptizari poſſunt incumbit *baptiſmi* obligatio, 398. An adultus juſtificatus ſit, qui ante *Martyrium* votum habet *baptiſmi*, vel non, 396. *& ſeq.* An damnaturus ſit adultus peccator pro *fide* moriens ex ſolo v. g. gloriæ cœleſtis deſiderio, ſi non habeat *contritionem* perfectam, 402. *& ſeq.* Quare adulti ac *infantes* in poſitivo juris vel facti dubio baptizandi ſunt ſub conditione, 412. Vide *baptiſmus* 12. 13. 22. *Infantes* 1. *Martyrium.*

Affinitas. An tres aut quatuor pluresve *Patrinorum* munera exercentes, affinitatem contrahant, 343.

Aman. Quare honos ab Aman impenſus Mardochæo, valuit, 118.

Ambroſius (S.) vide *Valentinianus.*

Amentes & *Furioſi.* An ſint *baptizandi*, 363. *& ſeq.* Vide *Intentio* 5.

Amor Dei inchoatus, vide *Adulti.*

Angeli. An Angeli aſſumpto corpore *Euchariſtiam* miniſtraverint, 25.

Apoſtoli. An *Sacramenta* quędam inſtituerint, 21. An non aliter *baptizabant* quam mergendo, 290. *& ſeq.* An tantum *baptizaverint* in nomine Jeſu, 312. *& ſeq.* Vide *Chriſtus.*

Aqua baptiſmalis. An ad nullos *ſalutis* uſus inſerviat ſine predicatione crucis, 161. *& ſeq.* Vide *Ablutio. Paſtores.*

Aqua benedicta, vide *Baptiſmus* 5. *Cæremonia.*

Aqua naturalis. An ex Chriſti verbis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu*, &c. colligi queat aquam naturalem eſſe *Baptiſmi materiam*, 284. *& ſeq.* An hæc vox *aquæ* debeat uſurpari ſenſu metaphorico, 285. An ſi aqua, neceſſaria foret *Baptiſmi materies*, valeret Baptiſma in arena, vinoque collatum, 286. *& ſeq.* Vide *Ablutio. Baptiſmus* 5. 6. 9. *Liquor. Materia* Baptiſmi.

Aqua benedictionis mos. Ejus antiquitas, 259. 264. Quotuplex aquæ benedictio, 264.

Arelatenſis I. Synodus, an ſit plenarium Auguſtini Concilium, 71. *& ſeq.*

Ariani. An valide baptizabant, 154.

Ars. Quid eſt; ejus actio, 129.

Aſperſio, vide *Baptiſmus* 6.

Athanaſius. (S) Quo ſenſu comparat *Baptiſmum* Arianorum cum Paulianiſtarum Baptiſmate, 50. *& ſeq.*

Athanaſius puer. Quanta laborat ſuſpicione hiſtoria Athanaſii junioris baptizantis pueros ſuper oram maris, puerorum ludum imitando, 82. 83. *& ſeq.*

Attritio, vide *Intentio* 1.

Attritio. An ſi ſufficiat attritio ad tollendum obicem negativum, hec quoque ſufficiet ad tollendum obicem poſitivum, 185. Quomodo ſe habet poſt *Baptiſmum*, 186. V. *Baptiſmus* 21.

Audientes catechumeni, qui erant, 375. *& ſeq.* Quotuplici ritu inaugurabantur, ibid.

Auguſtinus. (S.) Quo ſenſu dixerit connu-

bium

Digitized by Google

biuur etiam *in Paradiſo* terreſtri, fuiſſe Sacramentum, 9. An ſciverit *Cyprianum* definitioni a *Stephano* Papa conciliariter emiſſæ reſtitiſſe, 65. Quo ſenſu dixit: *Accedit verbum ad elementum & fit* Sacramentum, 80. *& ſeqq.* Quæ ſufficiant, ut ex Auguſtini loco Lib. 7. de Bapt. cap. 53. *Solet etiam quæri*, &c. certum ſit retentionem *intentionis* nihil nocere *Sacramentorum* integritati, 108. *& ſeq.* Quos intellexit per eos de quibus loquitur *fallaces*, 109. *& ſeq.* 110. *& ſeq.* An requiſierit *intentionem* internam in Miniſtro v.g. Baptiſmi, 112. *& ſeq.* An *Baptiſma* citra quamcumque mentalem intentionem collatum valere cenſuerit, ib. *& ſeq.* An principia quæ contra Donatiſtas ſanctitatem in *Sacramentorum Miniſtris* requirentes poſuit, internæ cujuſcumque *intentionis* neceſſitatem convellant, ib. *& ſeq.* Quo ſenſu dixit: *Si Donatus baptizaſſet in nomine ſuo*, characterem *impreſſiſſet*, 251. Vide *Catechumenus*. *Circumciſio*. *Laici*. *Nicæna* Synodus. *Synodus*. *Rebaptizantes*. *Verba*.

B

BAptiſmus 1. Etymologia ejus nominis; quæ non raro appellantur Baptiſmata, 267 Quod hodie paſſim & multo communius Baptiſmi nomine intelligitur; ejus variæ in Scriptura & Patribus appellationes, ib. Ejus definitio juxta Novatores, ib. a Catholicis rejicitur, 268. *& ſeq.* Ejus definitio juxta Catholicos, ibid. eſt legitima, ibid. *& ſeq* Ejus diviſio analogica, 269.

2. Veteres & recentiores qui erraverunt circa hoc punctum: An idem ſit Chriſti Baptiſmus, qui Joannis, 269. *& ſeq.* Sententia Catholicorum variatur de præſenti quæſtione. 270. Baptiſmus *Joannis* non fuit veri nominis Sacramentum, ib. *& ſeq.* 271. *& ſeq.* An hæc verba *Baptizati ſunt* metaphorico ſenſu intelligi poſſint, ib. *& ſeq.* An in Chriſti ac *Joannis* Baptiſmo idem fuerit ſignum, idem auctor, eademque ſignificatio, 273. *& ſeq.* An Baptiſmus *Joannis peccata* dimitteret, ib. *& ſeq.* An ſi diverſa fuiſſent *Joannis* & Chriſti Baptiſmata; tincti Baptiſmo Joannis iterum tingi debuerint Baptiſmo Chriſti, 274. *& ſeq.*

3. Veterum ac recentiorum opinio de hac quæſtione: Quo intermedio tempore conſtitui debeat Baptiſmi inſtitutionis epocha; 275. *& ſeq.* Chriſtus Baptiſmum ante mortem ſuam inſtituit, 276. *& ſeq.* An ſi Chriſtus ante paſſionem inſtituiſſet Baptiſmum, hunc juſſiſſet ab Apoſtolis conferri; cum *miſit illos prædicare*, 277. *& ſeq.* An ante fuerit præſcripta Baptiſmi forma, quam cum mandatum eſt Apoſtolis ut docerent omnes gentes, ibid. An Baptiſmus vim ſuam habeat ex paſſione Chriſti, 278. An ante Chriſti mortem potuiſſet quis baptizari in morte Chriſti, ib. Quo ſenſu Baptiſmus Chriſti aperit cœlum baptizato, ib. *& ſeq.* Chriſtus nec antequam baptizaretur a *Joanne*, Baptiſmum inſtituit, ib. neque dum ab eo baptizatus eſt, 279. *& ſeq.* neque dum loqueretur cum *Nicodemo*, ib. *& ſeq.* Quid, cum *Chriſtus* baptizatus fuit, tunc concurrerunt omnia ad Baptiſmi inſtitutionem pertinentia, ib. Chriſtus Baptiſmum inſtituit ſub illud tempus quo miſit Apoſtolos ſuos baptizare & prædicare. 280.

4. Lex Baptiſmi ante Chriſti mortem non obligavit, 280. utilis tamen erat Baptiſmi receptio, 281. Neque etiam obligavit Lex Baptiſmi ſtatim a morte Chriſti, ib. ſed tantum poſt ſufficientem ejus promulgationem, ibid. An Lex Baptiſmi promulgata fuerit, cum Chriſtus dixit ad Apoſtolos: *Docete omnes gentes*, &c. ibid.

5. Commenta circa Baptiſmi materiam prodita, 282. *& ſeq.* An poſſit fieri Baptiſmus, ſi forte *aqua* admiſceatur alicui corpori, &c. 287. An valeat Baptiſma collatum in *vino*, *lacte*, *oleo*, *ſaliva*, *ſanguine*, *lacrymis*, *ſudore*, *urina*, *ptiſanna*, *offa*, *juſculo*, aut *cerevisia* bene decoctis; *lixivia* perfecta, *ſucco* ex pomis, pyris cerraſiſque expreſſo, ib. Quare qui domi in neceſſitate baptizant, curare debent ut *aqua* benedicta utantur; & in Baptiſmo ſolemni aqua eſſe debet chriſmate permiſta, 288. An gravis ſit obligatio in Baptiſmo ſolemni aquam chriſmate permiſtam adhibendi, ib. *& ſeq.* Vide *Aqua* naturali. *Liquor*. *Materia* Baptiſmi. *Stephanus* II.

6. Baptiſmus ſolemnis ab Apoſtolorum ævo uſque ſæculum decimum tertium per trinam immerſionem collatus eſt, 289. *& ſeq.* valet tamen collatus ſeu per *aſperſionem*, 290. *& ſeq.* ſeu per infuſionem, ib. *& ſeq.* 291. Ad valorem Baptiſmi non requiſivit Chriſtus niſi *aquam* pro *materia* remota; & *ablutionem* proprie dictam pro materia proxima, 291. An Chriſtus per *immerſionem* baptizaverit, 296. *& ſeq.* An Baptiſmus ut in eo celebretur mors & ſepultura Chriſti; ſine *immerſione* fieri nequeat; nec ſine immerſione trina ut in eo exprimatur SS. Trinitas, 297. *& ſeq.* An invalidum ſit Baptiſma, cum quis una tantum aut altera gutta non defluente aſpergitur, 298. An curandum ſit ut perfundatur una ex præcipuis corporis partibus, maxime vero caput, ib. *& ſeq.* An quiſquis alibi quam in capite baptizatus fuerit, denuo rebaptizandus ſit ſub conditione, ib. An ſit repetendum Baptiſma ſi *infans* in ſecundinis ablutus fuerit; & ſi ſolum in veſtibus, 299 *& ſeq* Utrum valeat Baptiſmus, ſi quis *aqua* e tecto defluenti ſupponatur, 300. Vide *Ablutio*. *Apoſtoli*. *Bonoſiaci*. *Eccleſia*. *Eunomiani*. *Immerſio*. *Infantes*. *Magnus*. *Miniſter* Baptiſmi. *Novatianus*. *Trinitas* (SS.)

7. Baptiſmus in nomine SS. *Trinitatis* bifariam conferri poteſt; 304. Circa hanc quæſtionem Theologorum diviſio, 305. *& ſeq.* Ad valorem Baptiſmi requiritur diſtincta *trium perſonarum* invocatio, ib. *& ſeq.* 306. *& ſeq.* An qui docet valere Baptiſmum, etiam ſi

falſus.

ſolus nominetur Pater, ille ad Baptiſmi validitatem expreſſam *trium perſonarum* invocationem non requirat, 307. *& ſeq.* Multo probabilius eſt nunquam valuiſſe Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum, 309. *& ſeq.* 313. *& ſeq.* valuiſſe tamen cenſerunt viri graves, 310. *& ſeq.* Vide *Baſilius*. (S.) *Stephanus* Papa.

8. An ſicut in Baptiſmo neceſſarium eſt, ut *Trinitas* diſtincte nominetur, ſic & neceſſe ſit ut proferantur iſta verba, *Ego baptizo te*; ſententia veterum quorumdam Theologorum circa hæc dicta verba, 313. *& ſeq.* An probari non poſſit verba hæc, *Ego te baptizo*, a Chriſto præſcripta eſſe, 315. *& ſeq.* imo probari poſſit eadem non debuiſſe præſcribi, 316. *& ſeq.* An per priora quinque Eccleſiæ ſæcula hæc verba in Baptiſmo uſurpata fuerint, ib. Non modo de prædictis verbis ſiluere Patres, ſed & ea ſaltem generaliter reprobavere, ib. *& ſeq.* An fictum ſit ſyſtema illius, qui Baptiſmum, omiſſis verbis, *Baptizo te*, olim valuiſſe vel non, cenſet, 317. *& ſeq.* Melius & tutius cenſent, qui particulam *in* ad validitatem Baptiſmi neceſſariam eſſe credunt, ib. *& ſeq.* Vocula *nomine* ad ſubſtantiam Baptiſmi prorſus neceſſaria eſt: unde non ſtabit Sacramentum ſi quis vel *in nominibus Patris*, &c. vel *in Patre, & Filio*, &c. baptizet, 318. An valeat Baptiſmus, ſi uſitatæ *formæ* terminis termini ſubſtituantur æquivalentes, ib. *& ſeq.* An valeat Baptiſmus collatus in nomine SS. *Trinitatis*, vel in nomine Dei unius & trini, vel in nomine Genitoris, Geniti, & ab utroque ſpirati ſeu procedentis, 319. *& ſeq.* Quid de his formis, *Baptizo te in nomine Patris, in nomine Filii*, &c ib. *In nomine Dei Patris, Dei Filii, Dei Spiritus ſancti*, ib. & ſeq. *Baptizo te cum Patre, & Filio*, &c. 320. An hæc verba, *lavo*, *abluo*, *intingo*, *balneo*, *mergo*, voci *Baptizo*, ſynonyma ſint, ib. An ad valorem Baptiſmi neceſſum ſit ut exprimatur perſona *Miniſtri*, 321. *& ſeq.* Vide *Forma* baptiſmalis 1. 2. *Miniſter* Baptiſmi.

9. Quotuplici modo Baptiſmus adminiſtrari poteſt, 322. An iis ſolis poteſtatem baptizandi conceſſerit Chriſtus, quibus dixit: *Euntes, docete omnes gentes*, &c. 326. An quibus permiſſum non eſt docere in Eccleſia, iis nec permiſſum ſit baptizare, ib. An plus ſit baptizare ſimpliciter, quam cum ſolemnitate, ib. *& ſeq.* An liceat extra Eccleſiam baptizare, ubi nulla urget neceſſitas, 335. *& ſeq.* An poſſit quis ſeipſum baptizare, 337. An plures eumdem ſimul baptizare poſſint, 338. *& ſeq.* Quotuplici modo hoc fieri poteſt, ib. An valeat Baptiſma ſi unus *aquam* infundat, alter pronuntiat *formam*, ib. *& ſeq.* ſi duo *materiam* ſimul & *formam* applicent, ſed ita ut a ſe invicem in baptizando dependere velint, dicendo: *Nos te baptizamus*, 339. *& ſeq.* ſi uterque ſeorſim *materiam formam* applicet, quaſi ſolus, & ab alio dependere nolens, ib. An Baptiſmus hoc ultimo modo datus, eſſet duplex Baptiſma vel unum, ib. *& ſeq.* Quid, ſi unicum admittatur, ſi duplex, ibid. An non deſineret baptizare, qui vellet *formam* ponere, quantumcumque nolit eam habere virtutem omnem, quam habet a Chriſto, ib. Vide *Cæremoniæ* baptiſmales. *Diaconus*. *Epiſcopi*. *Fides*. *Laici*. *Miniſter* Baptiſmi. *Obſtetrix*. *Paſtores*. *Patres*. *Sacerdotes*.

10. An Baptiſmus ſolemnis adminiſtrari poſſit ſine *Patrino*, 340. *& ſeq.* Opiniones variæ circa hanc quæſtionem. An Baptiſma *fidem* in *infantibus* ſupponat, aut ſaltem producat, 346. *& ſeq.* An exigat Chriſti inſtitutio, ut Baptiſma iis ſolum conferatur, qui jam inſtructi fuerint & credentes, 352. *& ſeq.* & ut nemo infidelis baptizetur, ib. An quiſquis regeneratur, congruas ad *gratiam* regenerantem diſpoſitiones afferre debeat, ib. *& ſeq.* An in Baptiſmo ineatur Deum inter & hominem contractus oneroſus, 353. *& ſeq.* An ea circa Baptiſmum ſequenda ſit praxis, quam nos ſuo exemplo docuere & Chriſtus & ſancti pietate ac fama celebres, 354. *& ſeq.* Baptiſmus actualem nullam in *infantibus* ſupponit *fidem*, 356. *& ſeq.* ſed fixam & intrinſece inhærentem cum *gratia* ſanctificante & annexis virtutibus producit, ib. *& ſeq.* An cum Baptiſmus deleat *peccata*, *virtutes* nullas tribuat, 359. *& ſeq.* Vide *Catholicis*. *Infantes* 2. *Patrini*. *Tertullianus*.

11. An liceat baptizare vivum pro mortuo, 361. Subjectum Baptiſmi. 372. Vide *Adulti*. *Amentes*. *Confeſſio*. *Infantes* 3. 4. *Maſſa* carnea. *Matres*. *Monſtra*. *Principes* Chriſtiani. *Sacerdotes*. *Virgo* (B.)

12. A quibus Hæreticis Baptiſmi neceſſitas impugnata fuit, 378. *& ſeq.* Opinio quorumdam Scholaſticorum circa neceſſitatem Baptiſmi, 379. Baptiſmus neque *parvulis*, neque *adultis* neceſſarius eſt neceſſitate medii pro omni caſu, ib. *& ſeq.* Baptiſmus in re *parvulis* omnibus neceſſarius eſt extra caſum martyrii, ib. *& ſeq.* An non magis verba hæc, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. probent Baptiſma *infantibus* neceſſarium eſſe, quam verba iſta, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, &c. probent iiſdem neceſſariam eſſe *Euchariſtiam*, 380. *& ſeq.* Baptiſmus in re vel in voto *adultis* omnibus neceſſarius eſt neceſſitate tum medii, tum præcepti, extra martyrii caſum, 385. *& ſeq.* Aliud eſt Baptiſmum differre ad aliquot menſes, aliud ad plures annos, 388. *& ſeq.* Quo peccato ſit ſuſpectus, qui ſufficienter inſtructus, ſuſceptionem Baptiſmi ad annum integrum differt ſine cauſa, ib. An neceſſarius ſit Baptiſmus, ut alia *Sacramenta* licite & valide recipiantur, 389. *& ſeq.* Quare curandum eſt non baptizatis, ut ocius baptizentur, 403. Vide *Cathecumenus*. *Dionyſius* Alexandrinus (S) *Eccleſia*. *Martyres*. *Martyrium*. *Parentes*.

13. Quid eſt & quare dicitur Baptiſmus

flami-

Digitized by Google

flaminis, 404. Qui negarunt illum flaminis Baptiſmum Baptiſmi aquæ vices gerere poſſe, ib. *& ſeq.* Baptiſmus flaminis ſupplet in *adultis* vices Baptiſmi aquæ, quoad *gratiæ* infuſionem, & remiſſionem culpæ ſufficienter retractatæ, ib. *& ſeq.* An nemo poſſit fieri membrum Chriſti niſi Baptiſmate, 408 & eſſe capax regni Cœlorum ſine Baptiſmate, ib. *& ſeq.* Baptiſmus flaminis non ſupplet vices Baptiſmi aquæ, quoad remiſſionem pœnæ peccatis debitæ, 409. *& ſeq.* Vide *Catechumenus*.

14. Quo ſenſu Baptiſma eſt unum; quot diſtinguuntur Baptiſmata; quare Baptiſmata flaminis & ſanguinis dicuntur tantum Baptiſmata per analogiam, 410. Hæretici qui negarunt unitatem Baptiſmi, ib. Baptiſmus ſemel tantum eidem homini conferri valide poteſt, ib. *& ſeq.* An graviter peccet is qui rebaptizat, aut is qui ſe rebaptizari permittit, etiam in dubio, 411. *& ſeq.* Qui ſunt baptizandi ſub conditione, 412. *& ſeq.* Solutio diſceptationis gravis & praxis quotidianæ, circa hanc quæſtionem: An Baptiſmum quemcumque, eo quod a *patre*, *matre* vel *obſtetrice* collatus ſit, iterare liceat, ib. *& ſeq.* Quare Baptiſmus credi non debeat *feminæ*, ib. *& ſeq.* An Baptiſma ab Hæreticis noſtri temporis collatum iterari poſſit ſub conditione, 414. *& ſeq.*

15. Quot *effectus* tum Novatores tum Catholici aſcribunt Baptiſmo, 414. Baptiſmus, ſecluſo obice, tollit omne *peccatum*; confert *gratiam* qua homo interius renovetur & ſanctificetur, 415. *& ſeq.* Quod ſufficit ut Baptiſmus *peccata* delere dicatur; quo in caſu ſua eſt & multiplex Baptiſmo efficacia, 416. Baptiſmus, ſecluſo obice, pœnam omnem peccatis debitam remittit, ib. Vide *Caremoniæ* Baptiſmales. *Effectus* Baptiſmi. *Fideles*.

16. An redarguenda præſens *Eccleſiæ* praxis, quæ contra priſtinum morem *infantes* quovis tempore baptizari jubet, 420. Quo in loco conferri debet Baptiſmus, *ibid. & ſeq.*

17. An licitum ſit in caſu extremæ neceſſitatis recipere Baptiſmum a malo *Miniſtro*, etiamſi is præciſus ſit, 37. Qui tuiti ſunt invaliditatem Baptiſmi ab *Hæreticis* collati, 41. *& ſeq.* Quo ſenſu Baptiſma, quod inane eſt Religionis ſimulacrum, non valet etiam quoad ſubſtantiam, 50. *& ſeq.* An tam falſus ſit ac mendax Baptiſmus Hæreticorum, quam mendax ſit Gentilium cultus, ib. Quo ſenſu non permittit Eccleſia collationem Baptiſmatis quo quis & remiſſionem peccati conſequatur, & Chriſtum induat, 51. *& ſeq.* An quis poſſit induere Chriſtum vi Baptiſmatis ab Hæretico collati, ibid. *& ſeq.* Vide *Athanaſius* (S.) *Dionyſius* Alexandrinus. *Fides*. *Intentio* 2. *Optatus* (S.) *Rebaptizantes*. *Stephanus* Papa.

18. An non minus valeat Baptiſma præter conferentis *intentionem* collatum, quam valuerit benedictio data Jacob, tametſi præter Iſaac *intentionem* data, 79 *& ſeq.* An ratus haberi poſſit Baptiſmus a mimo collatus, 82. & mimice collatus, 84. An valide baptizet, qui baptizat in templo, ſed neſcit ſe in templo eſſe, 92 *& ſeq.* An quæ Baptiſmum a Calvinianis collatum etiam ſub conditione iterari vetant, ea ſupponant valere Baptiſma publice collatum, ſeu *Miniſtro* adfuerit, ſeu abfuerit *intentio* externa, 100. *& ſeq.* An valeat Baptiſma ab Infidelibus, Judæis, &c. collatum, 103. An ille Baptiſma citra quamcumque mentalem *intentionem* collatum valere cenſeat, qui non curat qua *Miniſter* laboret intentione, 112. An qui ſolo ſupplicii metu Baptiſmum recipit, baptizetur valide, 122. An Baptiſma vel abſolute, vel ſub conditione denuo conferendum ſit, ſi rebus ſerio penſatis dubium ſit an *Miniſter* nequam legitima caruerit *intentione* baptizando, 127. An baptizet quis valide filium Petri, ratus eum eſſe filium Joannis; vel marem ratus eſſe feminam, ib. Quare Baptiſmus in caſu metus gravis non eſt invalidus jure poſitivo, 128 An valeat Baptiſmus collatus a Parocho, qui poſt habitam actualem pueri baptizandi voluntatem, domo egreditur, & ingreditur Eccleſiam ut eumdem baptizet, ſed interim alio vocatus, non redit ad Eccleſiam niſi poſt quatuor aut quinque horas, tuncque ſine novo voluntatis actu infantem baptizat, 130. *& ſeq.* An nulla alia inſit Parocho huic *intentio* quam habitualis, ibid An Baptiſmus in dubio ſub conditione iterandus ſit, 138. *& ſeq.* Vide *Auguſtinus* (S.) *Innocentius* IV. *Nicolaus* I. *Pagani*. *Sacramentum* 6. 16. *Saxones*. *Thomas* (S.)

19. Materia Baptiſmi, 141. 282. *& ſeq.* An Baptiſmus ſimpliciter collatus in nomine SS. Trinitatis valeat, 151. Quare is qui glacie uteretur ad Baptiſmum nihil efficeret, ibid. In quo conſiſtit forma Baptiſmi, 161. An Baptiſmus invito & nolenti collatus, ſit invalidus, 167. An qui antea baptizari voluit, & dum baptizatur actu, contrariam voluntatem non habet, valide baptizetur, 168. An *Cathecumenus* Chriſtianam Religionem nuper amplexus, & necdum edoctus Baptiſmi neceſſitatem, ſenſu interclusus animam agat, poterit baptizari, 170. *& ſeq.* Vide *Mutus*.

20. An Baptiſma receptum ſine ſimulatione & cum aliqua *fide*, valeat, 172. *& ſeq.* An Baptiſmus ſubtuatur & vacuus reddatur defectu *fidei*, ibid. *& ſeq.* Effectus Baptiſmi, 176. Sublata *fictione* reviviſcit Baptiſmus, 177. ac proinde non ſolum fictionis venia, ſed & Baptiſmi effectus, nimirum gratia regenerativa recipitur, 178. *& ſeq* An ficta ejus ſuſceptio ſit opus mortuum, 179. *& ſeq.* An non magis poſſit Baptiſmus delere peccata, quæ ipſum præceſſerunt, quam *fictionem* cum qua receptus eſt, 180. *& ſeq.* An licet, cum aufertur *fictio*, Baptiſmus non exiſtat in ſe, maneat tamen in virtute ſua. 182. Si reviviſcat Baptiſmus cum aufertur *fictio* per *Pœnitentiæ* Sacramentum, pluſne recipiet gratiæ, qui Baptiſmum ficte ſuſcepit, quam qui recepit non ficte, ib. *& ſeq.*

& ſeq. An baptiſmus reviviſcens conferat effectum omnem, quem conferre ſolet, cum pie recipitur, 183. Vide *Carbonaria* Leodienſis. *Fictio*. *Peccatum*. *Verba*.

21. Ut reviviſcat baptiſmus cum *fictione* poſitiva receptus, requiritur vel *contritio* perfecta extra Sacramentum *Pœnitentia*, vel attritio cum eodem Sacramento, 184. & ſeq. Ut reviviſcat baptiſmus cum *fictione* negativa ſuſceptus, ſufficit *attritio*, ib. & ſeq. An tam baptiſmus per *attritionem* puram reviviſcens, poterit *fictionis* peccatum remittere indirecte, quam *Pœnitentia* indirecte remittere poſſit peccatum oblitum, 185. An Baptiſmus reviviſcens remittat attrito peccatum *fictionis*, ſi illud non occurrat memoriæ ipſius, 186.

22. An diſpoſitio ſubſequens poſſit eſſe diſpoſitio ad reviviſcentiam baptiſmi, 186. & ſeq. *Adultus* quem baptiſmo initiare licet, 195 An baptiſmus juſtificet tantum ratione conſcientiæ bonæ, ſeu fidei interioris, 200. & ſeq. An baptiſmus *fidem* juſtitiamque prius receptam ſupponat, 201. An baptiſmus & alia *Sacramenta* nonniſi per *fidem* mundent, & abſque efficientia hominis, ib. & ſeq. An, ſi defectus diſpoſitionum impediat regenerationem, efficacior erit improbitas adulti baptizati, quam Spiritus regenerantis gratia, 202. An *Adultus*, qui cum aliquo ad peccatum veniale affectu baptizatur, plus adhuc recipiat gratiæ, quam recipiat parvulus, 208.

23. An baptiſmus operetur ex opere operantis: 211. & ſeq. aut ex opere operato, ib. baptiſmus, *Confirmatio* & *Ordo characterem* imprimunt, non alia *Sacramenta*, 247. & ſeq.

Baſilius (S.) Ejus ſcopus docendo *Gentiles* in *Trinitatis* nomine, *Judæos* autem in nomine *Chriſti* eſſe *baptizatos*, 313.

Beaumanoir de Lavardin (Philibertus Emmanuel) jam moriturus, ejus confeſſio, 101. Quid dicendum ſit de ejus ordinationibus, 103. & ſeq.

Benedicens ſacramentale. Quid exprimit, 264.

Benedictionum mos. Ejus antiquitas, ib. & ſeq

Benignitas Dei. An ad Dei benignitatem ſpectet, ut qui aliena labe inquinantur ſine medio, aliena *fide* ſine medio juſtificentur, 384.

Bernardus (S.) Quo ſenſu ablutionem pedum repoſuit inter Sacramenta, 19. & ſeq.

Bonoſiaci. An eorum *baptiſma* fuerit reprobatum, 293. & ſeq. 295.

C

CÆcus, vide *Mutus*.

Cæremoniæ ſeu *Ritus*. Earum definitio, 255. & diviſio, 256. & ſeq. Potuit & poteſt *Eccleſia* ſacros ad Dei cultum ritus inſtituere, ib. & ſeq. Ritus ab *Eccleſia* inſtituti, pie & laudabiliter inſtituti fuere, 258. & ſeq. Ipſa antiquitate ſunt venerandi, ib. & ſeq. Quid de benedictione *aquæ*, 259. de *exorciſmis*, 259. & ſeq. de *Proceſſionibus*, & *Luminarium* uſu, ib. de *thuris* adolendi conſuetudine, & *veſtibus* ſacris, ib. Cæremoniæ ad divini *cultus* decentiam ſplendoremque conferunt; 260. & ſeq. *rudium* intelligentiam adjuvant, movent *pietatem*, & animum per viſibilia erigunt ad inviſibilia, ib. *Catholicos* diſtinguunt ab *Hæreticis*, iiſque ex ſingulari Dei providentia ſuam exprobrant novitatem, 261. Peccat mortaliter qui eſſentiales vel integrantes ritus omittit; qui vero ſolum accidentales aliquos, venialiter tantum, niſi adſit ſcandalum aut contemptus, 263. & ſeq.

Cæremoniæ baptiſmales. An ſi *infans* domi *tingatur*, adhibendæ ſint cæremoniæ baptiſmales, 336. Quot ſunt, 418. Cæremoniæ quæ præcedunt *baptiſmum*, 418. & ſeq quæ comitantur, 419. & ſeq. quæ ſubſequuntur, ibid. & ſeq. quæ accedebant apud antiquos, 420. & ſeq. An ſuppleri debeant, quæ in *baptiſmo* prætermiſſæ fuerint, ſive ex contemptu, ſive in caſu neceſſitatis, 420. & ſeq.

Carbonaria Leodienſis. Quare ſuſpecta non eſt formula qua hæc Carbonaria uſa eſt ad baptizandum, 154.

Catechumenus. Vis hujus nominis, 375. Qui erant Cathecumeni, ib. Catechumenorum triplex erat claſſis: prima, 376. ſecunda & tertia, ib. An uſitata primis Eccleſiæ temporibus inſtruendorum Catechumenorum forma hodiedum ſit aut eſſe debeat in uſu, ib. & ſeq. An graviter fuerint arguendi Catechumeni, qui rati ſe ad *baptiſmi* ſuſceptionem necdum ſatis eſſe diſpoſitos, ad eam ſe annis pluribus diſponebant, 387. An Catechumenus ſimplex, *Euchariſtiam* ore ſumere potuiſſet, 390. & ſeq. An Catechumenus ſine Baptiſmo remiſſionem non potuerit accipere peccatorum, 407. & ſeq. Quid de Catechumenis de quibus S. *Auguſtinus* hæc dicit: *Non illi* farcina iniquitatis ſuæ *dimittitur*, *niſi venerit ad* Baptiſmum, ib. & ſeq. An ſanctificatio Catechumeni, ſi non fuerit *baptizatus*, ei valeat ad intrandum in Regnum Cœlorum, 408. & ſeq. Vide *Baptiſmus* 1. *Eccleſia*. *Oleum* Catechumenorum.

Catholici. Quo ſenſu ſoli Catholicorum ſocietati conceſſa ſunt Sacramenta, 52. An in majori rituum ſuorum parte impios Ethnicorum ritus renovent, 262. An Catholicus in Hæreticorum *Baptiſmo* vices *Patrini* gerere poſſit, 342. Vide *Cæremoniæ*.

Cauſa. Quotuplex apud veteres Theologos, 20. Quibus modis cauſa operari poteſt, 215. Quando operatur phyſice, aut moraliter, ib. Quæ eſt cauſa primaria, aut inſtrumentalis, ibid. In quo cauſa moralis & finalis conveniunt, ibid. & ſeq.

Celebrans. An, cum plures hoſtiæ ſint conſecrandæ, imprudenter ſe gerat, ſi ad unam hoſtiam limitet *intentionem* ſuam, 128.

Cenſura, vide *Ordinatio*. *Sacramentum* 12.

Cereviſia bene decocta, vide *Baptiſmus* 5.

Certitudo. Quæ in Sacramentis ſufficit, 120. & ſeq.

Digitized by Google

Character in genere. 1. Quid eſt, 242. Datur character ſacramentalis, ibid. *& ſeq.* An aſſignari poſſit epocha opinionis, quæ characterem aſtruit. 244. *& ſeq.* An contendatur ideo characterem per aliqua Sacramenta imprimi quia hæc Sacramenta iterari non poſſunt. 246. *& ſeq.* An character nullius eſſe poſſit utilitatis, 247. *& ſeq.* Quibus cauſis imprimitur character, ibid. An character a dæmone percipi poſſit, ibid. *& ſeq.* Vide *Baptiſmus 7. Chriſtus.*

2. Circa characteris eſſentiam diviſio Theologorum, 250 *& ſeq.* Character non eſt mera rationis relatio, ſed denominatio extrinſeca. 251. *& ſeq.* Character eſt ens reale, cui tamen annexa eſt multiplex relatio; ibid. *& ſeq.* An ſit qualitas, 253. *& ſeq.* An intendi poſſit & remitti, ibid. Vide *Auguſtinus* (S.) *Durandus.*

3. Quodnam ſit ejus ſubjectum, ibid. *& ſeq.* 254. An diſponat ad *gratiam*; & in voluntate reſideat, ibid. An ſit prorſus indelebilis, ibid. *& ſeq.* An in damnatis maneat, 255. An character ſit indiviſibilis, ibid. An ſit veluti titulus moralis ad auxilia quæ conferri debent iis qui certa Sacramenta recepere, ibid.

Character ſacramentalis & *Corpus* Chriſti in Euchariſtia. An ſint Sacramenta, 6. *& ſeq.*

Charitas. An perfecta charitas ſine voto *Baptiſmi* juſtificare poſſit, 409. Vide *Martyrium.*

Chriſma (ſanctum) vide *Oleum* Catechumenorum.

Chriſtiani, vide *Infantes* 5.

Chriſtus omnia Legis novæ *Sacramenta* inſtituit immediate, 21. *& ſeq.* Quid, Chriſtus & *Apoſtoli* tradidere *Sacramenta*, 22. Quo ſenſu dicitur Chriſtus miſiſſe Apoſtolos, ſicut eum miſerat Pater, ibid. An Chriſtus poſſit dici Inſtitutor ſolius Euchariſtiæ, 22. An de fide ſit Chriſtum immediate inſtituiſſe *Sacramenta*, 23. *& ſeq.* An Chriſtus *Sacramenta* inſtituerit non ſolùm ut Deus, ſed & ut homo, 23. An Chriſtus *charactere* donatus fuerit, 247. Utrum tam vox iſta, *in nomine Chriſti* ſignificet *formam* ſolà Chriſti invocatione perficiendam, quam voces *in nomine Patris*, &c. formam ſignificent in nomine trium perſonarum perficiendam, 311 Vide *Baptiſmus* 3. 7. *Baſilius* (S.) *Poteſtas. Stephanus* Papa.

Circumciſio carnea. Ejus ſcopus, 5. Certum non eſt Circumciſionem inſtitutam fuiſſe in remiſſionem *peccati* originalis, 236. *& ſeq.* Abſurda quæ ſequuntur ex opinione quæ Circumciſionem in remedium originalis *peccati* inſtitutam docet, 238. *& ſeq.* An Geneſ. 17 v. 14. præcipiatur ut maſculus circumcidatur octavo die, 239. *& ſeq.* Quod eſt pactum quod violabant qui non circumcidebantur, ibid. Quod incommodum cuipiam habere videbitur ratio eorum qui, ut anteriores Patres cum *Auguſtino* concilient, fatentur Circumciſionem, nullam ex primæva ſua inſtitutione habuiſſe vim juſtificandi, &c. 243. *& ſeq.* An admiſſa Auguſtini ſententia, Circumciſio labem originalem deleverit ex opere operato, ibid. *& ſeq.* Confutatio ſolutionis Theologorum, qui remedium naturæ & Circumciſionem nolint fuiſſe veras *gratiæ* cauſas, ſed tantum conditiones ſine quibus non conferebatur eadem gratia, 241. *& ſeq.* Vide *Sacramentum* 16.

Clerici. An Clerici etiam *ſæculares* qui vel ſacris *Ordinibus* initiati ſunt, vel *Beneficiarii*, ab officio Patrini excludantur, 342.

Clerici minores. An functiones ſuas male obeundo, lethalis culpæ arguantur, 35. Vide *Diaconus.*

Commemorare. Quid ſignificat vox commemorare in *Auguſtini* textu; quid ſit, juxta Eccleſiæ ſtylum, commemorare Sanctos, 66.

Communio. Quo ſenſu nullum eſt gravius crimen crimine indignæ Communionis, 194.

Competentes Catechumeni. Qui erant, 375. *& ſeq.*

Compoſitum. An illud ſit intrinſecum alicui compoſito, quo ablato, & manentibus ceteris, non manet tale compoſitum, 140. *& ſeq.*

Concilium. An aliud ſit commemorare Concilium, aliud ei obtemperare, 66.

Concilium tranſmarinum, cui, ominante Auguſtino, ceſſiſſet *Cyprianus*, eſt juxta eumdem Auguſtinum, ipſum Romani Pontificis Concilium, in quo res fidei agitari & definiri conſueverant, 64. *& ſeq.* Certum eſt Romanam Synodum tranſmarini Concilii ſeu Judicii nomine in Africa indicari conſueviſſe, ibid. *& ſeq.*

Concio. An ad Sacramenti ſubſtantiam & ad legitimam ejus celebrationem requiratur, 159. Nulla in *verbis* Sacramentorum requiritur concio, 160. *& ſeq.* Vide *Sacramentum* 11.

Concio ſacra. Quid de iis ſtatuendum eſt qui in peccato mortali ſacram concionem habent, 42. *& ſeq.*

Concubinarius. An præſumi poſſit concubinarius, qui ad *Euchariſtiam* accedit, a peccato tandem reſipuiſſe, 189.

Concupiſcentia. Quo ſenſu eſt peccatum, 416.

Confeſſio. An Synodi præceperint Sacramentis confeſſionem præmittere, 175. An ad *Baptiſmum* confeſſio & *ſatisfactio* prærequiri debeant, 375. *& ſeq.* Vide *Paulus* V. *Sacramentum* 13. *Tridentina* Synodus.

Confeſſus, Sacramentale. Quid deſignat, 264.

Confirmationis Sacramentum. An ſublata *fictione* reviviſcat, 178. Qui hoc Sacramento digni habentur, 195. Vide *Baptiſmus* 22. *Peccatum.*

Conſecratio. Quare verba conſecrationis dicuntur ſacramentalia; & ſunt cauſa efficiens reſpectu *Euchariſtiæ*, non autem cauſa formalis, 100. An verba conſecrationis reddant *Euchariſtiæ* Sacramentum ſenſibile, ibid. *& ſeq.* An valeat conſecratio, ſi *Miniſter* erret circa termini ſacramentalis ſignificationem, 155.

Con-

Digitized by Google

Conſecratio aquæ cum chriſmate. Quomodo, quando, & quare fit, 418. *& ſeq.*

Contractus. Qui contractus, eſt materia Matrimonii, 150.

Contractus a Notatio diſſentiente exceptus, an valeat, 118.

Contractus clandeſtinus, vide *Matrimonium* novæ Legis, &c.

Contritio. An ſtatim ut ponitur perfecte juſtificet, 180. *& ſeq.* Quæ ſpectari poſſunt in contritione prout eſt pars Sacramenti, 21 . An contritio de ſe ſit meritoria, 215. *& ſeq.* Vido *Adulti*. *Baptiſmus*. 21.

Cornelius Papa, vide *Novatianus*.

Corpus Chriſti in Euchariſtia, vide *Character* ſacramentalis.

Corrupsio dictionis. Quare multo plus nocet ſi fiat in principio, quam in fine, 157. & longe magis ſuſpecta eſt ea quæ fit de induſtria, quam quæ ex inſcitia, lapſuve vel impedimento linguæ, ibid.

Courayer (Petrus F. le) refellitur circa characteris eſſentiam, 250. *& ſeq.*

Creditor, vide *Miniſter* Sacramenti.

Crux. Quando prædicatur verbo, aut opere & facto, 162.

Cultus Eccleſiæ Catholicæ. An redoleat mundanam pompam, 261.

Cultus divinus, vide *Ceremonia*.

Cyprianus (S.) Tractatus de ablutione pedum ei male affingitur, 18. Ejus ſententia circa Baptiſmum ab Hæreticis collatum, 41. Ejus probationes neque caſſæ & nullius momenti erant, ibid. *& ſeq.* An ejus verba *Stephanum* Papam feriant, 42. (*). Fuit aliquid quod in Cypriano purgari mereretur, 42. Conſuetudo cui innitebatur Cyprianus nec erat antiquior, 45. *& ſeq.* nec ejus praxis longe minus univerſalis fuit quam Stephani, ibid. *& ſeq.* Cyprianus ejuſque ſequaces Epiſcopi natam de Hæreticorum *Baptiſmo* controverſiam non ad fidem ſed ad diſciplinam revocaſſe videntur, 60 *& ſeq.* An oppoſitam ſua *Stephani* opinionem traduxerit in errorem revelationi contrarium, 62. *& ſeq.* Pie præſumi poteſt, Cyprianum ante mortem reſipuiſſe, 72. *& ſeq.* ſed ſiſtendum intra puræ præſumptionis fines, 73. An permiſerit ut denuo *baptizentur* ii qui per infuſionem baptizati fuerant, 294. 296. An cenſuerit *Martyrium* non ſufficere ad ſalutem, 396. *& ſeq.* Vide *Auguſtinus* (S.) *Concilium* tranſmarinum. *Magnus*. *Rebaptizantes*. *Stephanus* Papa.

D

DÆmones nuſquam in Chriſti miniſtros conſecrati ſunt, 25. An dæmon in forma hominis apparens baptizare poſſit, 95. *& ſeq.*

Dans, Sacramentale. Quid denotat, 264.

Decreta. An Decreta Inquiſitionis Romanæ, licet non valeant in Galliis, ſeu in eo quod pertinet ad cenſuras, &c. futilia haberi poſſint in iis quæ ad fidem attinet, cum a Romano Pontifice approbata ſunt, 93.

Deus. An ſingula *Sacramenta* per ſeipſum inſtituerit, 21. *& ſeq.* Solus Deus poteſt *gratiam* largiri, 24. An Deus ad imperium creaturæ *gratiam* largiri teneretur, ibid. Quomodo Deus vult omnes homines ſalvos fieri, 361. *& ſeq.*

Diabolus. An habeat ſua Sacramenta, 165. An ſigna magica diaboli Deum moraliter moveant, 226. *& ſeq.* Vide *Signa* Dei.

Diaconus & *Subdiaconus*. Quare novi graviſque peccati hi ſunt conſcii, qui Ordinum ſuorum functiones in ſtatu peccati exercent, 34. *& ſeq.* Diaconus eſt ſolemnis *Baptiſmi Miniſter*, ſed extraordinarius, 333. *& ſeq.* 334. Quomodo a Patribus Diaconi cum *Presbyteris* comparantur, 333. An ſint de hierarchia, 334. Diſcrimen Diaconos inter & inferiores *Clericos*, ibid. Quare graviter peccat Diaconus, qui extra caſum neceſſitatis, nec ab *Epiſcopo* vel *Parocho* juſtus, ſolemniter *Baptiſmum* confert, ibid. *& ſeq.*

Dimiſſoria, vide *Ordinatio*.

Dionyſius Alexand. (S.) eum e numero rebaptizantium receſſiſſe ſuadent non pauca, 48. *& ſeq.* An neſcierit non valere Baptiſmum peregrina forma collatum, 49. An crediderit *Sacramenta* valide recipi a non *baptizato*, 390. *& ſeq.*

Dioſcorus. Quid dicendum de ejus Baptiſmo, 82. *& ſeq.*

Dolor de peccatis actualibus, vide *Adulti*.

Dubium. Quare illicitum eſt dubitare de pluribus, quæ ancipitem habuere Auguſtinum, 84. Quotuplex dubium. 411.

Durandus. An ejus opinio circa *characteris* eſſentiam, ut facilior & clarior admittenda ſit, 251. *& ſeq.*

E

E*Brioſus*. An poſſit rite baptizare. 80.

Eccleſia. An nihil aliud faciat in Sacramentis quam ritum exteriorem, 99. *& ſeq.* Nihil poteſt Eccleſia in ſubſtantiam Sacramentorum, 148. An Eccleſia de facto novam *materiam* materiæ a Chriſto inſtitutæ ſubſtituerit in *Ordinatione* & *Matrim.* 149. *& ſeq.* An tam poſſit Eccleſia certis ſignis alligare Chriſti merita ad delendas culpas, quam poſſit ea alligare *indulgentiis* ad condonationem pœnarum, 266. *& ſeq.* Ratum habuit prioris purioriſque ævi Eccleſia *Baptiſmum* per *ablutionem* & *infuſionem* collatum, 291. *& ſeq.* An primæva Eccleſia agnoverit *Baptiſmi* neceſſitatem, 386. *& ſeq.* An prioribus Eccleſiæ ſæculis Eccleſia communicaverit per ſacriſicia & preces *Catechumenis* ſine *Baptiſmo*, ſeu pœnitentibus ſine reconciliatione defunctis, 406. Vide *Baptiſmus* 16. *Caremonia*. *Immerſio*. *Intentio* 2. *Juſtificatio*. *Ritus*. *Sacramentum* 9.

Eccleſia Græca. An aſſenſa fuerit Latinæ circa fidem ſeptem Sacramentorum, 15.

Eccleſia Romana, vide *Græci*.

Edens ſacramentale. Quid indicat, 264.

Effectus Baptiſmi. An æqualis ſit in omnibus baptizatis, 417. Vide *Baptiſmus* 15.

Epiſcopi. Quos tenentur ad *Ordines* admittere vel non, 196. Epiſcopus eſt ordinarius *Baptiſmi Miniſter*, 331. *& ſeq.* An habeant Juriſdictionem in *baptizandum*, 332. An diſpenſare poſſint ut plures quam duo infantem ſuſcipiant, 343. Vide *Diaconus*. *Ordinatio*. *Sacerdotes*.

Eraſmus. Ejus opinio de Baptiſmo infantium refellitur, 353.

Eſca & *Potus*. An ſpiritalis eſca & ſpiritalis potus a Criſto profluens, nihil aliud eſſe potuerit quam *gratia* ſanctificans, 232. *& ſeq.* Quid, ex Apoſtolo, *Judæi* eſcam & potum ſpiritalem loco Sacramentorum habebant, 233. *& ſeq.* Quid, ex Auguſtino, *Idem in myſterio Judæorum* fuit *cibus & potus*, *qui noſter*, ibid. *& ſeq.*

Euchariſtia & *Ordines*. Quomodo pertinet ad Chriſtum is, qui lethali infectus tabe ea Sacramenta recipit, 5. An Euchariſtia a peccatore percepta ſit verum Sacramentum, 7. *& ſeq.* An futurum fuiſſet ut in ſtatu innocentiæ inſtitueretur Euchariſtia & *Ordo* ſacer, 9 An Euchariſtia poſſit ab *Hæretico* recipi, 37. Quare *materia* & *forma* dici non poſſunt partes Euchariſtiæ componentes, 140. Quare is, qui vino in uvis deliteſcente uteretur ad Euchariſtiam, nihil efficeret, 151. Quo ſenſu Euchariſtia vocatur panis Angelorum, 155. Quare ad validam Euchariſtiæ receptionem nullo opus eſt interiori conſenſu, 166. An confiteri debeat, qui reus lethalis culpæ accedere ad Euchariſtiam debet, 173. *& ſeq.* An ſublata *fictione* reviviſcat, 179. An concedi poſſit Euchariſtia ei qui certo ſcitur vel eam conculcaturus pede, vel ipſa ad magicas artes uſurus, 194. An qui Euchariſtiam in loco ſordido reponeret, eſſet a gravi noxa immunis, 195. Qui bonus præſumitur ad recipiendam *Euchariſtiam*, 196. An qui ſe invincibiliter credens *baptizatum*, juſtificatus ſit per *contritionem* & capax ſit Euchariſtiæ. 390. Vide *Angeli*. *Baptiſmus* 12. *Catechumenus*. *Conſecratio*. *Infantes* 2. *Sacramentum* 2. 12. *Tridentina* Synodus.

Eugenius IV. Quo ſenſu dixit *Sacramenta antiquæ Legis non* cauſare *gratiam*, &c. 7.

Eulogia ſeu *Panis* benedictus. Ejus antiquitas, 265. *& ſeq.*

Eunomiani. Quare *rebaptizabantur*, 294. 293. *& ſeq.*

Excommunicatio. Non eadem ſemper fuit apud Antiquos ejus vis & extenſio quæ nunc eſt, 59. *& ſeq.*

Excommunicatus, vide *Ordinatio*.

Exorciſmi, vide *Cæremonia*.

Exorciſmus cum trina in faciem *infantis* exſufflatione, &c. quare fit, 419. *& ſeq.* An exorciſmi *Baptiſmo* ſupervenientes falſum ſupponant, 422. *& ſeq.* An in *Baptiſmo* exorcizetur Spiritus ſanctus, 424. *& ſeq.*

Extrema Unctio. An ſublata fictione reviviſcat, 178. *& ſeq.* Quid in hoc Sacramento ac Sacramento *Pænitentia* pro re ſimul & Sacramento aſſignari poſſit, 249. *& ſeq.* Vide *Sacerdotes Sacramentum* 12.

F

Femina, vide *Baptiſmus* 14.

Fera, vide *Monſtra*.

Fictio. 1. Quotuplex, 176. An fictio præparationis ſolius impediat ne *Sacramenta*, quæ characterem imprimunt, valide recipiantur, ib. *& ſeq.* An ea fictio impediat omnes *Baptiſmi* effectus, ib. An ſublata fictione renaſcantur ii effectus, quos impediverat fictio; utrum ſi in *Baptiſmo* reviviſcant, reviviſcant pariter in aliis *Sacramentis*, 177. *& ſeq.* An fictio, quæ ut plurimum eſt voluntas *Baptiſmi* indigne ſuſcipiendi, natura prior ſit ipſa ſuſceptione Baptiſmi, quam voluntas illa imperat, 181. *& ſeq.* An in fictio conſiſteret in adhæſione peccatis omnibus quæ quis ante *Baptiſmum* commiſit, omnia hæc peccata, prout fictionis objectum, clavibus Eccleſiæ ſubjicienda forent, ibid. An cum fictio per converſionem tollitur, jam nihil ſit *Baptiſmus*, 182. *& ſeq.* Vide *Baptiſmus*.
2. Quando fictio eſt vel negativa, vel poſitiva, vel privativa, 183. An fictio poſitiva ſit crimen poſt *Baptiſma* perpetratum, 185. An tollere fictionem, ſit tollere fictionem, ſit tollere peccatum, 186. *& ſeq.*

Fideles. Quare Deus affligit fideles *baptizatos*, 400.

Fides. Quo ſenſu Eccleſiæ Doctores intellexerint fidem, cum dixerunt parvulos, in lege naturæ, ſola parentum fide, & independenter a quocumque viſibili ſigno juſtificatos fuiſſe, 12. *& ſeq.* Quod eſt diſcrimen fidem inter & diſciplinam, 60. An origo fidei & *ſpei* ſalutis æternæ penderet ex quæſtione de valore *Baptiſmatis* hæreticorum, 63. Auguſtini tempore pene omnia fidei negotia ad Apoſtolicam Sedem delata, & in Concilio Epiſcoporum Italiæ dijudicata erant, 64. An in Eccleſia nemini deficiat fides, 111. *& ſeq.* & extra Eccleſiam nulli competat, ib. An fides *Trinitatis* ad validam *Sacramenti* receptionem neceſſaria ſit, 171. An homo per auxilia conſueta fidem confiteri poſſit, 204. *& ſeq.* Utrum propoſitio quæ *Baptiſmi* a Paganis dati validitatem aſtruit, præciſæ ſumpta ſit de fide, 328. An in *parvulis* ſit habitus fidei, 359. *& ſeq.* An fides & *gratia*, quæ ſupponuntur a *parvulis* in *Baptiſmo* recipi, ad aliquid inſerviant, 360. An fides parentum ſatis fuerit ad ſalutem *infantibus* fidelium in Lege veteri, 383. An fides minorum habeat in

nova Lege efficaciam, quam habuerit in veteri, ib. Longa diſparitas inter Adæ peccatum, & parentum noſtrorum fidem, 385. Vide *Adulti*. *Baptiſmus* 1. 6. 10 *Benignitas*. *Infantes* 4. 5. *Sacramentum*: 3. 16. 19.
Fides Eccleſiæ. Ex quo repeti poteſt, 18.
Fieri. An fruſtra fiat per plura, quod poteſt fieri per pauciora, 200.
Filii, vide *Infantes*.
Firmilianus & *Dionyſius* Alexandriæ Epiſcopus, propugnant rebaptizationem, 41. & ſeq. 42. An Firmilianus errorem ſuum abjecerit, ætate Dionyſii Alexandrini, 73.
Forma Sacramenti. 1. Forma Sacramentorum non determinata fuit materialiter; ſed ſolum formaliter, 146.
2. An forma Sacramenti mutetur 1. verbi alicujus ſubtractione; & hæc ſubtractio Sacramenti perimat, 152. & ſeq. 2. additione extranei verbi unius vel multiplicis, & tunc valeat Sacramentum, ib. & ſeq. 3. per variationem vocum, 155. & ſeq. 4. tranſpoſitione verborum, quæ cum ſenſum aufert, Sacramentum tollit, alias non, 156. 5. per corruptionem terminorum ex quibus ea fieri debet, 157. & ſeq. 6. per interruptionem, qua tollatur continuitas actus, & intercipiatur *intentio Miniſtri*, ib. & ſeq. An forma Sacramenti perimatur additione accidentali, 153. & ſeq. An qui aliquid quomodocumque mutat in forma Sacramentorum, ex intentione vel errorem vel ritum novum introducendi, conficiat Sacramentum, ib. & ſeq. Quædam exempla accidentalis mutationis formæ, quæ a gravi peccato non vacet, 158. An forma Sacramentorum ſit conſecratoria, 159 & ſeq. Vide *Materia* Sacramenti. *Matrimonium*. *Sacramentum* 7. 8. 9. 10. 12.
Forma baptiſmalis. 1. Errores proditi circa hanc formam, 303 & ſeq. An in Baptiſmi forma exprimi debeat actio Miniſtri, 313. & ſeq. Ad validitatem formæ baptiſmalis haud neceſſarium eſt ut vel pronuntietur pronomen *Ego*; vel verbum *Baptizo* active proferatur, 314. Hæc verba *Baptizo te*, aut alia æquivalentia, citra periculum nullitatis in forma Baptiſmi omitti non poſſunt, ib. & ſeq. Facile fieri poteſt ut habeantur quaſi formæ communi æquivalentes termini, qui eidem revera non equivaleant, 318. & ſeq. Vide *Baptiſmus* 7. 8. *Chriſtus*.
2. Græcorum forma non deprecativa eſt, aut imperativa. *Baptizetur*, ſed indicativa, *Baptizatur ſervus*, &c. 320. & ſeq. Perantiqua eſt, quæ a *Græcis* adhibetur *Baptiſmi* formula, 320. An forma hac ab initio uſi ſint Græci, 321. Valet citata *Baptiſmi* forma, ibid. An Latina forma Græcæ ſit præferenda, 322. Vide *Baptiſmus* 9. *Græci*. *Virgo* (B.)
Fuſius S. Ægidii aut S. Bartholomæi Paſtor, ejus publica confeſſio, 101. 103.

G

Gaufredi (Ludovicus) Extremæ vitæ metis admotus, ejus confeſſio, 103. Quid dicendum ſit de eo quod ſpectat ad ejus facta, 102. & ſeq.
Geneſius (S) Quid dicendum de ejus Baptiſmo, 82. & ſeq.
Gentiles vide *Baſilius* (S.)
Gladius. Quo ſenſu non poteſt reddi gladius ei qui ſeſe interimere vult, 194.
Græci. An eorum forma baptizandi ſit valida, 154. Male a quibuſdam Græcis culpatur *Eccleſia* Romana, quod jam non tingat *mergendo*; prout male culpatur, quod conſecret in azymo *pane*, 297. Quorſum Græci in ea qua utuntur *forma* perſonam Miniſtri non exprimunt, 321. & ſeq. Vide *Forma* baptiſmalis 2. *Miniſter* Baptiſmi 1.
Gratia. 1. Quæ eſt gratia aut ſupernaturalis, aut actualis, aut habitualis; gratia prima, 197. gratia ſecunda, ib. An ſi gratia ſacramentalis ſit idem habitus cum gratia ſanctificante, gratia unius *Sacramenti* differat a gratia alterius, 204. & ſeq. An unus idemque gratiæ ſanctificantis habitus ad diverſos effectus ſufficere poſſit, ib. An homo indigeat actualibus gratiis tempore & loco debitis, ib. & ſeq. An gratiæ quæ intuitu *Sacramenti* reciperentur, eſſent efficaces, 205. An gratia nulla homini debita eſſe poſſit, ib. An gratia quæ datur, prout vult Spiritus ſanctus, detur æqualiter, 207. Vide *Deus*. *Sacramentum* 16. 17.
2. Quando gratia dicitur produci ex opere operantis, aut ex opere operato, 209. An major gratia majori reſpondeat diſpoſitioni tanquam cauſæ efficienti vel meritoriæ, 214. An gratia diſpoſitionibus correſpondens ſit gratia ſacramentalis, ib. & ſeq. Vide *Actio*. *Actus*. *Baptiſmus* 10. *Character* 3. *Circumciſio*. *Eſca*. *Fides*. *Infantes* 2. *Opinio*. *Peccatum* originale. *Pœnitentia* Sacramentum. *Sacramenta* Moſaicæ Legis. *Sacramentalia*. *Sacramentum* 18. 19.
3. An ubi abundavit delictum, ſuperabundaverit gratia, 382. & ſeq. An ut quis ſit capax gratiæ ſacramentalis, ſatis ſit ut ſit vere regeneratus, 390. Vide *Baptiſmus* 3. 15.

H

Hæreticus. An Hæreticus Eccleſiæ munia exercere non poſſit, etiam eo quod extra Eccleſiam ſit, 51. & ſeq. Quotuplex fuit & eſt hæreticorum error circa effectus *Sacramentorum*, 197. & ſeq. An Heretici, *Infideles* & *Apoſtatæ* patrini vices gerere poſſint, 341. & ſeq. Vide *Baptiſmus* 14. *Cæremonia*. *Euchariſtia*. *Sacramentum* 2.
Hebræus juvenis. Quid dicendum ſit de ejus Baptiſmo, 84. & ſeq.
Hermenegildus. Quid dicendum de facto Hermenegildi qui ab Heretico recepit Communionem, 37. & ſeq.

Homines. Quotuplex diſtinguatur hominum ſtatus, 8.

Hoſtia. An valide conſecrentur hoſtiæ, quas quis conſecraturus in pixide ſuper corporale repoſuerit; etſi earum oblitus, ne quidem pixidem aperuerit in decurſu actionis, 134. An non vitandæ impietatis cauſa poſſit impio tradi hoſtia minime conſecrata, 195. & *ſeq.*

Humanitas Chriſti. An per ſuas actiones miracula phyſice produceret, 223.

I

IDololatria, vide *Opinio*.

Ignis. An ignis infernus vere & phyſice torqueat ſubſtantias pure ſpirituales, 224. & *ſeq.*

Immerſio. An immerſionis & quidem trinæ ritus, primis *Eccleſiæ* temporibus neceſſarius fuerit, 292. & *ſeq.* An qui immerſionis ritum neglexere, invalidum dediſſe *Baptiſma* crediti ſint, 293. & *ſeq.* An ſit neceſſaria neceſſitate præcepti divini, 296. & *ſeq.* 297. & *ſeq.* An præcepta fuerit a Chriſto, ibid. & *ſeq.* An neceſſum ſit ut homo totus mergatur in aqua, 297. An tutius ſit *baptizare* per modum immerſionis, 298. & *ſeq.* An immerſio ſine emerſione reputari poſſit *ablutio*, 302. & *ſeq.* Vide *Baptiſmus* 6. *Græci*.

Impii. An actio impii, eo ipſo quo talis eſt, deſinat eſſe actio Chriſti, 28. & *ſeq.*

Impoſitio linteoli, Quare ſit, 419.

Impoſitio manuum. An divinæ ſit inſtitutionis, an humanæ, 148. & *ſeq.*

Impoſitio & *Extenſio* manus & ſuper caput baptizandi. Quid ſignificet, 419.

Impoſitio nominis baptizandi. Quæ eſſe debet, & quare ſit, 418.

Indulgentia, vide *Eccleſia*,

Infantes. 1. An infantes qui poſt receptum *Baptiſmum* moriuntur, Angelorum lapſorum ruinas implere debeant, 207. An ſemper rebaptizandus ſit ſub conditione infans qui etiam in capite *baptizatus* fuerit, priuſquam ex utero matris perfecte exiiſſet, 299. & *ſeq.* Utrum ſi emerſio *ablutioni* a Chriſto inſtitutæ eſſentialis ſit, infans qui Sacerdoti repente oppreſſo excidit, & in imum delapſus flumen jam extrahi nequit, non eſſet pronuntiata etiam forma rite baptizatur, 302. Quid de infante morti vicino quem mater projicit in aquam, cum ſolita verborum forma, ib. & *ſeq.* An tam poſſit infans in utero matris per *Baptiſmum* fieri Chriſtianus, quam Martyr per mortem, 303. An infantis parentes ſeu *adulti* Catechumeni, peccent, qui cum ad proprium *Paſtorem*, &c. recurrere poſſint, extranei opera utuntur, 333. Vide *Paſtores*.

2. Qui errarunt circa hanc quæſtionem: An infantes *baptizari* poſſint valide. 345. Opiniones veterum quoad hanc quæſtionem: An omnino licitum ſit *baptizare* infantes, an non ſatius decentiuſque fuerit eorum *Baptiſma* differri, 346. Infantes *Baptiſmi* capaces ſunt, & ideo valide baptizantur, 347. & *ſeq.* 348. & *ſeq.* 350. & *ſeq* 351. & *ſeq.* An tam poſſint infantes in nova Lege *baptizari*, quam in antiqua poſſint *circumcidi*, 348. & *ſeq.* 349. An ad *Euchariſtiam* infantes admitti poſſent, 353. An infantes *Baptiſmum* recipiendo, graviſſimis obſtringerentur legibus, & quidem non volentes, ib. & *ſeq.* Non tantum licet, ſed & expedit parvulos ante rationis uſum *baptizare*, 354. & *ſeq.* An aliqui infantes a Chriſti diſcipulis *baptizati* fuerint, ibid. & *ſeq.* An dubitatum aliquando fuerit in Eccleſia an *parvulis* infunderetur *gratia*, 357. & *ſeq.* An gratia *parvulorum* poſſit eſſe habitus, 359. & *ſeq.* Vide *Baptiſmus* 10. *Fides*. *Fatrini*. *Tertullianus*.

3. Qui intelliguntur nomine infantium; non una eſt conditio infidelium infantium, 360. *Parvuli* in ſinu materno penitus abſconditi, non ſunt capaces *Baptiſmatis*, 361. An iſti nati ſint in Adam, 361. & *ſeq.* An ſit *baptizandus* infans, qui certas corporis partes geminas habet, 362. & *ſeq.* Vide *Matres*.

4. An *parvuli* quorumlibet *infidelium* invitis parentibus valide *baptizentur*, 354. & *ſeq.* Quid de filiis infidelium, qui *fidem* ſuſceperunt aliquando, ſed ab ea defecerunt, ib Quid, ſi parentum alteruter conſentiat, reluctante alio, ib. & *ſeq.* Quid, de infantibus, qui jure vel injuria a parentibus *infidelibus* avulſi ſunt; & tam procul ab iis diſtant, ut jam iis providere non poſſint, nec ipſos moraliter recipere, ibid. Quid de iis, de quorum vita moraliter deſperatur, 365. & *ſeq.* Quid de infantibus *infidelium*, qui Chriſtianis Principibus ſerviliter ſubjecti ſunt, ib. & *ſeq.* 366. An infantes a ſuis parentibus divelli poſſint, ut *baptizentur*, 369. & *ſeq.* Quid, ſi hoc liceat, licebit quoque eorum *filios* auferre, qui *infidelibus* obediunt, ib. & *ſeq.* Quid, multis prohibitum eſt Conciliis, ne *infidelium* filii *baptizentur* invitis parentibus, 369. & *ſeq.* An filii cenſeantur inviti recipere *Baptiſmum*, cum inviti ſunt parentes, ib. Vide *Principes* Chriſtiani. *Sacerdotes* 2.

5. An infantes ſine *Baptiſmo* decedentes ſubjaceant pœnæ damni & ſenſus; an illi non iſti; an non naturali quadam beatitudine perfruantur, 378. An *filii* fidelium ſint independenter a *Baptiſmo* ſemen Abrahæ, 381. & *ſeq.* An iſti ratione nativitatis ſancti ſint, 382. & *ſeq.* An infantes *Chriſtianorum* deterioris ſint conditionis, quam Judæorum, 383. & *ſeq.* An infantibus proſit officium voluntatis alienæ; ac proinde iidem ex aliena *fide* ſanctificentur, 384. & *ſeq.* An qui vult ſincere ſalutem infantium qui *baptizari* non poſſunt, velle debuerit ut iis per *fidem* alienam ſuccurri poſſet, 385. Quæ ſufficiunt ut infantes per *Martyrium* ſalvari jure ac merito exiſtimentur 393. & *ſeq.* Vide *Adulti*. *Baptiſmus* 12. 16. *Exorciſmus*. *Fides*. *Martyrium*. *Parentes*.

6. Ubi infantes *Regum* & *Principum* baptizari poſſunt, 420.

Infi-

Digitized by Google

Infideles, vide *Infantes* 4. *Intentio* 2. *Principes* Chriſtiani. *Sacerdotes* 2.

Infuſio, vide *Eccleſia*.

Innocentius IV. Commentarii in Decretales quos edidit, non aliam habent auctoritatem, quam quæ privato juris interpreti competat, 106. *& ſeq.* Quam *intentionem* requirit ad validitatem *Baptiſmi*, 107. *& ſeq.*

Intentio. 1. Ejus definitio, in quo differt ab *Attentione*, 74. Ejus diviſio, ex parte objecti, ibid. ratione modi, 75. *& ſeq.* Quę ſit intentio abſoluta, actualis, virtualis, habitualis, interpretativa, 75. coacta, errans, alteri contraria, 76.

2. An neceſſaria ſit intentio interna in Sacramentorum *Miniſtro*, 76. *& ſeq.* Inter ſe diſſentiunt externæ intentionis defenſores, ad validitatem *Sacramenti*, 77. *& ſeq.* ſicuti internæ intentionis defenſores, ibid. *& ſeq.* Ad valorem *Sacramenti* non ſufficit intentio exterior jocandi, ſed requiritur vera, quæcumque tandem ea ſit, intentio faciendi quod facit Eccleſia, 78. *& ſeq.* tamen non requiritur intentio faciendi id quod facit hæc particularis Eccleſia, ſed ſufficit intentio faciendi quod facit Eccleſia vera, ubicumque ea ſit, 79. An ſignum practicum gratiæ independenter ab intentione *Miniſtri* poni poſſit, 81. & a ſola Chriſti intentione habeat ut ſit practicum, ibid. An ſi in *Miniſtro* requiratur intentio, requireretur multo magis *probitas*, ibid. *& ſeq.* Ad *Sacramenti* validitatem non requiritur intentio explicita producendi effectum Sacramenti, 86. *& ſeq.* vel conficiendi *Sacramenti*, vel celebrandi ritum externum, ut in ſe revera & abſolute ſacrum, ibid. *& ſeq.* An in *Miniſtro Sacramenta* conferente requiratur intentio, cujus eſt Miniſter, 87. An requiratur etiam particularis intentio producendi effectum *Sacramenti*, ibid. Intentio externa, qua quis ritum ab Eccleſia præſcriptum, exterius quidem ſerio peragit, ſed intus vel deridere tantum & fingere, vel ut rem mere naturalem aut profanam exercere vult, non autem formaliter ut ritum Eccleſiæ, aut ſacram in ea cæremoniam, nullibi ſufficit ad valorem *Sacramenti*, 88. *& ſeq.* An qui intentionem pure externam gerit, habeat intentionem faciendi quod facit Eccleſia, 91. *& ſeq.* Externæ intentionis ſufficientiam perſæpe Romanis in Theſibus defendi, falſum eſt, 94. *& ſeq.* Quotuplici modo intentio Miniſtri poteſt perverti, 95. An ſi ſufficeret intentio externa, jam *ablutio* baptiſmalis per nullam aliam abluentis intentionem indigeret determinari ad effectum ſacramentalem, 96. *& ſeq.* An ſolus intentionis internæ defectus, cauſa ſit cur Sacramenta quæ iterari poſſunt, & Sacramenta ob dubium denuo collata ſub conditione, non valeant, 97. An præcipuum intentionis internæ fundamentum deſumatur ex Conciliis Florentino, & Tridentino, 99 An hæc Concilia aliquid reapſe in gratiam internæ intentionis ſanxerunt, ibid. *& ſeq.* An qui externum ritum ſerio celebrare intendit, intendat facere quod facit Eccleſia, ib. An quædam Concilia ſuppoſuerint externam intentionem ad valorem *Baptiſmatis* ſufficere, 100. An præceperit *Eccleſia* ut nemo niſi cum intentione interiori *Sacramenta* conferret, 102. *& ſeq.* An *Infideles*, *Judæi*, &c. habeant aut habere poſſint veram & internam intentionem faciendi id quod facit Eccleſia, 104. *& ſeq.* An intentio de qua Patres ſilent, imo quam excludunt, pro neceſſaria haberi nequeat, 107. An poſita intentionis internæ neceſſitate jam demonſtrari nequeat perpetua *Eccleſiæ* viſibilitas, 119. *& ſeq.* An non minor, imo major in adultis *Sacramentum* ſuſcipientibus requiratur intentio recipiendi, quam in *Miniſtris* intentio faciendi quod facit Eccleſia, 121. *& ſeq.* An in ſubjecto *Sacramenta* recipiente ſufficiat intentio externa, ibid *& ſeq.* An tam ſacramentaliter operetur, qui externum ponit *Sacramenti* ritum, licet hunc non intendat, quam magice operetur, qui ſignum pro magico cognitum ponit, licet magiam non intendat, 124. *& ſeq.* An quod operatur ex opere operato, aut vi ſolius inſtitutionis Chriſti, operetur independenter a quacumque *Miniſtri* intentione, ibid. An is peccet, qui non habet explicitam intentionem, aut ſacramentalem effectum producendi, aut conficiendi *Sacramentum*, aut celebrandi rem in ſe vera & abſolute ſacram, 126. An qui retenta intentione *Sacramentum* ad ſalutem neceſſarium, irritum fecit, ſeipſum etiam cum vitæ periculo prodere teneatur, 126. *& ſeq.* An intentio errans poſſit eſſe interna, 127. An intentione legitima præditus cenſeri poſſit, qui cogente mortis metu Sacramentum confert, 128. *& ſeq.* Vide *Actio* ſacramentalis. *Auguſtinus* (S.) *Baptiſmus* 18. *Eccleſia*. *Innocentius* IV. *Pagani*. *Sacramentum* 6. 7. 12. *Thomas* (S.)

3. An neceſſaria ſit intentio actualis, 128. *& ſeq.* Ad validam *Sacramenti* confectionem non ſufficit intentio habitualis, vel interpretativa, 129. An intentio habitualis ſufficiat, ut *Miſſæ* omnes per totum menſis, imo & anni ſpatium celebrandæ, alicui applicentur, 131. *& ſeq.* Plurimum commendanda eſt intentio actualis, 133. An ſit intentio actualis aut virtualis in eo, etiamſi forte ebrio, imo in inſaniam verſo, qui per procuratorem *Matrimonium* contrahere vult, ibid. An is qui duas ſimul habet contrarias intentiones, quandoque operetur Sacramentum, quandoque non, 135.

4. An intentio debeat eſſe abſoluta, ibid. *& ſeq.* An ſe habeat intentio ad actionem ſacramentalem, ſicut ad *orationem*, & *votum*, 141. An intentio ſit intrinſeca *Matrimonio*, 142. *& ſeq.* Vide *Forma* Sacramenti.

5. *Sacramenta* ad quorum validam receptionem nulla in *parvulis* aut perpetuo *amentibus* re-

Digitized by Google

quiritur intentio, 166. An in adulto ad validam receptionem *Sacramenti* in uſu poſiti, requiratur interior ejuſdem Sacramenti recipiendi intentio, ibid. *& ſeq.* An ſuſcipientis intentio pertineat ad ſubſtantiam Sacramenti, 169. Vide *Adulti*. *Sacramentum* 12.

Intentio in actu ſignato, aut in actu exercito, quæ eſt, 106.

Intentio eſſentialis, aut accidentalis, quæ eſt, 112.

Intentio interpretativa, quæ eſt, 129. An hæc intentio ſufficiat, ut quis *Sacramentum* rite conferat, 132. An ſufficiat ad *peccatum* & peccati pœnas, ibid. Quare non ſufficit ad *Sacramentum*, ibid.

Intentio mentalis, quæ eſt, 104.

Intentio virtualis. An ad hanc intentionem requiratur ut actu perſeveret aliqua voluntatis intentio ſive circa finem, ſive circa media, 128. Vide *Actio*. *Intentio* 3. *Sacramentum* 2.

Intromiſſio ſalis in os pueri, nariumque ejus, & aurium *tactus* cum ſaliva, quare fit, 419.

Joannes Baptiſta, vide *Baptiſmus* 2. 3.

Irregularis, vide *Ordinatio*.

Irregularitas. An & quæ iterationi Baptiſmatis annexa ſit irregularitas, 414.

Iſaac. An ejus benedictio data Jacob, præter intentionem Iſaaci data, valida fuerit, 79.

Judæi, vide *Baſilius* (S.) *Eſca*. *Infantes* 6. *Intentio* 2. *Sacramenta* Moſaicæ Legis.

Judex in foro Pœnitentiæ. *Judex* politicus. Quod eſt diſcrimen inter Judicem in foro Pœnitentiæ & Judicem politicum, 223. *& ſeq.*

Juramentum. An ille perjurus erit, qui juramentum abſque interna jurandi voluntate emiſſum, violaverit, 123. *& ſeq.* Vide *Matrimonium*.

Jus divinum. An præſcribi poſſit adverſus ea quę ſunt juris divini, 189. *& ſeq.*

Jus naturale. Quando *juri* Gentium prevalet, 366.

Juſculum bene decoctum, vide *Baptiſmus* 5.

Juſtificatio impii. An ea quę fit per *Sacramenta*, majus ſit quid quam creatio cœli & terræ, 24. An qui vere juſtificantur, vere fiant membra *Eccleſiæ*, 379. Vide *Martyrium*. *Paulus* (S.)

L

Lac. *Lacryma*, vide *Baptiſmus* 5.

Laici. Ad quid Laicus tenetur qui in caſu neceſſitatis *baptizat*, 32. An dici non poſſit Laicus, qui a Deo vocatus fuerit ad ſacrum *Baptiſmi* conferendi munus, 323. An ex *Ananiæ* facto ſequatur Laicos extra neceſſitatis caſum *baptizare* debere, ibid. *& ſeq.* An graviter peccet Laicus ſeu *obſtetrix* ſi præſentibus *Subdiaconis baptizet*, 333. Quid ſi *Sacerdos* ex urbanitate jus ſuum cedat laico, ibid.

Lex Moſaica. Quo fine fuit data? 5. An quod hæc Lex fuerit in jugum & onus impoſita, non juſtificaverit, 229. An hęc Lex in ipſa Chriſti morte obligare deſierit, 281.

Liquor. Utrum in dubio an liquor qui in manu geritur, ſit *aqua* naturalis, liceat eo uti ad *Baptiſmum*, 288. *& ſeq.*

Lixivia perfecta, vide *Baptiſmus* 5.

Lotio pedum. An ſit Sacramentum, 17. *& ſeq.* Quomodo ſumitur hæc lotio in Tractatu Arnoldi Carnotenſis, 18. *& ſeq.*

Luminarium, vide *Cæremonia*.

Lutherani, & *Lutherus*. Quam in Sacramentorum Miniſtro intentionem requirant, 76. *& ſeq.*

M

Magnus. An ſicut & *Cyprianus* dubitaverit utrum valeret *Baptiſma* infirmis per infuſionem datum, 294. 295. *& ſeq.*

Manna. An verum fuerit apud Judæos Sacramentum, 5.

Mardochæus, vide *Aman*.

Maritus & *Uxor*. An vices Pâtrini gerere poſſint, 343.

Martyres. Qui non ſint proprie Martyres, 391. *& ſeq.* Nemo Martyr extra Eccleſiam, ibid. Qui Martyribus annumerandi ſint, 392. *& ſeq.* Quos ut tales colit *Eccleſia*, ibid. *& ſeq.* An Martyri, ſi reviviſceret, neceſſaria foret *Baptiſmi* ſuſceptio, 396. An is foret Martyr quem Tyrannus occidiſſet præter mentem, ibid.

Martyrium. An ſit Sacramentum, 16. Quid ſit Martyrium; ejus definitio ex Eccleſiæ uſu, 391. *& ſeq.* Martyrium tam in *infantibus* ſupplet effectum *Baptiſmi*, 393. *& ſeq.* 395. *& ſeq.* quam in *adultis*, 394 *& ſeq.* non tamen quemcumque, 395. *& ſeq.* Quotuplici modo Martyrium ſupplet Baptiſmi vices, ibid. An Martyrium poſſit prodeſſe, ibid. Martyrium quaſi ex opere operato ſupplet Baptiſmi vices in *infantibus*, 397. *& ſeq.* & in ipſis etiam *adultis* quantum ad relaxationem pœnę peccato debitę; at quantum ad remiſſionem culpę non omnino conſtat, 398. An Martyrium, tametſi feratur ſine *charitate* antecedente, nunquam tamen ſit ſine charitate conſequente, ib. An Martyrium ſine *charitatis* actu juſtificare poſſit, 399. *& ſeq.* An bonum illud, quod ad *juſtificationem* non ſufficit extra Martyrium, ad eamdem ſufficiat in Martyrio, 400 *& ſeq.* An liceat offerre ſe Martyrio, 403. *& ſeq.* & aliquando ſubſit obligatio illud ſubeundi, ibid. Quo inſtanti Martyrium operetur quoad remiſſionem pœnę, ibid. *& ſeq.* Vide *Adulti*. *Cyprianus* (S.) *Infantes* 5. *Tertullianus*.

Maſſa carnea. An ea ſit *baptizanda*, quę nullam habeat organorum diſpoſitionem, 363.

Materia Sacramenti. An materia & *forma* in eodem compoſito ſint ejuſdem generis, 144. Materia Sacramenti duplex: remota ſcilicet & proxima, ib. Quę debet eſſe materię & *formæ* ſimultas, ibid. *& ſeq.* Materia Sacramentorum dupliciter a Chriſto inſtitui potuit, 146. Quotuplici modo & quando materia & *forma* Sacramentorum mutari poſſunt, 151. An qui materiam & *formam* Sacramenti cujuslibet ſubſtantialiter immutat, lethali-

ter

ter delinquat, 158. & ſeq. qui vero accidentaliter, peccet aliquando mortaliter, aliquando non, ib. & ſeq. Vide *Eccleſia*. *Sacramentum* 7. 8. 9. 10. 12.

Materia Baptiſmi. Materia remota Baptiſmi, eaque neceſſaria, eſt *aqua* ſola naturalis, ſeu elementaris, 283. & ſeq. aqua omnis, quæ communi hominum ſenſu & uſu eſt & vocatur aqua ſine addito, 286. & ſeq. An idoneæ ſint Baptiſmi *aquæ* e vitibus verno tempore ſtillantes guttatim; an ex quæ clibani ope e vaſis aut herbis exprimuntur, 287. Vide *Aqua* naturalis. *Baptiſmus* 6. 9.

Matres. An matrem ſtatim morituram aperire liceat, ut *infanti* per *Baptiſmum* ſuccurratur, 362. Vide *Baptiſmus* 14.

Matrimonium novæ Legis Sacramentum. An ſit cæremonia ſacrans, ſeu cultui divino ſpecialiter devovens, 6. & ſeq. An Matrimonium inſtitutum in ſtatu naturæ innocentis, jam tunc fuerit *Sacramentum*, 8. & ſeq. Quo ſenſu ab initio fuerit *Sacramentum*, 9. An Matrimonium ſine interiori conſenſu; *Votum* aut *Juramentum*, ſine animo vovendi, aut jurandi, valeant, 123. & ſeq Si quis per procuratorem Matrimonium contrahere velit, validene contrahet etiamſi tunc for.e ebrius ſit, imo in infantiam verſus, 133. An valeat Matrimonium ſub conditione de futuro, purificata conditione, 137. An Matrimonium poſſit non conſtare verbis ut forma, 1 1. An Matrimonium clandeſtinum veram aliquando habuerit rationem *Sacramenti*, 149. Quo ſenſu *contractus* clandeſtinus ſufficiebat ad Matrimonium, ib. & ſeq. An ſublata fictione Matrimonium reviviſcat, 178. Vide *Eccleſia*. *Intentio* 4. *Paſtores*. *Peccatum*. *Sacramentum* 6. *Tridentina* Synodus.

Merſio. An triplicis merſionis ritus ad ſæculum XIII. uſque perduraverit, 190. & ſeq

Miniſter Eccleſiæ. An qui intus mimice agit, poſſit reipſa eſſe Eccleſiæ Miniſter, 97.

Miniſter Sacramenti. Quis ſit ſecundum Legem Dei ordinariam, 24. & ſeq. Miniſter *Sacramenti* in uſu poſiti, ad ejus effectum vere & active ſuo modo concurrit, 25. & ſeq. An malus Miniſter valide conficiat *Sacramenta*, 26. & ſeq. An actio mali Miniſtri pariat gratiam, 28. & non ſit actio vera ſed mendax, 29. & ſeq. An impiis Miniſtris dictum ſit, *Quorum remiſeritis*, &c. 30. & ſeq. Quod eſt diſcrimen inter Miniſtrum actionemque ejus & bonam affectionem, quæ actionem hanc ſubſequitur, 30. An actio ſacrilega mali Miniſtri, nec ſit nec eſſe poſſit a Deo ut a motore ſpeciali, ib. An peccet malus Miniſter *Sacramenta* conferendo, ib. & ſeq. Quotuplex Miniſter, ib. An peccet Miniſter, qui cum intimo religionis ſenſu, ad juſtificandum quidem impari, ſed tamen ulterius peccatum excludente, *Sacramenta* conficit aut adminiſtrat, 32 An Miniſter ex officio *Sacramenta* conferens, a novo peccato excuſari poſſit, ibid. An reus Sacramenti Miniſter non conteri ſolum, ſed &, ſi poſſit, actu peccata confiteri teneatur, 35. Qui tenentur vel non ex officio ad *Sacramenta* conferenda, 36. An ad malum Miniſtrum recurrere liceat, quia poteſt is pie & ſancte ſancta tractare, 40. & ſeq. Fides Miniſtri non eſt abſolute neceſſaria ut vere & valide conficiatur *Sacramentum*, 43. & ſeq. Plura & pluribus & variis modis velle poteſt Miniſter, qui exteriorem *Sacramenti* ritum facit, 74. An Chriſtus id ſolum in Miniſtro requiſierit, quod requiritur in inſtrumento, 81. An qui exteriorem ritum nonniſi materialiter frequentat, grate ſe ut Miniſtrum Chriſti, 89. & ſeq. Miniſter debet operari in *Sacramentis*, ut Miniſter Chriſti, 98. An Miniſtrorum impietas, ſit cauſa dubitandi an legitima caruerint *intentione*, 101. Quo ſenſu Patres docent malitiam Miniſtri nocere non poſſe ei qui *Sacramentum* recipit, 107. & ſeq. & Miniſtrum linguam ſolam, ſolaſque manus præbere, 108. & ſeq. Quare multo difficilius conſtat de *probitate* Miniſtri, quam de *intentione* ejus, 121. An Miniſter quatenus formam pronuntiando jubet & imperat, habeat ſe ut inſtrumentum Chriſti, 125. & ſeq. An ſi forte caruerit Miniſter *intentione* debita, ſuppleatur defectus ille ſeu a Deo in infantibus, ſeu per devotionis ſenſum in adultis, ib. & ſeq. Quam graviter peccet, qui ſine *intentione* interna ſacramentalem formam applicat materiæ, 126. & ſeq. Quo ſenſu dicitur *gratiam* conferre, 226. Diſcrimen inter eum & *creditorem* qui ſchedulam exhibet, ib. & ſeq. Vide *Auguſtinus* (S.) *Baptiſmus* 17. 18. *Conſecratio*. *Forma* Sacramenti. *Intentio* 2. *Ordines*. *Pœnitentia* Sacramentum. *Probitas*. *Sacramentum* 12. *Thomas* (S.) *Voluntas*.

Miniſter Baptiſmi. 1. Ei maxime curandum, ut tangat aqua pellem capitis, 299. An Miniſtri perſona contineatur in *Græcorum* formula, 322. Vide *Baptiſmus* 8. *Græci*.

2. Quotuplex Baptiſmi Miniſter, ib. Opiniones variæ heterodoxorum de hac quæſtione, Quis ſeu ſolemnis, ſeu privati Baptiſmi Miniſter ſit, 323. & ſeq. In caſu neceſſitatis poteſt licite *baptizare* omnis homo, ſeu vir, ib. & ſeq. ſeu *mulier*, 325. & ſeq. fidelis aut infidelis, ib. & ſeq. baptizatus vel non baptizatus, 326. 327. & ſeq. An & quis inter Miniſtros Baptiſmi ſervandus ſit ordo in caſu neceſſitatis, 334. & ſeq. An unus poſſit plures *baptizare*, 337. & ſeq. Vide *Baptiſmus* 9. *Diaconus*. *Epiſcopi*. *Sacerdotes*.

Miraculum. An blaſphemum ſit ad miraculum recurrere, 120.

Moniales. An pro publicis *peccatricibus* habendæ eſſent eæ, quæ longam æſtatis partem quotannis tranſigunt in villa & extra clauſtra; & ob has cauſas iis *Sacramenta*, ſi publice petetent, neganda ſint, 190. & ſeq.

Monſtra. Ea quæ ſunt *mulierum* partus *bapti*-

zari aliquando debent, aliquando non, 362 & *ſeq.* Qui de monſtris, quæ ex homine & *fera* prodierint, ibid.

Mulieres. An ex eo quod a veteribus excluſerint a ſacro Miniſterio, a *Baptiſmi* collatione excludendæ ſint, 330. & *ſeq.* Vide *Miniſter* Baptiſmi 2. *Monſtra*.

Mundatio infantis in Baptiſmo. An fiat per *verbum*, 164.

Mutus, *Surdus*, & *Cæcus* a nativitate. An baptizari poſſent, 170. & *ſeq.* An muti & *amentes* a munere Patrini arcendi ſint, 341.

N

Neceſſarium vel neceſſitate medii, vel neceſſitate præcepti, quid ſit, 377. Neceſſarium neceſſitate medii, vel eſt tale ſtricte & pro omni caſu; vel non, ib. & *ſeq.*

Nicæna Synodus. Paulo probabilius videtur, eam eſſe quę *Auguſtinus* litem rebaptizationis diremiſſe viſa eſt, 67. & *ſeq.*

Nicephorus. Falſitas hiſtoriæ *Judæi* ... *in arena baptizati*, quam refert, 286. & *ſeq.*

Nicodemus, vide *Baptiſmus* 3.

Nicolaus I. Quid ſenſit de *Baptiſmate* a Judæo collato, 104. 105. & *ſeq.*

Novatianus. An *Baptiſmus* ab eo datus per infuſionem, rejectus a *Cornelio* fuerit; 294. & *ſeq.*

O

Obſtetrix. An teneatur formam & modum *Baptiſmi* callere, 336. Vide *Baptiſmus* 14.

Offa. *Oleum*, vide *Baptiſmus* 5.

Oleum Catechumenorum & ſanctum *Chriſma*. Quæ tantum adhiberi debent, 418.

Operari ſtricte & proprie ex opere operato, quibus ſolum competit, 397.

Opinio. An opinio rejici poſſit, etiam ut fidei contraria, quam tenuere Patrum doctiſſimi, 48. An in his quæ ad *ſalutem* & *Sacramenta* pertinent, licitum ſit ſequi opinionem probabilem relicta tutiori, quæ vel probabilior ſit, vel æque probabilis, 88. & *ſeq.* An opinio quæ ritus externos inducit tanquam efficientes *gratiæ* cauſas, exponat periculo *idololatriæ*, 213. & *ſeq.*

Optatus (S.) An capitaliter differat a Rebaptizantibus; an rejecerit *Baptiſma* collatum ab Hæreticis, 50. An approbaverit id quod dictum erat a Parmeniano, *apud Hæreticos dotes Eccleſiæ eſſe non poſſe*, 51. & *ſeq.* An erraverit circa receptionem Baptiſmi ſine fide, 172. & *ſeq.*

Orans. Sacramentale, Quid indicat, 263. & *ſeq.*

Oratio, vide *Intentio* 4.

Oratio Dominica. An deleat peccata, 266.

Ordinatio. An valeat ordinatio *Excommunicatis* collata ab *Epiſcopo*, qui ante ipſam monuit, nolle ſe cuipiam Excommunicato *Ordines* conferre, 124. Quid ſentiendum ſit de Ordinatione eorum, qui, cum *irregulares* ſint, *cenſura* ligati, *dimiſſoriiſve* aut legitimo *titulo* deſtituti, manuum impoſit onem recipiunt ab *Epiſcopo*, qui per ſe vel Miniſtros ſuos declaravit, talium ordinationem non intendi, 124 & *ſeq.* Unde judicari poterit an Epiſcopalis illa declaratio, ſit comminatoria tantum, an abſoluta, ib. Vide *Eccleſia*.

Ordines. An ſinguli Ordines totidem ſint Sacramenta, 16. & *ſeq.* An liceat extra caſum neceſſitatis petere aliquod ſacri Ordinis exercitium a malo *Miniſtro*, quia is inducitur ad peccandum, 39. & *ſeq.* An deficiente *Tonſura*, nihilominus ordines valide recipiantur, 389. Vide *Clerici*. *Epiſcopi*. *Euchariſtia*. *Ordinatio*. *Peccatores*.

Ordinis Sacramentum. An ſublata fictione reviviſcat, 178. Vide *Baptiſmus* 7.

P

Pagani. An Paganus qui *baptizat* non intendens facere id quod facit Eccleſia, ſed contrarium expreſſe intendens, baptizet cum ſola *intentione* externa, 106. & *ſeq.*

Panis azymus, vide *Græci*.

Panis benedictus, vide *Eulogia*.

Parentes. Quare tenentur *infantibus* ſuis *Baptiſmum* procurare quam primum, 388. & *ſeq.*

Parochi, vide *Paſtores*. *Patrini*.

Partus. An ſit aliquid matris, 361.

Parvuli, vide *Intentio* 5.

Paſtores. Quam diſciplinam ſervare debent quoad *Pœnitentiam*, Euchariſtiam, 196. & *Matrimonium*, ib. & *ſeq.* Quæ animadvertere debent circa *aquam* baptiſmalem, 289. & *ſeq.* An Parochus habeat juriſdictionem in *baptizandum*, 332. An peccet Parochus hodie, qui contra hodiernum Eccleſiæ morem, licentiam indulget *baptizandi* ſolemniter extra caſum neceſſitatis, alii quam *Sacerdoti*, 333. An Parochus aliquando propria auctoritate *Baptiſmum infantis* differre poſſit, 336. Utrum Parochus cui offertur baptizanda proles ex illegitimo concubitu nata, poſſit *Baptiſmum* negare, niſi mater genitorem revelet, ib. & *ſeq.* Quot *Patrinos* admittere debeant, 343. & *ſeq.* Eorum obligationes circa *Patrinos*, ib. Vide *Baptiſmus* 1. *Diaconus*. *Infantes*. *Sacramentum* 3. 4. 6. 7. 12. 15. 17.

Patres. An pater propriam prolem *baptizare* queat, 337. An pater & *mater* baptizandæ prolis, ab officio Patrini excludantur, 342. & *ſeq.* Vide *Baptiſmus* 14.

Patrini. Quibus apud SS. Patres nominibus donantur, 340. An ſint neceſſarii, ib. & *ſeq.* An in privato *Baptiſmo* Patrini ſint neceſſarii, ib. An & quando Patrini ſpiritualem *affinitatem* contrahant, 341. & *ſeq.* An is qui in Patrinum admiſſus ab eo qui filium ejus tenuerat, duplex contrahat ſpiritualis *affinitatis* impedimentum, & illud impedimentum declarare teneatur, ib. Patrinorum officia, ib. An

omnes

Digitized by Google

omnes promiſcue ad officium Patrini admittantur, aut a *Parochis* admitti poſſint, 342. Qui ab hoc munere arcendi ſunt, ibid. & *ſeq.* An male *ſponſores* reſpondeant *infantem* credere, 356. & *ſeq.* Vide *Affinitas Baptiſmus* 10. *Catholici Epiſcopi*. *Paſtores*.
Paulus (S.) An cum ei dictum fuit: *Exurge, baptizare, & ablue peccata tua*, fuerit *juſtificatus*, 406. & *ſeq.*
Paulus V. An cenſuerit Sacramentis *Confeſſionem* præmitti debere, 175. & *ſeq.*
Peccatores. Duo ſecernuntur eorum genera, 186. Peccatori undecumque notorio *Sacramenta* etiam publice petenti negari debent, 187. & *ſeq.* excepta *Pœnitentia*, & nonnunquam *Matrimonio*, 191. Quid ſi publicus peccator emendatus ſit, & nondum publica ſit ejus emendatio, 191. Quantum cautionis & prudentiæ eſt adhibendum, ut *Sacramenta* conferri poſſint peccatori notorio, 190 & *ſeq.* Peccatori occulto occulte petenti *Sacramentum* negari debet, niſi Miniſter peccatum ejus reſcierit per Confeſſionem; quid ſi coram iis petat, quos de crimine ejus certiores factos eſſe conſtet, 191. & *ſeq.* Peccatori occulto *Sacramentum* petenti, negari non debet, 192. & *ſeq.* An peccator ad *Euchariſtiam*, ſic & quilibet ad *Ordines* accedens, repelli poſſit, 194. Vide *Moniales*.
Peccatum. An qui peccati cauſam voluntarie ponit, canonicas ejuſdem peccati pœnas ſemper contrahat, 132. & *ſeq.* An peccata *Baptiſmo* ficte ſuſcepto poſteriora, remittantur per Baptiſmum, 179. Quid de peccatis quæ *Baptiſmum* præceſſerunt, ib. & *ſeq.* An peccet graviter qui alteri graviter peccandi materiam præbet, proindeque qui indigno cuivis *Confirmationem* aut *Euchariſtiam* adminiſtrat, ei gravis peccati materiam præbet, 193. & *ſeq.* An ſolus Deus peccata mundare & remittere poſſit, 200. Vide *Abſolutus*. *Baptiſmus* 2. 15.
Peccatum Adæ, vide *Fides*.
Peccatum originale. Difficile eſt ut remedium contra hoc peccatum uſurpatum ab antiquis, aliter quam ex opere operato *gratiam* in parvulis peperiſſe intelligatur, 241. & *ſeq.* An hoc peccatum ſingulis inſit inhæſione phyſica parvulis unicuique proprium, 251. & *ſeq.* Vide *Circumciſio*.
Pietas, vide *Cæremonia*.
Pœnitentia Sacramentum. An fuerit ante legem Evangelicam, 11. & *ſeq.* An a *Miniſtro* etiam præciſo recipi poſſit Pœnitentia in periculo mortis, 37. & *ſeq.* An ad validitatem hujus Sacramenti requiratur ut *Miniſter* intendat abſolvere a peccatis, 87. & *ſeq.* An ſe habeat ſententia *Miniſtri* pœnitentiæ, ut ſententia Judicis, 137. An ſublata fictione hoc Sacramentum reviviſcat, 178. Quo ſenſu remiſſio peccatorum ei tribuitur, 179. An *gratiam* phyſice producat, 222. Vide *Baptiſmus* 4. 5. *Extrema-Unctio*. *Paſtores*. *Peccatores*, *Sacerdotes*. *Sacramentum* 12. 13.
Poteſtas. Quotuplex ſit, 23. Non potuit communicari puræ creaturæ relative ad *Sacramentorum* inſtitutionem poteſtas, qualis fuit in *Chriſto*: potuit tamen hæc communicari creaturæ in gradu inferiori, 23.
Potus, vide *Eſca*.
Principes Chriſtiani poſſunt præcipere ut *Infidelium*, ſibi politice dumtaxat ſeu civiliter ſubjectorum, filii invitis etiam parentibus *baptizentur*, 366. & *ſeq.* Quid, ſi Deus nolit mandata ſua ſervari niſi de conſenſu inferioris, 367. Quid, Principis miniſterium reſpicit naturalia, non ſupernaturalia, qualis eſt *Baptiſmus*, ibid. & *ſeq.* Vide *Infantes* 6.
Probabilitas. Quotuplex, 89.
Probitas. Quod probitatis genus requiritur in Sacramenti *Miniſtro*, 121. Vide *Intentio*.
Proceſſiones, vide *Cæremonia*.
Profeſſio religioſa. An ſit Sacramentum, 17. & *ſeq.*
Promiſſio divina. An ſigilla hujus promiſſionis rite conferri non poſſunt abſque eo quod hæc promiſſio revocetur in animum, 164. & *ſeq.*
Propoſitum ſervandi ac profitendi legem Chriſtianam, vide *Adulti*.
Proteſtantes. An re minus a Catholicis differant quam verbis, 209. & *ſeq.*
Providentia. Ad eam non gratis recurrimus, 120. & *ſeq.*
Piſanna, vide *Baptiſmus* 5.
Publicitas facti. An valeat in Gallia, 189.

R

Rebaptizantes. An eorum opinio fuerit, ut valeret vel non valeret hæreticorum Baptiſma pro diverſitate locorum, 63. & *ſeq.* An ex S. *Auguſtino* primi Rebaptizantes reſciderint judicium quo *Cypriano* & Africanis Conciliis conſenſerant, 73.
Reges, vide *Infantes* 6.
Regulares. An excludantur ab officio Patrini, 342.
Ritus. Quod eſt diſcrimen ritus inter Moſaicos & Chriſtianos, 262. An ritus qui primis *Eccleſiæ* temporibus neceſſarius fuit, hodieque neceſſarius eſſe debeat, 292. & *ſeq.* An ritus ab Apoſtolis ipſis dimanans, non Eccleſiaſtico ſolum, ſed & divino jure præſcriptus ſit, 293. & *ſeq.*
Ritus Eccleſię. Quot. plici modo exterior Eccleſię ritus per jocum exerceri poteſt, 83. & *ſeq.*
Ritus ſacri. Non obſcure colligitur ex Scriptura ſeptem eſſe ſacros ritus, eoſque qui a Tridentino deſignati ſunt, 13. Vide *Cæremonia*.
Ritus veteris Legis. An fuerint Sacramenta proprie dicta, 12.
Rudis, vide *Cæremonia*.

S

Sacerdotes I. Quare mali Sacerdotes non deſierant eſſe Miniſtri Chriſti, 25. Ad quid tenetur Sacerdos qui in caſu neceſſitatis abſolvit

ſolvit aut Unctionem extremam confert, 28. An mortaliter peccet Sacerdos qui reus excipit Confeſſiones, 33. & ſeq. Quid, de eo qui mortalis noxæ ſibi conſcius Euchariſtiam ab alio conſecratam miniſtrat; & an tot admittat peccata, quot ſine morali interruptione diſtribuit hoſtias, ib. Quid de eo qui ex officio Euchariſtiam extra adminiſtrationem tangit ſeu immediate, ſeu mediate, 34. & ſeq. Quid de eo qui in peccato mortali hoſtiam elevat, & cum ea populum benedicit, ib. An Sacerdos qui habet coram ſe undecim hoſtias, & intendit conſecrare ſolum decem, non determinans quas decem intendit, conſecret, 90. & ſeq. Quam diligentiam adhibere debent in *Pœnitentia*, & in *Extrema Unctione*, 196. V. *Laici Paſtores*. *Sacramentum* 4. 6 7. 10. 12. 15. 17.

2. Sacerdos eſt ordinarius *Baptiſmi Miniſter*, 331. ſed cum ſubordinatione & dependentia *Epiſcopi*, ib. & ſeq. An Sacerdos dum conſecratur, recipiat ordinariam baptizandi poteſtatem, 332. & ſeq. Quare reus eſt gravis peccati Sacerdos, qui extra neceſſitatis caſum ſine juriſdictione vel commiſſione *baptizat*, ſeu ſolemniter ſeu privatim, ib. & ſeq. An Sacerdoti liceat quoſcumque *infidelium infantes*, inſciis omnino parentibus, *baptizare*, 364. & ſeq.

Sacramenta, vide *Sacramentum*.

Sacramenta Moſaicæ Legis. Quo fine ſint inſtituta? 5. An qui ea recipiebant, ab aliquo Dei amoris actu fuiſſent immunes, 7. Sua fuerunt Moſaicæ Legi Sacramenta, 12. Vide *Sacramentum* 2. 8. 19.

2. Sacramenta hæc in uſu *gratiam* conferebant quocumque modo, 228. & ſeq. Hæc Sacramenta, præter Circumciſionem, non conferebant *gratiam* ex opere operato, 229. & ſeq. 230. & ſeq. An hæc Sacramenta *gratiam* ex opere operato contulerint, tantum per accidens, 230. & ſeq. An ſigna ſeu Sacramenta *Judæorum*, licet ſpecie viſibili, ſeu materialiter a noſtris diverſa, eamdem cum noſtris ſpiritualem virtutem habuerint, 234. & ſeq. An Sacramenta vetera non diſtent a noſtris penes virtutem agendi, ib. & ſeq. An eſſent media ſalutis, 235. Hæc Sacramenta *gratiam* producebant ex opere operantis, 236. & ſeq. An egena dici poſſent, ibid. & ſeq. Vide *Sacramentum* 19. *Scriptura* ſacra.

Sacramentalia. Quid per illud nomen intelligitur, 255. 263. 266. Ad quid inſerviunt, 263. Quot præcipue recenſentur, 263. Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens, quare hæc dicuntur ſacramentalia, 264. An antiquus ſit eorum uſus, ib. & ſeq. An *gratiam* per ſeipſa producant, 265. & ſeq. Tota eorum vis pendet ex opere operantis, ib. An quidquid pios in anima motus ciere poteſt, Sacramentalibus annumerari debeat, 266.

Sacramentarii. Qui tales apud Romanos dicebantur, 2.

Sacramentum 1. A quo hoc nomen derivatur, 2. Quid ſignificabat apud veteres Romanos, ibid Quomodo ſumitur in Scripturis, ibid. Quomodo ejus eſſentia ab Heterodoxis conſtituitur, ibid. & ſeq a Catholicis, ibid. Sacramenta neque ſunt ſigilia divinæ promiſſionis nec mera noſtræ in Deum pietatis ſigna, 3. & ſeq. nec utrumque ſimul, ibid. Sacramentum ut ſic, rite definitur: Signum ſenſibile, 4. & ſeq a Deo permanenter inſtitutum, ad conſecrandum exterius hominem Deo, ibid. & ſeq. & producendam in eo gratiam ſanctificantem, 5. Sacramenta ſunt velut Eccleſiæ columnæ, 4. Quo fine ſunt inſtituta? ibid. primario, 7. An Sacramentum habeat rationem ſigni ſacri, 5. An Sacramentum ut ſic, ſit in genere ſigni, vel naturalis, vel arbitrarii ſeu *ad placitum*, ibid. An Sacramenta ſint in genere cauſæ, 6. An Sacramenta debeant ſignificare gratiam quæ in ipſo Sacramenti uſu conferatur, 7. & ſeq.

2. An neceſſum fuerit, abſolute loquendo, ut quodam in hominum ſtatu inſtituerentur Sacramenta, 8. & ſeq. An congruum fuerit præſertim poſt hominis lapſum ut inſtituerentur Sacramenta, ibid. Quare nulla fuere in ſtatu innocentiæ Sacramenta, ibid. & ſeq. An extitura fuiſſent Sacramenta in ſtatu innocentiæ ſi perſeveraſſet, 9. & ſeq. An, ſi quæ pro dicto ſtatu condita fuiſſent Sacramenta, hæc ejuſdem cum noſtris naturæ fuiſſent, ibid. An extiterit aliquod in lege naturæ Sacramentum contra peccatum originale, ibid. & ſeq. Quare admittuntur Sacramenta in lege naturæ, 10. & ſeq. An debuerit aliquod eſſe Sacramentum pro adultis quo mundarentur a peccato actuali, eo quod fuerit Sacramentum pro parvulis quo mundarentur ab originali noxa, ibid. Si quæ fuerint ante legem Sacramenta tam pro adultis quam pro infantibus, poteſt ne dici, vel hæc a Deo determinata eſſe quoad materiam & formam, vel non, 11. An Sacramenta naturæ tam ab hominibus fuerint inſtituta quam a Deo, ibid. & ſeq. Quomodo dividi poſſint ſcriptæ legis Sacramenta, 12. & ſeq. An vetera præter remedium naturæ aut Circumciſionem Sacramenta, conveniant univoce cum noſtris, 13. & ſeq. Habet Lex Chriſti Sacramenta ſua, eaque ſeptem numero, non plura, non pauciora, ibid. & ſeq. Quid, Patres hujus numeri in ſcriptis ſuis non meminerunt, 14. & ſeq. Quid, dogma ſeptuplicis Sacramenti, ne implicite quidem traditum eſt a Patribus, 15. & ſeq. An, ut plura ſint quam ſeptem Sacramenta, ſufficiat, ut Ordines ſinguli, Martyrium, Profeſſio religioſa, & pedum lotio, totidem ſint Sacramenta, 16. & ſeq. Quare haud plura quam ſeptem Sacramenta numerari debent, ibid. & ſeq. Vide *Apoſtoli*. *Chriſtus*. *Deus*. *Opinio*. *Poteſtas*.

3. An omnium Sacramentorum inſtitutio ſcripta ſit, 22. Vide *Juſtificatio* impii. *Miniſtri* Sacramenti.

4. Valent Sacramenta a *Miniſtro* etiam improbo

rite

Digitized by Google

rite confecta, 26. & ſeq. An Sacramenta in manu impiorum ſint oleum peccatoris, 28. & ſeq. & ab impiis collata, ne iis quidem qui ad Eccleſiæ pacem pertinent, effectum ſuum operentur, 30. Peccat mortaliter per ſe loquendo, ſaltem qui ex officio Sacramenta in ſtatu peccati mortalis conficit vel adminiſtrat, 31. & ſeq. An liceat Sacramenta recipere a malo *Miniſtro*, 36. & ſeq. Quotuplex eſt genus eorum, qui Sacramenta miniſtrando peccaturi ſint, ibid. & eorum qui ad Sacramenta accedunt, ib. & ſeq. An is graviter peccet qui a *Miniſtro* legitima juriſdictione deſtituto vel a Miniſtro cujus dubia eſt juriſdictio, Sacramenta petit, ibid. An nefas ſit exquirere Sacramenta a malo *Sacerdote*, ſeu expoſito ſeu *Parocho*, quoties a bono recipi poſſunt cum eodem fructu, 37. & ſeq. Licet a malo *Miniſtro* petere & recipere Sacramenta, ſi ſufficiens adſit neceſſitas, 38. & ſeq. quæ neceſſitas pro conditione *Miniſtrorum* aliquando gravior, aliquando minus gravis eſſe debet, 39. & ſeq. An minus peccaret qui ab extraneo *Sacerdote* expoſito, tantumque ebrioſo *Euchariſtiam* peteret, quam qui ab inceſtuoſo *Parocho*, ibid. An is peccet qui ſine gravi cauſa expetit Sacramenta a malo *Miniſtro*, 40. & ſeq.

5. Utrum valeant Sacramenta collata etiam ab Hæreticis aut Schiſmaticis, 41. & ſeq. 43. & ſeq. 45. & ſeq. Quo ſenſu *Innocentius* I. *Leo* I. *Gregorius* Magnus, *Pelagius* II. *Urbanus* II. Sacramenta ab Hæreticis collata habuerunt pro irritis, 46. & ſeq. An ea ſolum ſocietas Sacramenta valide conferre poſſit, cui ſoli conceſſa ſunt a Chriſto Sacramenta, 52. & ſeq. Vide *Baptiſmus*. *Catholici*. *Intentio*.

6. An ad Sacramentorum valorem ſufficiat ut excitent fidem, 79. Quomodo Sacramenta ſe habent ut animarum medicinæ, 80. & ſeq. Quod eſt diſcrimen Sacramenta inter & corporales medicinas, 81. Quomodo poteſt dici formas quibus conficiuntur Sacramenta eſſe vere verbum Dei, ibid. Ad validitatem Sacramenti, neceſſe eſt ut qui ipſum confert, aliquo ſaltem ſenſu gerat ſe pro *Miniſtro* Chriſti, 89. & ſeq. An ad validitatem Sacramenti ſufficiat, ut quis exterius ponat actum quem facit Eccleſia, 92. An ſive manifeſta ſit, ſive occulta *Miniſtri* intentionem ſuam pervertentis deriſio, tollatur veritas Sacramenti, 94. An ut valeat Sacramentum, ſufficiat ut quis exterius gerat ſe tanquam Eccleſiæ Miniſtrum, 97. & ſeq. Ad validitatem Sacramenti requiritur ad minus *intentio* externa, 104. An Chriſtus eo Sacramenta in Republica Chriſtiana inſtituerit modo, qui Rempublicam humanam decet; adeoque valeant Chriſtiana miniſteria, eo exercita modo, quo miniſteria in Rebuſpublicis exerceri valide ſolent, 116. & ſeq. An Chriſtus voluerit ut Sacramenta dependenter ab *intentione Miniſtri* conferantur, 117. An ea quæ ad Sacramenti ſubſtantiam pertinent, certa eſſe oporteat, 120. & ſeq. An ut quis Sacramentum recipiat, non requiratur intentio, 122. 169. & ſeq. An Sacramentorum forma, per ſe & independenter a quacumque *intentione* operativa ſit, 124. & ſeq. An hæc forma, ut practica ſit, aut ut imperet & jubeat, indigeat *intentione* Miniſtri, 125. & ſeq. An qui a *Miniſtro* legitima *intentione* deſtituto Sacramentum, ſeu potius ſimulacrum Sacramenti recepit, teneatur ad alium Sacerdotem recurrere, ſi agatur de Sacramento, cujus ſuſceptio ſub præceptum cadat, 127. An valeat Sacramentum ſi *Miniſter* habet *intentiones* oppoſitas, 128. Quare ad valorem Sacramenti non requiritur *intentio* actualis, ſed ſufficit virtualis, 133. & ſeq. Quo ſe maculant peccato ii, qui voluntarie diſtrahuntur in conficiendis Sacramentis, 134. Quare is qui formam Sacramenti ſine *intentione* inceptam, cum intentione proſequitur, nihil efficit, ibid. & ſeq. An valeat Sacramentum collatum ſub conditione de præterito aut de præſenti, ſi purificata ſit conditio, 135. & ſeq. aut ſub conditione, libere futura, 136. & ſeq. etiam in caſu *Matrimonii*, 135. Exploratur diviſio Theologorum in hanc quæſtionem, ibid. & ſeq. Nunquam licet apponere Sacramentis conditionem de futuro, 137. & ſeq. de præterito autem vel de præſenti quandoque licet, quandoque non, 137. An & quando iterandum ſit ſub conditione Sacramentum, ibid. An conditio de præterito vel de præſenti, uſurpari poſſit in Sacramentis, iis præſertim, quæ characterem non imprimunt, 138. An apud Patres priorum ſeptem Eccleſiæ ſæculorum extiterit veſtigium hujus formæ conditionalis, ibid. & ſeq. An cum Sacramentum datur ſub conditione, opus ſit ut conditio voce exprimatur, 159.

7. Quibus nominibus antiqui Patres inſigniebant id quod hodierni Theologi *materiam* & *formam* Sacramentorum vocant, 139. & ſeq. Quæ eſt *materia* Sacramenti, 140. & ſeq. An *materia* & *forma* dici poſſint partes Sacramentorum componentes, ib. & ſeq. Utrum *intentio Miniſtri* ſit pars Sacramenti conſtitutiva, 141. An ablata *intentione*, manentibus vero *materia*, & *forma*, non maneat Sacramentum, ib. An in Sacramentis ſola verba *formæ* rationem habeant, 142. Vide *Auguſtinus* (S.) *Forma* Sacramenti. *Intentio* interpretativa. *Materia* Sacramenti. *Thomas* (S.)

8. Omnia Legis antiquæ Sacramenta conſtabant rebus ut *materia*; ſed non omnia conſtabant verbis, 143. & ſeq. Quodlibet Legis novæ Sacramentum conſtat *materia* & *forma*, ibid. & ſeq. An detur Sacramentum, quod non conſtet verbis ut *forma*, 144. & ſeq. Nihil ad ſubſtantiam Sacramenti intereſt an præcedat *forma* an *materia*, 145.

9. An Chriſtus Sacramentorum *materias* & *formas* determinaverit, 145. & ſeq. Res & verba Sacramentorum ſaltem quoad ſubſtantiam & genus determinata ſunt a Chriſto, 146. & ſeq.

Pro-

Probabilius eſt Chriſtum cujuſvis Sacramenti *materiam* & *formam* determinaſſe ſecundum ſpeciem, 147. *& ſeq.* An ſic inſtituerit Chriſtus Sacramenta, ut eorum *materias* & *formas* determinationi *Eccleſiæ* reliquerit, 148. An qui facit ut *materia* quæ valebat ad Sacramentum, jam non valeat, mutet materiam Sacramenti, 150. *& ſeq.* An Chriſtus præceperit ut Sacramenta ſub aliquibus *formis* adminiſtrarentur, ib. *& ſeq.* Vide *Matrimonium*.

10. Mutatio ſubſtantialis ſeu *materia*, ſeu *forma* Sacramentum tollit & irritat, ſecus de accidentali, 151. *& ſeq.* An ſtet Sacramentum, ſi *materia* ejus eo uſque alteretur, ut moraliter deſinat eſſe id quod prius, 152. *& ſeq.* An interiori errore, quicumque ille ſit, violetur veritas Sacramenti, quod ritu legitimo celebratur, 154. An ſtet Sacramentum, quoties *forma* vel manet eadem, vel accidentaliter ſolum mutatur, etiamſi *Miniſter* ea utatur, vel ut malum ritum inducat, vel cum publica erroris demonſtratione; modo tamen id facere velit quod inſtituit Chriſtus, 154. *& ſeq.* Etſi maxima in cujuſcumque Sacramenti confectione adhiberi debet diligentia, majori tamen opus eſt ubi de iis agitur, quæ iterari non poſſunt, 157. An qui certis verbis certam proprio nutu imponeret ſignificationem, quæ iiſdem nec ex impoſitione, nec ex uſu competeret, valide conficeret Sacramentum, ibid. Vide *Voces*.

11. Utrum deficiente *verbo* promiſſorio vel concionali, deficiat aliquid unde Sacramentum vel invalide, vel ſaltem illegitime adminiſtretur, 159. *& ſeq.* An Chriſtus præſcripſerit ut Sacramenta per doctrinam una cum *verbis* conſecratoriis conferrentur, 161. *& ſeq.* An Sacramentum, utpote ſignum ratione *materia* & *forma*, debeat in alterius cognitionem deducere; & in alterius cognitionem ducere non poſſit ſine *concione*, 164. Vide *Verba* quæ in conficiendis, &c.

12. Sacramentorum ſubjectum, 165. *& ſeq.* Invalide recipit Sacramentum adultus ſeu omnino reluctans, 166. *& ſeq.* ſeu qui mere negative ſe habet, 167. *& ſeq.* An qui nonniſi materialem Sacramenti ritum recipere vult, vere Sacramentum recipiat, 168. *& ſeq.* Nonne ſi res ita ſit, ficti id genus homines *cenſuris* plecti non poſſent, ibid. An Sacramenta perficiantur *materia*, *forma* & *intentione Miniſtri*, 169. *& ſeq.* Ut quis Sacramenta quædam valide recipiat, non requiritur actualis aut virtualis *intentio*, ſed ſufficit quandoque virtualis vel interpretativa, 170. *& ſeq.* Quid, quoad Sacramenta *Euchariſtiæ*, *Pœnitentiæ*, & *Extremæ Unctionis*, ibid.

13. Quomodo Sacramenta recipi poſſunt, 171. Quæ ſunt Sacramenta mortuorum, vel vivorum, 171. 172. 197. Ad recipienda cetera præter *Pœnitentiam* Sacramenta, non requiritur *fides*, 171. *& ſeq.* Ut Sacramenta vivorum cum fructu percipiantur, prærequiritur in ſubjecto gratia ſanctificans, 172. *& ſeq.* An mortalis ſacrilegii reus fiat, qui ad hujuſmodi Sacramenta acceſſurus, diſpoſitionem pro gratia habituali requiſitam omittit, 173. *& ſeq.* An debeat *confiteri*, ſi poteſt, qui reus lethalis culpæ accedere debet ad iſtorum Sacramenta, ibid. *& ſeq.* Quare ſeria, quidquid opinentur aliqui paulo laxiores, de ceteris Sacramentis præter *Euchariſtiam*, non poteſt moveri difficultas, ibid. *& ſeq.* Non prærequiritur ſtatus gratiæ, ut Sacramenta mortuorum fructuoſe recipiantur, 175. *& ſeq.* in adultis tamen requiruntur præviæ *fidei* & pietatis diſpoſitiones, 176. Vide *Fictio*. *Fides*. *Tridentina* Synodus.

14. An Sacramenta ficte ſuſcepta, ſublata fictione reviviſcant, 176. *& ſeq.* An Sacramenta ablato obice rediviva, æqualem conferant gratiam, an vero majorem pro majoris diſpoſitionis gradu, 183. Vide *Paſtores*.

15. An Sacramenta iis ſint conferenda quibus ea conferri jubet Magiſtratus, 189. *& ſeq.* An poſſit quis a Sacramentis ob culpam ſecretam arceri, 193. An relative ad Sacramenta dignus cenſeatur, quem conſtat eſſe indignum; & utrum *Miniſter* aliquam adhibere debeat diligentiam, ut ſibi moraliter conſtet de dignitate recipientis, 195. *& ſeq.* Vide *Moniales*.

16. Quotuplici modo Sacramentorum cauſalitas intelligi poteſt, 197. Sacramenta novæ Legis *gratiam* producunt proxime & immediate, ibid. *& ſeq.* An ſe habeant novæ Legis Sacramenta ad juſtificationem noſtram, ſicut ſe habuit *circumciſio* ad juſtificationem Abrahæ, 199. *& ſeq.* An, ſi Sacramenta proxima juſtificent, Scriptura Sacramentis non autem *fidei* juſtificationem attribuere debuiſſet, ibid. An Scriptura non tribuerit juſtificationem Sacramentis, ibid. *& ſeq.* An ſi Sacramenta ſint cauſæ efficientes *gratiæ*, nemo ſit adultus qui per *Baptiſmum* non regeneretur, 202. *& ſeq.* Vide *Baptiſmus* 6. *Hæreticus*.

17. Sacramenta mortuorum, per ſe & primario *gratiam* primam producunt, 202. *& ſeq.* & per accidens ſecundam, 203. Singula Sacramenta *gratiam* ſacramentalem, ſeu uniuſcujuſque Sacramenti propriam producunt, ibid. *& ſeq.* quæ *gratia* eſt ipſamet gratia ſanctificans, prout annexum habet jus ad gratias actuales, quibus Sacramenti finis obtineri poſſit, 204. An Sacramenta in voto producant *gratiam* ſacramentalem, 206. *& ſeq.* Quid eſt Sacramentum in voto, ibid. Quare votum Sacramenti non conferat gratiam ſacramentalem, ib. An ſterile ſit Sacramenti votum, 207. Sacramenta ſolo numero diſtincta, æqualem in ſubjectis æque diſpoſitis, inæqualem vero in ſubjectis inæqualiter diſpoſitis *gratiam* producunt, ib. *& ſeq.* Sacramenta vero ſpecie diſtincta, inæqualem, ib. An Sacramenta quæ a ſanctioribus conferuntur *Miniſtris*, plus tribuant gratiæ, 20 . *& ſeq.* An Sacramenta operentur quantum poſſunt, ib. Ad quid tenentur qui crebro accedunt ad Sacramenta, ib.

An

An poſſit aliquando Sacramentum nobilius parciorem edere effectum, quam minus nobile, ibid.

18. Sacramenta producunt *gratiam* ex opere operato, 210. *& ſeq.* An ſi Sacramenta ex opere operato juſtificent, poterit quis credere ſe per aquam mundari, 212. An Sacramenta novæ Legis operentur virtute diſpoſitionis quę ſubjecto ineſt, 213. An Sacramenta majorem operentur *gratiam*, ubi major eſt diſpoſitio, minorem ubi minor, ibid. *& ſeq.* Quare novæ Legis Sacramenta ſunt ſaltem cauſæ morales gratiæ, 215. Sacramenta gratiam non producunt phyſice, 216. *& ſeq.* An cum Sacramenta ſint actiones ipſius Chriſti, debeant *gratiam* vi phyſica producere, 223. An veriſimile ſit Deum Sacramentis indidiſſe cauſalitatem, quam potuit maximam, ibid. *& ſeq.* nempe phyſicam, 223. An Sacramenta licet corporea gratiam parere poſſint, ibid. An Sacramentum unionem *gratia* cum anima attingat, ibid. Sacramenta *gratiam* moraliter operantur, 224. *& ſeq.* An Sacramentum Deum moveat ratione ſui tantum, vel ratione ſuæ a Chriſto elevationis, 225.

19. Vetera inter & nova Sacramenta quantum ad efficaciam diſcrimen, 226. *& ſeq.* Quotuplici modo differant utriuſque legis Sacramenta, 227. An ſicut ritu, ſic efficacia & juſtificandi virtute differant, ibid. Ea de re prima opinio, ibid. *& ſeq.* ſecunda, ibid. *& ſeq.* tertia, quarta, quinta, 228. An nova Sacramenta non niſi ex *fidei* auxilio *gratiam* pariant, 236. *& ſeq.* Vide *Character. Sacramenta* Moſaicæ Legis 2. *Scriptura* ſacra.

20. An homo per omnia novæ Legis Sacramenta particeps fiat Sacerdotii Chriſti, 249. An nullum ſit Sacramentum, quo non deputetur homo ad cultum Dei, ibid. Tria quæ a Theologis diſtinguuntur in Sacramentis novæ Legis, ibid. *& ſeq.*

21. An ubi eſt idem ſignum, idem auctor, eademque ſignificatio, ibi idem ſit Sacramentum, 273. An inſtitui potuerint Sacramenta priuſquam Chriſtus pateretur, 278. Sacramentum quodlibet vel valide ſimul & licite adminiſtratur; vel valide & illicite, 232. *& ſeq.* Vide *Baptiſmus* 12.

Sacrificia. An eſſent inutilia, 232.

Sacrificium. Ad quid primario inſtitutum eſt? 6.

Sacrificium arietis. An omnia peccata remitterentur per hoc Sacrificium, 232.

Saliva, vide *Baptiſmus* 5.

Salus, vide *Aqua* baptiſmalis. *Opinio*.

Sanctum. Quo ſenſu nunquam licet dare ſanctum canibus; & hoc præceptum Chriſti negativum: Non dare ſanctum canibus, obliget, 194. *& ſeq.*

Sanctus, olim Sacerdos. An conſecrare poſſet, 25.

Sanguis, vide *Baptiſmus* 5.

Satisfactio, vide *Adulti*. *Confeſſio*.

Saxones. An tormentorum metu ad *Baptiſmum* adacti, eumdem valide receperint, 122.

Schiſmatici, vide *Sacramentum* 2.

Scriptura ſacra. Verus ſenſus iſtorum ejus locorum, *Si non lavero te*, &c. 17. *& ſeq.* Pſal. 140. *Oleum peccatoris non impinguet*, &c. 28. *& ſeq.* Eccli. 34. *Qui baptizatur a mortuo, quid prodeſt lavatio ejus*, 52. Petr. Epiſt. 1. c. 3. *Vos nunc ſimilis forma*, &c. *Baptiſmum ſalvos facere*, &c. 200. *& ſeq.* I. Cor. 15. 29. *qui baptizantur pro mortuis*, 361. Joan. c. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. 381. *& ſeq.* Joan. c. 6. *Niſi manducaveritis*, &c. ibid. *& ſeq.* An de veteribus *Sacramentis* perinde ac de novis loquatur, 231. *& ſeq.*

Sententia. An ſententia a Judice diſſentiente prolata valeat, 118. *& ſeq.*

Sephora Moyſis uxor. An nolens circumcidit filium ſuum, 80.

Serpens æneus. An verum fuerit apud Judæos Sacramentum, 5. 7.

Serrius. Refelluntur ejus reſponſiones ad regulam Sacerdotibus præſcriptam: *Si quis habeat coram ſe undecim hoſtias*, &c. 90. *& ſeq.* ad Decretum quo proſcripſit Alexander VIII. hanc Propoſitionem, *Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro*, &c. 93. *& ſeq.* 94. *& ſeq.* ad locum S. Thomæ, *Si trina immerſio*, &c. 95. ad quæſtionem circa Sacramenta ob dubium collata ſub conditione, 97. ad quæſtionem, an qui intus mimice agit, poſſit reipſa eſſe Eccleſiæ Miniſter, ibid. *& ſeq.*

Signa Dei. An aliter moveant, quam ſigna *diaboli*, 226. *& ſeq.*

Signum. Quomodo poteſt dici ſacrum, 5.

Signum crucis fronti, pectori, oculis, auribus & humeris baptizati applicatum; quare ſit, 418.

Signum ſenſibile. An illud ſolum ad operis operati conſtitutionem concurrat, quod concurrit ad conſtitutionem ſigni ſenſibilis, adeoque quod ratione ſui ſenſibile eſt, 125.

Spes ſalutis æternæ, vide *Fides*.

Stes veniæ, vide *Adulti*.

Spiritus ſanctus. An ante Chriſti paſſionem datus fuerit, 277.

Status naturæ. An conditio hujus ſtatus melior fuerit, quam Evangelici ſtatus, 11.

Stephanus Papa. Quem habuerunt exitum ejus litteræ ad Orientales, 42. In errorem errori Cyprianico contrarium lapſus non eſt; nec ratum habuit *Baptiſma* contra ſolemnem Eccleſiæ formam collatum, 52. *& ſeq.* Quo ſenſu ejus verba clare indicant nullius prorſus Hæretici *Baptiſma* ab eo rejectum fuiſſe, 54. *& ſeq.* An approbaverit *Baptiſmum* ubicumque & quomodocumque datum, 55. & *Baptiſma* Hæreticorum ſui temporis, ib. Stephanus cenſuram quidem comminatus eſt *Cypriano*, aliiſque Rebaptizantibus; ſed hæſit intra minas, 56. *& ſeq.* 58. *& ſeq.* Quæ fuit ejus excommunicatio contra *Cyprianum* lata, 59. *& ſeq.* An Afris & Aſiaticis cenſuram intentaverit ob Rebaptizationem, niſi reſipiſcerent, 63. Qua via a formali errore vindi-

vindicari poteſt, 64. Vide *Cyprianus* (S.)

Stephanus II. An *Baptiſmi* in vino collati validitatem agnoverit, 286. & *ſeq.* An ratum habuerit *Baptiſma* in ſolo *Chriſti* nomine datum, 311. & *ſeq.* An conſtet Stephanum in hoc ſolo nomine baptizaſſe, 312.

Subdiaconus, vide *Diaconus. Laici.*

Succus ex pomis, pyris ceraſiſque expreſſus.

Sudor, vide *Baptiſmus* 5.

Surdus, vide *Mutus.*

Synodus. Quæ plenaria ſit illa Synodus, in qua rebaptizationis litem contra Cypriani placitum terminatam eſſe toties inculcat *Auguſtinus*, 66. & *ſeq.* 68. & *ſeq.*

T

Tactus aurium, vide *Intromiſſio* ſalis, &c.

Templa. Erigi non vetat Chriſtus, vel his ſpecialem reverentiam haberi, 262.

Tertullianus. Nihil ex ejus ſenſu colligi poteſt, 48. An crediderit protrahendum eſſe *infantibus Baptiſma*, eique conſenſerit S. *Gregorius* Nazianz. 355. & *ſeq.* An negaverit *Martyrium* eſſe *Baptiſma*, 396.

Theologi Catholici. Quam exiſtimarunt & etiamnum exiſtimant, ad valorem Sacramenti ſufficere intentionem, 77. & *ſeq.*

Thomas (S.) An externam *intentionem* tueatur, 113. & *ſeq.* An improbet opinionem eorum a quibus requiritur *intentio* mentalis, & expreſſe doceat ad valorem *Sacramenti* ſatis eſſe, ut ritus ſerio peragatur, 114. & *ſeq* An *intentio* de qua diſſerit S. Doctor, ſit vere interior, 115. Quid, ex S. Thoma, *intentio* quæ ſufficit ad perfectionem *Sacramenti* exprimitur in verbis quæ profert *Miniſter*, ibid. & *ſeq.* An ſubſiſtat anxietas tota ob ſuſceptum ab infideli *Baptiſma*, quam tollere intendit, ſi internam *intentionem* requirat, 116. & *ſeq.* Probatur vocem *habitualem* pro voce *virtualem* irrepſiſſe in textum S. Doctoris 3. p. q. 64. art. 8. *Licet ille qui aliud*, &c. 129. & *ſeq.* & S. Thomam per habituale intelligere, quod hodierni Theologi per virtuale intelligunt, 130.

Thuris adolendi conſuetudo, vide *Caremonia.*

Tinctus, Sacramentale. Quid indicat, 264.

Titulus clericalis, vide *Ordinatio.*

Tonſura, vide *Ordines.*

Tournelyus. Ejus reſponſio ad locum Innocentii IV. *Si contrarium generet in mente*, &c. exploditur, 106. Refellitur quoad mutationem formæ per additionem extranei verbi unius vel multiplicis, 152. & *ſeq.* quoad Baptiſma collatum ab hæreticis, qui integram ejus formam ſervabant, 160. quoad abſurda quæ refert, & dicit ſequi ex opinione quæ circumciſionem in remedium originalis peccati inſtitutam docet, 238.

Traditio cerei accenſi. Quid ſignificet, & quare fit, 419.

Tranſitus maris Rubri. An verum fuerit apud Judæos Sacramentum, 5.

Tridentina Synodus. An præviam ſuſceptioni *Eucharistiæ confeſſionem* exigendo, negaverit eam ceteris *Sacramentis* vivorum præmitti debere, 174. & *ſeq.* etiam *Matrimonio*, 175.

Trinitas (Ss.) Quomodo debet fieri Ss. Trinitatis expreſſio in Baptiſmo, 298. An Patres id unum exigant ad *Baptiſmatis* ſubſtantiam, ut invocetur Ss. Trinitas, 308. & *ſeq.* Vide *Baptiſmus* 7. *Baſilius* (S.) *Fides.*

V

Valentinianus. Quo ſenſus *Ambroſius* ſuppoſuit Valentinianum ad cœleſtia gaudia perveniſſe, 409.

Verba quæ in conficiendis *Sacramentis* adhibentur, poſſunt eſſe vel promiſſoria, vel concionatoria, 159. vel conſecratoria, ib. & *ſeq.* Verba Sacramentorum vere ſunt conſecratoria, 160. & *ſeq.* Quid eſt verbum conſecratorium, 159. & *ſeq.* An verbum de quo loquitur *Auguſtinus* Tract. 80. in Joan. nu. 3. ſit verbum ſacramentale, 162. & *ſeq.* An ex eodem, verbum quo ad elementum accedente fit *Sacramentum*, ſit concionale, 163. & *ſeq.* An id quod eſt verbum fidei, neceſſario credi debeat, ibid. Chriſtus non concionale dumtaxat, ſed & conſecratorium verbum ad Apoſtolos ſuos locutus fuerat, eos *baptizando*, 164. An, ſi verba *Sacramentorum* ſint conſecratoria, jam neceſſum ſit ut habeant ſe tanquam verba magica, 165. & *ſeq.* Vide *Concio. Mundatio. Sacramentum* 11.

Verbum Dei. Quos effectus verbum Dei ſimpliciter ſumptum, accedente Dei gratia, parere poteſt, 81.

Veſtes ſacræ, vide *Caremonia.*

Victima. An in Lege veteri earum occiſio de ſe inutilis fuerit, 229.

Vinum, vide *Baptiſmus* 5.

Virgo (B.) An a Lege Baptiſmi excludi debuerit, 372. & *ſeq.* An in B. Virgine falſa fuerit *forma Baptiſmi*, 373. In quo exceptionis caſu ſola erat, ibid.

Unctio chriſmatis. Quomodo & quare fit, 419.

Voces. Quotuplici modo voces variantur ſolæ, 155. An illarum variationes valore *Sacramentorum* officiant, ibid. & *ſeq.* Quid, ſi variatio fiat quoad voces & ſignificationem ſimul, 156. An voces quæ ſynonymæ videntur, aliæ ab aliis diſcrepent eſſentialiter, ibid.

Voluntas. Quotuplex occurrit in Sacramentorum *Miniſtro*, 117. Quotuplex in *Miniſtro* qui ritum Eccleſiæ peragere vult ut profanum, reperitur voluntas, 118. & *ſeq.* An voluntas reputari poſſit pro facto, 410.

Votum, vide *Intentio* 4. *Matrimonium.*

Urbanus II. vide *Sacramentum* 5.

Urina, vide *Baptiſmus* 5.

EXPLICIT INDEX RERUM.

Digitized by Google

Google

vindicari poteſt, 64. Vide *Cyprianus* (S.)
Stephanus II. An *Baptiſmi* in vino collati validitatem agnoverit, 286. *& ſeq.* An ratum habuerit *Baptiſma* in ſolo *Chriſti* nomine datum, 311. *& ſeq.* An conſtet Stephanum in hoc ſolo nomine baptizaſſe, 312.
Subdiaconus, vide *Diaconus. Laici.*
Succus ex pomis, pyris ceraſiſque expreſſus.
Sudor, vide *Baptiſmus* 5.
Surdus, vide *Mutus*.
Synodus. Quæ plenaria ſit illa Synodus, in qua rebaptizationis litem contra Cypriani placitum terminatam eſſe toties inculcat *Auguſtinus*, 66. *& ſeq.* 68. *& ſeq.*

T

Tactus aurium, vide *Intromiſſio* ſalis, &c.
Templa. Erigi non vetat Chriſtus, vel his ſpecialem reverentiam haberi, 262.
Tertullianus. Nihil ex ejus ſenſu colligi poteſt, 48. An crediderit protrahendum eſſe *infantibus Baptiſma*, eique conſenſerit S. *Gregorius* Nazianz. 355. *& ſeq.* An negaverit *Martyrium* eſſe *Baptiſma*, 396.
Theologi Catholici. Quam exiſtimarunt & etiamnum exiſtimant, ad valorem Sacramenti ſufficere intentionem, 77. *& ſeq.*
Thomas (S.) An externam *intentionem* tueatur, 113. *& ſeq.* An improbet opinionem eorum a quibus requiritur *intentio* mentalis, & expreſſe doceat ad valorem *Sacramenti* ſatis eſſe, ut ritus ſerio peragatur, 114. *& ſeq.* An *intentio* de qua diſſerit S. Doctor, ſit vere interior, 115. Quid, ex S. Thoma, *intentio* quæ ſufficit ad perfectionem *Sacramenti* exprimitur in verbis quæ profert *Miniſter*, ibid. *& ſeq.* An ſubſiſtat anxietas tota ob ſuſceptum ab infideli *Baptiſma*, quam tollere intendit, ſi internam *intentionem* requirat, 116. *& ſeq.* Probatur vocem *habitualem* pro voce *virtualem* irrepſiſſe in textum S. Doctoris 3. p. q. 64. art. 8. *Licet ille qui aliud*, &c. 129. *& ſeq.* & S. Thomam per habituale intelligere, quod hodierni Theologi per virtuale intelligunt, 130.
Thuris adolendi conſuetudo, vide *Caremonia*.
Tinctus, Sacramentale. Quid indicat, 264.
Titulus clericalis, vide *Ordinatio*.
Tonſura, vide *Ordines*.
Tournelyus. Ejus reſponſio ad locum Innocentii IV. *Si contrarium generis in mente*, &c. exploditur, 106. Refellitur quoad mutationem formæ per additionem extranei verbi unius vel multiplicis, 152. *& ſeq.* quoad Baptiſma collatum ab hæreticis, qui integram ejus formam ſervabant, 160. quoad abſurda quæ refert, & dicit ſequi ex opinione quæ circumciſionem in remedium originalis peccati inſtitutam docet, 238.
Traditio cerei accenſi. Quid ſignificet, & quare fit, 419.
Tranſitus maris Rubri. An verum fuerit apud Judæos Sacramentum, 5.
Tridentina Synodus. An præviam ſuſceptioni *Euchariſtiæ confeſſionem* exigendo, negaverit eam ceteris *Sacramentis* vivorum præmitti debere, 174. *& ſeq.* etiam *Matrimonio*, 175.
Trinitas (Ss.) Quomodo debet fieri Ss. Trinitatis expreſſio in Baptiſmo, 298. An Patres id unum exigant ad *Baptiſmatis* ſubſtantiam, ut invocetur Ss. Trinitas, 308. *& ſeq.* Vide *Baptiſmus* 7. *Baſilius* (S.) *Fides*.

V

Valentinianus. Quo ſenſu *Ambroſius* ſuppoſuit Valentinianum ad cœleſtia gaudia perveniſſe, 409.
Verba quæ in conficiendis *Sacramentis* adhibentur, poſſunt eſſe vel promiſſoria, vel concionatoria, 159. vel conſecratoria, ib. *& ſeq.* Verba Sacramentorum vere ſunt conſecratoria, 160. *& ſeq.* Quid eſt verbum conſecratorium, 159. *& ſeq.* An verbum de quo loquitur *Auguſtinus* Tract. 80. in Joan. nu. 3. ſit verbum ſacramentale, 162. *& ſeq.* An ex eodem, verbum quo ad elementum accedente fit *Sacramentum*, ſit concionale, 163. *& ſeq.* An id quod eſt verbum fidei, neceſſario credi debeat, ibid. Chriſtus non concionale dumtaxat, ſed & conſecratorium verbum ad Apoſtolos ſuos locutus fuerat, eos *baptizando*, 164. An, ſi verba *Sacramentorum* ſint conſecratoria, jam neceſſum ſit ut habeant ſe tanquam verba magica, 165. *& ſeq.* Vide *Concio. Mundatio. Sacramentum* 11.
Verbum Dei. Quos effectus verbum Dei ſimpliciter ſumptum, accedente Dei gratia, parere poteſt, 81.
Veſtes ſacræ, vide *Caremonia*.
Victima. An in Lege veteri earum occiſio de ſe inutilis fuerit, 229.
Vinum, vide *Baptiſmus* 5.
Virgo (B.) An a Lege Baptiſmi excludi debuerit, 372. *& ſeq.* An in B. Virgine falſa fuerit *forma Baptiſmi*, 373. In quo exceptionis caſu ſola erat, ibid.
Unctio chriſmatis. Quomodo & quare fit, 419.
Voces. Quotuplici modo voces variantur ſolæ, 155. An illarum variationes valore *Sacramentorum* officiant, ibid. *& ſeq.* Quid, ſi variatio fiat quoad voces & ſignificationes ſimul, 156. An voces quæ ſynonymæ videntur, aliæ ab aliis diſcrepent eſſentialiter, ibid.
Voluntas. Quotuplex occurrit in Sacramentorum *Miniſtro*, 117. Quotuplex in *Miniſtro* qui ritum Eccleſiæ peragere vult ut profanum, reperitur voluntas, 118. *& ſeq.* An voluntas reputari poſſit pro facto, 410.
Votum, vide *Intentio* 4. *Matrimonium*.
Urbanus II. vide *Sacramentum* 5.
Urina, vide *Baptiſmus* 5.

EXPLICIT INDEX RERUM.